BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XVII
C
20
NAPOLI

- 20

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google



SAMUEL LIBER-BARO DE PUFENDORF.
SERENIS. ET POTENT. ELECTORIS BRAN
DENBURGICI CONSILIARIUS INTIMUS.

SAM. L. B. de PUFENDORF

DE

OFFICIO HOMINIS ET CIVIS,

Juxta

LEGEM NATURALEM,

LIBRI DUO,

Cum

ANNOTATIONIBUS PERPETUIS,

Ad uſum præcipuè Juridicum directis;

&

MONITIS APOLOGETICIS

Ad Epiſtolam, quâ Vir quidam Illuſtris Principia Pufendorfii obelo notare voluit;

nec non

Acceſſione Thematum ſelectiorum in Academ. Gieſſenſi Diſputationibus publicis ventilatorum.

Curante

IMMANUELE WEBERO,

D. P. P. Gieſſenſ.

Cum Privil. Sereniſs. Reg. Polon. & Elect. Saxon.

EDITIO NOVISSIMA.

FRANCOFURTI AD MOENUM,

Apud JO. MAXIMILIANUM à SANDE.

Anno MDCCXV.

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO

COMITI

ATQUE DOMINO,

DOMINO

GEORGIO FRIDERICO,

BURGGRAFIO de KIRCHBERG, COMITI IN SAIN ET WITGENSTEIN,

DYNASTÆ IN FARNRADE

&c. &c. &c.

DOMINO MEO GRATIOSISSIMO.

ILLUSTRISSIME

COMES,

DOMINE GRATIOSISSIME.

EX quô à *Sereniſſimô Meo PRINCIPE* inter alia etiam Juris prudentiam univerſalem in Academiâ hâc docere juſſus ſum; optimum ſemper putavi, non ad Hugon. Grotium, nec ad Pufendorfii de Jure Nat. & Gent. libros Juventutem ſtatim admittere. Magnorum enim ſtomachorum illi cibi ſunt, & verendum ſanè, ne, quod de ſimili Juris Civilis pædiâ Imperator olim conqueſtus eſt, idem quoque hîc eveniat, ut

ſi ſine

ſi ſine enchiridio infirmum Studioſi animum argumentorum varietate & gravitate onerare velit Doctor, duorum alterum, aut deſertorem efficiat, aut magno demum cum labore ſerius ad ſcopum perducat. Præ cæteris igitur, qui egregiam hanc Diſciplinam in compendio tradidêre, placuit Libellus præſens Illuſtris, nunc beati Puſendorfii, qui licet Officiorum tantùm doctrinam in fronte polliceatur, plura tamen in receſſu habet, & Jurisprudentiæ Univerſalis ambitum multa paucis dicendo, ſolidè, bono ordine, nec minori perſpicuitate totum ferme exhaurit. Sed de his apud *Te*, *Illuſtriſſime Comes*, jam plura diſſerere velle forſitan ſupervacuum foret, quippe qui à teneris, duce Ephoro Tuo Nobiliſſimo, Dn. Kochlero, utiliſſimas ejus doctrinas ex verſione Germanicâ cupidè delibaſti, nuper autem cùm Studiorum cauſa in Belgio ageres, Ultrajecti à fideliſſimo Doctore Dn. Jacobi, ætate & judiciô magis auctus, uberiore copiâ plenioreque maturitate hauſiſti. Ego poſtquam librum ita adornatum, ut juventuti adhuc utilior eſſe poſſit, in publicum ire jubeo, eundem *Illuſtriſſimo Tuo Nomini*, non eò ſolùm, quod tanto in pretio habeas, ſed alias etiam ob rationes inſcribendum duxi. Taceo ſingularem illam,

quâ

quâ me uſque complexus es, Gratiam, cùm privata ea cauſa ſit, nec tamen publica profeſſione indigna; id certè reticeri non debebat, *Te* Academiæ noſtræ per aliquot annos verum extitiſſe ornamentum, ſicque apud nos & vitâ & ſtudiis egiſſe, non ut numerum faceres, quod multi ſolent, omnique eruditione vacuus ad noſtrorum Civium loculos locupletandos quid conferres; ſed ut exemplum reliquis gradu & genere etiam longè inferioribus præbeas, in quod utiles aliquando Patriæ evaſuri intueri, idque imitandum ſibi ſumere poſſint. Abſque adulatione loquor; &, uti fœdiſſimum foret, invitâ veritate in loco, ubi oculis omnium expoſitus es, talia de *Te* ſcribere velle, ita, ſi ſuffragiis indigeremus Patrum Academicorum, neminem *Tibi* defuturum eſſe hoc certiùs confido, quò evidentiùs fortaſſe brevi amorem, deque *Tuis* virtutibus concepta judicia palàm declarabunt. Cui igitur meliori jure libellum huncce conſecrarem, *Comes Illuſtriſſime*, quàm *Tibi*, qui in tantâ Mæcenatum, ſummo imprimis, quô Tu collocatus es, loco natorum, quique literas non æſtiment modò; ſed & calleant, penuriâ omnino digniſſimus es, cui bonarum literarum Profeſſores litent, ſuum-

que cultum modis omnibus teſtentur. Accipe modò, prout ſoles, hoc tenue affectus mei ſpecimen ſerenô vultu, & mutatum Tuum animum gratiamque imminutam nunquam me experiri patere.

Illuſtrisſimæ Tuæ Excellentiæ

Gieſſæ Cattorum die VII. Nov.
A. M D GC.

devotiſſimus

IMMANUEL WEBER.

PRÆFATIO

Ad Lectorem, prioris Editionis.

QVantoperè præſens Libellus utilitate ſuâ ſe juventuti commendarit, id vel ſola tot editionum, quæ in Germania, Belgio alibique prodierunt, iteratio docere poteſt. Ut autem abſque dubio optimi libri neceſſariorum Indicum acceſſione & lemmatum capitibus adjectorum augmentô multùm juvantur; ita & in præſenti opuſculo hæc duo ſæpe deſiderata memini. Movit id me, ut in novâ hâc editione iis defectibus mederer, & fiduciâ quidem eo majore, quod ipſe B. Autor de his, ut & de cæteris, quæ hic præſtita ſunt, me jam dudum admonuit. Ut autem in obtutu omnia ſtatim habeat benevolus Lector, conſultum duxi, per ſaturam velut ea ipſi hic indicare. Primum igitur L. I. c. 5. intra §. 2. & 3. benè multa ex Opere de Jure Nat. & Gent. inſerta ſunt, quæ etiam in editionem Germanicam à me ſuperioribus annis publicatam ipſius Illuſtris Pufendorfii voluntate tranſlata fuerunt. Eodem capite §. 13. quædam aliter diſpoſita, ac in cæteris editionibus. Nam

quæ Autor de tempore legitimæ defenſionis in ſtatu Naturali §§. 8. & 11. item in Statu Civili §§. 9. & 12. ſparſim propoſuerat, ea hic in §§. 15. & 16. meliori, niſi fallor, ordine & nexu tradita ſunt, evitatâ etiam eorum repetitione, quæ de vindicta & cautione in Statu Civili §§. 9. & 12. nec non de animi perturbatione in §§. 22. & 13. non abſque tadio bis allata fuerant. Et quoniam, quæ de tutela contra errantem dici poterant, melius ſeorſim proponuntur, hinc factum, ut iſtud argumentum poſt cætera nunc in §. 17. locum invenerit. Porrò interdum voces aliquæ perſpicuitatis causâ adjectæ ſunt vel immutatæ, cujus exempla in Lib. I. c. 8. §. 1. circa finem, & in L. II. c. 1. §. 4. nec non cap. 10. §. 8. 9. 10. apparebunt. Aliquando connexioni lux allata per aliquot vocabulorum additionem, detractationem aliamve levem tranſpoſitionem, cujus exempla Libri I. c. 8. §. 4. circa initium, & Libri II. c. 3. §. 4. 5. 6. 7. ſuppeditabunt. Quæ Libro I. c. 1. de Uſucapione dicta in §. finalem rejecta fuerant, ea ego in §. 12. iis transferendi modis ſubnexui, qui ex tacita vel ſaltem præſumta prioris domini voluntate procedunt: Præterea in locis illis, ubi B. Viro quondam controverſia aliqua mota fuit, ad alia ejus ſcripta, ubi vel plenius idem argumentum tractat, vel à ſtrophis Adverſariorum vindicat, Lectorem remittere volui, nullus dubitans, quin qualis qualis hicce labor juventuti gratus, & libellus ita

ador-

adornatus præ cæteris omnibus, qui hactenus lucem vidêre, utilis ſit futurus: Nam quamvis non ita dudum etiam in Belgio cum paragraphorum ſummis marginalibus prodierit, facilè tamen utramque editionem conferenti conſtabit, ibi ſæpius mentem textus vel non perſpicuè ſatis, vel non aptè exprimi, neque ullam σχέσεως, *quâ materiæ cohærent, rationem habitam fuiſſe. Adjeciſſem facilè notulas, fortaſſis è re & commodo juventutis futuras; ſed quia ineptum pariter & nefas puto, circulos Autoris, qui compendio brevitati ſtudere voluit, nova prolixitate turbare; igitur abſtinui ab hiſce curis, daturus forſitan peculiari faſciculo ea, quæ imprimis ad Hiſtoriam Controverſiarum Summo Viro circa Jus Naturæ quondam motarum ſpectant, & quæ reſponſionem ad objecta ab Adverſariis in Eride Scandica nondum depexis merebuntur. Gieſſæ Cattor. d. 7. Nov. A. 1700.*

NOVA

NOVA PRÆFATIO ALTERA.

EX quô, *Lector Benevole*, quinquennio abhinc præſentem Pufendorfii libellum cum non-nullis meis acceſſionibus in publicum emiſi, habuit is varia, prout fieri ſolet, fata, me tamen, qui aliis ſuam agendi libidinem facilè indulgeo, non admodum commoventia. Placuiſſe librum eô, quô adornatus à me fuit, habitu non paucis, cùm aliunde conſtat, tùm ex eo judicare potui, quòd non tantùm, qui meâ voluntate eum publici fecerunt juris, editionem aliquoties iterarunt, ſed & Hamburgi pariter ac Halæ Saxonum (*Holmiam* enim & *Londinum Scanorum* perperam præ ſe ferunt mendaces tituli) furtivæ editiones prorepsêre. Arroſit tamen id, quicquid eſt opellæ meæ. Auctor Obſervationum paucis abhinc annis Lipſiæ prelo commiſſarum, & in Præfatione de injuriâ Pufendorfio illatâ, nec non de damnis & incommodis, quæ veterum exemplarium poſſeſſores ſubierint, multa conqueritur. Eſſent ſanè in his, quæ ipſi meritò exprobrarem, & id quidem præcipuè, quod affirmantis, me ipſius Pufendorfii pace quædam ex majori Opere inſeruiſſe, quædam interpolâſſe, fidem ſuſpe-

ſuſpectam facere præter rem voluit. Teſtes habeo omni exceptione majores Illuſtris Viri literas; poſſum ad ſummè Reverend. Dn. *Adamum Rechenbergium*, rei inter nos geſtæ conſcium, provocare, &, ſi hæc nondum ſufficiunt, ad *Verſionem Officiorum Germanicam*, Puſendorſio adhuc inter mortales conſtituto editam, ubi ex Syſtemate Juris Nat. ac Gentium translata (quæ Obſervatorem maximè offendunt) jamdudum apparuerunt, idque ipſius conſenſu à me factum publicè ſum teſtatus. Sed non tanti hæc ſunt, ut & cætera, quæ ad cenſuram vocat, ut cum Amico quondam Academico ea propter contendam, qui non aliâ de causâ mihi ſuccenſere voluiſſe videtur, quàm quod per tentatam à me aliquot locorum mutationem forſitan nonnullæ ejus Obſervationes interierunt. Quæ de damnis monet & incommodis, in eos, qui meis editionibus uti voluerint, redundaturis, vix reſponſione ſunt digna. Quanta enim, quæſo, fortunarum fuerit jactura literarum Studioſis, dimidio floreno, parcius bibito vini cantharo, novam ſibi & ad uſum accommodatiorem editionem comparare; aut ſi utique tam tenax numorum & libri ſui ex peculio patris profecti quis fuerit, quàm exiguâ conſtiterit moleſtiâ, veterem eum ex novis exemplaribus emendare? Pauciora quippe, quæ luxata verè putavi, ſunt membra, quam Auctor Obſervationum ſibi perſuadet; &, ſi qua forte inſuper alia, is tamen mihi non ſum viſus, qui in locum ea reponere aptè poſſet, Æſculapius; ut adeò hac etiam de cauſa mihi eum iraſci non ſit opus, quod modeſtius ego, quàm ipſe fecit in ſuis Obſervationibus, cum Illuſtri Puſendorſio egerim. Provocatus hæc reponenda duxi, qui

alio-

alioquin ſuo quemque abundare ſenſu lubens permitto, nec cuiquam indignor, qui mea vel noluerit, vel melius ſe rem tetigiſſe fuerit perſuaſus. Unum adhuc eſt, quod furtivarum editionum Auctores & Obſtetrices monitum volo, caveant ſibi deinceps ab hoc dolo, neque in res & labores aliorum ſic involent, ne cùm ſint ſatis noti, juſtitiam vindicem adverſus improba eorum molimina implorare ſit neceſſum. In gratiam Auditorum meorum, ut certum habeant Diſputationum privatarum argumentum, *Themata quædam ſelectiora*, ex Auctore excerpta, & incudi publicæ in Academia noſtra ſubjecta, ſubnectere volui; poteris tamen, cui ea accepta non fuerint, *Lector*, etiam ſine epimetris hiſce libellum tibi comparare, cujus favori rectoque judicio me meaque ſtudia permitto. Dab. Gieſſæ, d. XIIX. Febr. An. MDCCV.

(o)

NOVA

NOVA PRÆFATIO TERTIA.

NOllem, *Benevole Lector*, nunc iterum præfari, niſi id faciendi neceſſitatem mihi impoſitam cernerem, & quidem ex rationibus non unis. *Primò* enim monendus es, editionem hujus Libelli, quæ, poſt *undecimam*, bienniô abhinc in formâ duodecimâ prodiit, non meis auſpiciis fuiſſe publicatam, ſed me, & Dn. Sandeo, qui ſumtus usque adhuc in meas Editiones fecerat, inſcio, mala fide adornatam Hamburgi, unde ubi exemplaria Lipſiam in nundinis adportata, compos eorum factus Bibliopola Sandeus, novô titulô præfixo, habitu, quô hactenus comparuerunt, ea divulgavit. Quùm verò mea quam maximè intereſſet, ne pro cujuslibet libidine, quod jam aliquoties factum, Libellus, ut ego eum formavi, orbi obtruderetur, ideó autor ſuaſorque fui, ut primô quôque tempore denuò prelum ſubiret, eumque annotatiunculis quibusdam locupletare pollicitus ſum. Is igitur dum

ita prodit, jam *porrò* rationem mutatæ, quæ antea fuit, mentis, *Lector*, accipe. Inconveniens & ineptum, id eſt, reprehenſione dignum putavi, ſi quis circulos Illuſtris Autoris, qui compendiô brevis eſſe voluit, nova prolixitate turbaverit; Verùm, ut dies diem docet, ita in Collegiis, quæ ad Officiorum huncce Libellum continuè habeo, expertus ſum, multùm id prodeſſe Studioſis, ſi, quæ nimis ſuccinctè tradita ſunt, exemplis atque rationibus uberius dilucidentur; & dum Juris ferè, ſaltim apud nos, Studioſi inveniuntur Auditores, harmonia Juris naturalis cum LL. Romanis ſedulò oſtendatur. In calamum hæc dictitare, eſt temporis jacturam facere; & tamen, ſi ſolis hauriantur auribus, vix firmiter hærent, atque ita maxima lucri, quod ex Collegiis ſperare poterant, pars Auditoribus perit. Rectius igitur Conſilium invenire non potui, quam ut textui Adnotamenta quædam, licet ſubitanea, ſubjicerem, ſummam Sermonis copioſioris in ſe continentia. Equidem jam Celeberrimum Dn. *Titium* heic præeuntem laboremque ab eo occupatum habeo; & Vir admodum Reverendus Dn. *Hochſteterus*, magnum Tubingenſis Univerſitatis decus, *Collegium* ſuum ſuper hunc Pufendorfii Libellum propediem integrum cum erudito orbe communicabit;

quo-

quorum egregiorum Virorum meditationibus uti juſtum precium ſtatuere ſat ſcio, ſubindeque ad easdem reſpicio; ita tamen alium ſibi habent præfixum ſcopum, atque is eſt, quem ego in præſenti opella mihi propoſui. Scilicet, ut tribus dicam verbis: brevis eſſe, & in gratiam incipientium ſcribere volui, indè textum fere tantum declaro, omnia tamen ad uſum præcipuè juridicum dirigo, idque hiſce potiſſimum rationibus motus, tùm ut adpareat, diſciplinam hanc verè Juridicam, & non niſi JCtum idoneum illius Doctorem eſſe; tùm ut videant tandem, qui meridiano in ſole adhuc caligant, Jus Naturæ non eſſe peſtem Jurisprudentiæ Civilis, ſed, Medicinam; non convellere eam aut evertere, ſed juvare potius & dilucidare; neque tamen etiam abſolvi tribus vel pluribus præceptis generalibus, quod ſibi vulgò perſuadent, & inde Nobiliſſimam Doctrinam negligendam putant, qui, quid ſit Jus Naturæ in Syſtema redactum, nunquam didicerunt, inde cæci omninò de coloribus judices. Autores non allegavi niſi parcè, quamvis ſæpe ad ſcripta Virorum longè celeberrimorum Dn. *Thomaſii* & *Hertii* noſtri oculos intenderim, eorum veſtigia vel premendo vel etiam interdum derelinquendo, prout ita vel aliter in argumentis obvenientibus ex animi ſententia de iis-

)( )(2 dem

dem perſuaſus fui. Acceſſit, ſed ſerò, ad manus meas Cl. Dn. *Jo. Barbeyracii* Verſio Officiorum Puſendorfii Gallica, elegantiſſima pariter & exquiſitiſſima: cui Notas quasdam ſubjecit, maximam tamen partem ex ampliore ſuo ad majus Puſendorfii de Jure Nat. & Gen. opus Commentario decerptas, quem cum verſione illius Gallica A. 1706. Amſtelodami in lucem edidit. Facit inter alia, in Præfatione, Vir Eruditiſſimus, mentionem liticulæ, quam mihi laudatus Dn. *Titius* ſuper Editionibus Officiorum Puſendorfii ſuperioribus annis à me curatis movit; quare quum ad rem præſentem faciat, & verſio iſta Gallica in pauciorum verſetur manibus, Judicium Dn. *Barbeyracii* de noſtra hac cauſâ ipſius verbis ſubnectere placet.

J'ai travaillé ſur l' onziéme Edition, qui aparu en M DCC V. par les ſoins d' un Profeſſeur de Gieſſen. (*a*) Mais en ſorte, que j'ai eu perpetuellement devant les yeux la premiere Edition de l' Auteur méme, qui fut publiée a Lundén en Suede l'an MDCLXXIII. & qui, pour l'impreſſion, eſt la plus correcte de toutes. Je n' aurois pas eu beſoin de me ſervir de l' autre, qui eſt la derniere, ſi elle ne con-

(*a*) Immanuel Weber. *Elle eſt in* 8. *& imprimée à* Francfort ſur le Mein.

(*b*) Elle

contenoit une longue addition, (*b*) & quelques changements, (*c*) que l' on peut regarder comme faits par l' Auteur méme. Quelcun (*d*) s'eſt voulu inſcrire en faux contre ces reparations, que le Profeſſeur de Gieſſen avoit deja faites dans une des editions precedentes: mais on en á appellé (*e*) & á des lettres de Mr. de Pufendorf, ou il approuve la liberté de l' Editeur, & au temoiynage d' un Profeſſeur de Leipſic (*f*) qui ſavoit la-deſſus les ſentiments de l' Auteur; & enfin á la Preface de la Verſion Allemande de cet Abbregé, publiée du vivant de l'Auteur, ou l' on avoit declaré hautement, que c' etoit avec ſon conſentement, qu'on y avoit fait les mémes reparations, que l'on á depuis transportées dans l' Original. Mais, quand tout cela ne ſeroit pas, je n'en aurois pas moins crû étre obligé de les ſuivre; parce que quelques uns des changements de la nouvelle Edition ſont, a mon avis, neceſſaires, ſoit pour l'ordre & la netteté des penſées, ſoit pour eviter des repetitions inutiles, & pour ce, qui regarde l'addition, elle & aſſurement importante, & conçue d' alleurs presque dans les propres terme de l' Auteur.

)( )(3 Usque

(*b*) Elle ſe trouve au Liv. I. Chap. V. de puis le §. 3. incluſivement, jusqu' au 10. excluſivement.

(*c*) Le plus conſiderable conſiſte dans une tranſpoſition de quelques paragraphes, dans ce, que l' Auteur dit au méme Chap. ſur la *defenſe legitime de ſoi méme.*

(*d*) Mr. Titius, dans la Preface de ſes *Obſervations* ſur cet Abregé.

(*e*) Dans la ſeconde Preface de *Mr. Weber.*

(*f*) Adam *Rechenberg.*

Usque adhuc *Barbeyracius*, cujus verba non eô animô adferre volui, ut controverſia illa in ſe parvi utique momenti reſuſcitetur; ſed ut conſtet teſtimonio Viri neutrarum partium, imò iſtius, qui aliàs Dn. *Titii* Obſervationes, in laudato Commentario Gallico ad Pufendorfii Jus N. & G. ſæpè in uſus ſuos transtulit, id, quod feci, non abſque ratione, nec omni ſine Eruditorum ſuffragio me feciſſe. Vale, *Lector*, & fave. Scrib. Gieſſæ, d. XVI. Mart. MDCCIX.

NOVIS-

NOVISSIMA & ULTIMA PRÆFATIO.

DUm ultimam manum labori ad utiliſſimum Pufendorfii *de Officiis* librum imponere mecum conſtitui, paucis adhuc Te volo, *Lector*, quicunque fueris, ſive benevolus, ſive malevolus. Utroſque enim opellæ meæ Cenſores adhuc usque expertus ſum, quemque pro ſuo captu vel affectu ſentientem atq; judicantem. Prodierunt ſuperiores libelli editiones ad unam ferè omnes maximo meo cum faſtidio tot erratis typographicis refertæ, ut utilitatem ſuam penè perdiderint; ſed hanc poſtremam cæteris emaculatiorem fore ſpero, quam & acceſſione novarum Annotationum ſubindè adauxi, deinceps nihil immutaturus, aut quidquam hiſce ſuperadditurus. Edidit anno adhuc currente Celeberrimus JCtus Alex. Arn. *Pagenſtecherus*, Groningæ Pufendorfii *Officia*, cum *Lemmatibus*, *Supplementis* & *Indicibus*, & in *Epilogo p.* 2. *ſeqq.* mearum Editionum mentionem facere lubuit.

buit. Secutus eſt in textu Vir Conſultiſſimus Editiones Operis priores ab ipſo Illuſtri Puſendorfio curatas,eamque,quæ A. MDCIIXVI Ultrajecti prodiit: Sed *Indicem* ex meis deſumſit, pleniorem tamen à ſe redditum; &, quæ ego in nonnullis locis, de quibus priores Præfationes meæ loquuntur, maximam partem ex ipſius B. Puſendorfii voluntate, in meliorem ordinem redegi, ea notavit, & integra iſta loca, prout à me poſita, in *Appendicibus* ſimul exhibuit; additis etiam *p.* 40. *Summariis*, quæ ego Præfationi Puſendorfianæ præfigenda quondam curavi. Et hæc quidem omnia optimâ meâ pace, qui non poſſum non gratâ mente agnoſcere, quod à me conſilio Lectorem juvandi facta Vir Ampliſſimus non improbaverit, aut temerè damnarit. Promittit *Obſervationes* in Puſendorfii Libellum, de quibus uti non niſi optima & publico proficua, quod & in aliis ſuis egregiis Scriptis præſtitit, ſperare poſſumus; ita rogandus eſt publicè, ut ne ea cæteris, quæ ad Puſendorfium quidam commentati ſunt, ſine dubio anteferenda diutius invideat. Cæterum dum quoque *Epiſtolam* Viri cujusdam Illuſtris aliquotiès jam typis in Germania exſcriptam, quâ Puſendorfii Principia in *Officiis* adhibita, impugnare voluit, Dn. Pagenſtecherus ſuæ Editioni curavit inſeri, permotus inde

inde ſum, & quidem accedente multorum rogatu, ut & meæ huic novæ Editionis partem eam facerem, modeſtèque in *Monitis Apologeticis* oſtenderem, non illius id eſſe pondus, ut propterea tàm utilis liber juventuti vel ſuſpectus reddatur, vèl è manibus planè excutiatur. Supereſt unum, ad quod monendum Verſio Majoris Operis Pufendorfiani *de Jure Nat. & Gentium*, quæ ſuperiore annô in lucem prodiit, Germanica me invitat. Sunt, qui pro translationis autore ſolo me habent, quamplurimi; ſed non niſi duos priores Libros ego transtuli; reliqui, dum Bibliopola feſtinabat, induſtriæ Viri admodum Reverendi, Dn. Danielis *Schneideri*, Illuſtriſſimo DN. *COMITI SOLMENSI*, in Aula Laubacenſi à Sacris Concionibus debentur. Non unos eſſe Verſionis Autores ex ſtyli diverſitate judicarunt Celeberrimi Actorum Eruditorum Collectores Lipſienſes; id quod tamen ſufficere mihi non poterat; ſed, quod res eſt, ingenuè confitendum, tùm ne alienæ operæ fructum mihi attribui velle videar; tùm ne adducar in ſuſpicionem, ac ſi ipſe mearum mercium vanus præco ſim, ubi Lectores fortè deprehenderint, Cl. Dn. *Schneiderum* alicubi, præter omne quidem meum meritum, benignô elogiô me mactaviſſe. Quod reliquum eſt, amicè rogatos

)( )(5 volo

volo quoscunque, qui ſibi perſuaſum habent, me, dum Naturæ Jus trado, monſtri quid Jurisprudentiæ Civili & LL. Romanis pernicioſum alere, ut inſulſorum delatorum calumniis aurem ne præbeant; ſed, quod boni Viri eſt, mea hæc & alia cum cura judicioque legant, & tùm demum de me ex me ipſo ſobrie judicent. Ita enim futurum ſpero, ut cæcis præjudiciis deceptos, mihi autem injuriâ infenſos ſe redditos deprehendant. Vale, Lector, &, ſi meruero, ulterius fave. Gieſſæ, d. 1. Sept. A. R. S. MDCCXIII.

PRÆFATIO
ILLUSTRIS DN. AUTORIS.

§. 1. *Commendatio* Inſtituti & Principiorum, ab uſu in doctrina Juris Nat.
§. 2. In vita civili.
§. 3. In Jurisprudentia.
§. 4. *Diſcrimen* Juris Natur. Theologiæ moralis & Juris Civilis in genere.
§. 5. *Speciales differentiæ* Juris Nat. & Theolog. moralis, conſiſtentes in
§. 6. Principiis cognoſcendi.
§. 7. Forma.
§. 8. Fine.
§. 9. Objecto.
§. 10. *Conſectarium*: Jus Nat. formare hominem, non ut rectum, ſed ut corruptum.
§. 11. (I) Illuſtratur præceptis ipſius Decalogi, &
§. 12. Solvitur dubium: *An Jus Nat. in Statu Integro aliud fuiſſet futurum, atque nunc eſt?*
§. 13. (II) Probatur ex indole præceptorum negativorum, quibus ferè hodie conſtat.
§. 14. (III.) Dilucidatur exemplis.
§. 15. *Concluſio*, ad obtrectatores.

LECTORI BENEVOLO
SALUTEM.

§. I.

NI receptus pleriſque eruditis mos legis propemodum vim induiſſet, ſupervacuum videri poterat, circa ratio-

rationem hujus ſcripti aliquid præfari, cùm res ipſa ſatis loquatur, me nihil aliud egiſſe, quàm ut tironibus *præcipua Juris Naturalis capita brevi*, & ut arbitror, perſpicuo compendio *exponerem*: ne, ſi citra cognitionem velut elementarem in diffuſa ejus diſciplinæ ſpacia ſeſe immiſerint, copia & difficultate rerum ab initio protelentur. (1)

§. II. Simul & illud publico expedire viſum eſt, ejusmodi doctrina morali (1) ſtudioſæ juventutis animos imbui, cujus uſus manifeſtus in vita civili ſpectaretur. (2) * Et licet alias ſemper inglorium judicaverim, aliorum diffuſiora ſcripta, & multo magis propria, in compendium redigere: tamen, cùm

§. I. (1) Id quod factum fuiſſe in ſtudio Juris Civilis, antequam Inſtirutiones componerentur docet Imperator, 2. *Inſt. de Juſt. & Jur.*

§. II. (1) Doctrina moralis latè ſumta, omnem Juris prudentiam, & per Conſequens etiam Naturalem ſub ſe comprehendit.

(2) Non ergo tali, qualis erat Scholaſticorum, qui licet *Moraliſtarum* nomine ſuperbiebant, non tamen niſi ineptum centonem ex Theologia, Jurisprudentia & Philoſophia conſarcinatum proponebant, & quæſtiunculas inanes, in vitâ civili nullum plane uſum habentes.

* Jul. Rondin. præfat. ad Erid. Scand. in *Poſt-Scripto.*
Item Comment. ad Pullum. Ven. Lipſ. p. 46. 47.

§. III. (1)

cùm Superiorum autoritas accederet, à cordatis vitio mihi verſum iri non arbitror, quod iſthoc laboris unice juventutis utilitati dare voluerim; cujus merito tantus eſſe favor debet, ut in ejusdem gratiam ſuſcepta opera, etiam ingenii & ſplendoris non capax, nemine indigna ſit judicanda.

§. III. Cæterum quin ejusmodi principia ad univerſam Juris Diſciplinam magis idonea ſint, (1) quam cujusvis Juris Civilis elementa, (2) nemo cui ſanum ſinciput, abnuet.

§. IV. Atque hæc in præſens ſufficere poterant, ni quidam monuiſſent, non abs re fore, aliqua præmittere, quæ ad indolem Juris Naturalis in univerſum intelligendam, ejusdemque limites accuratius deſignandos, facerent. Quod eo libentius ſuſcepi, quia hoc modo prætextus adimitur hominibus importunè curioſis (1) febriculoſam ſuam cenſu-

§. III. (1) Sunt enim univerſalia: & ubi Leges deficiunt, ibi licet allegare rationes naturales, quas *tacitas Leges* eleganter vocat Paulus in *l 7. pr. ff. de bonis damnator.*

(2) Hæc non rejicit Autor; ſed tantum dicit, quod principia habeant non niſi particularia, ad Univerſam Jurisprudentiam non facientia, ceu hoc perperam ſibi perſuadent JCti Acatholici.

§. IV. (1) Intelligit ex Theologis, JCtis Acatholicis & Philoſophis illos, qui clamabant, Jus Naturæ à Theologia

non ideo hoc illi repugnare cenſendum eſt. (9) Simili modo ſi in Theologia Morali aliqua tradantur, ex revelatione divina profluentia, ad quæ ratio noſtra jam non pertingit, quæque adeo & Jus Naturale ignorat, (10) imperitum valde foret, ideo illam cum hac committere, aut repugnantiam aliquam iſtarum diſciplinarum ſomniare. Vice verſa, ſi quæ in diſciplina Juris Naturalis præſupponantur ex eo, quod per rationem inveſtigari poteſt; (11) illa propterea iis, quæ Sacræ Literæ ſuper eadem re liquidius tradunt, nequaquam opponuntur, ſed tantum abſtrahendo concipiuntur. (12) Sic v. gr. in diſciplina Juris Naturalis, abſtrahendo ab illa cognitione, quæ ex Sacra Scriptura hauritur, (13) formatur

(9) Eſt enim aliud *præter* Jus Nat. ſtatuere, aliud *contra*. Non hoc poteſt Jus Civile, ſed illud.

(10) Talia ſunt omnia ea Officia, Chriſtianis propria, quæ homo ex naturæ viribus nec intelligit, nec præſtare poteſt.

(11) Toties hoc faciendum eſt, quoties ſolo mentis diſcurſu in rebus facti & hiſtoricis à verbo revelato dependentibus certitudinem aliquam habere non poſſumus.

(12) Abſtrahentium enim & ſupponentium non eſt negatio.

(13) De ſtatu quippe Paradiſiaco & perfectione Protoplaſtorum non niſi ex ſacris literis & revelatione conſtat.

(14) Ex

matur conditio primi hominis utcunque in mundum projecti, quatenus ſola ratiocinatio aſſequi poteſt: iſta opponere iis, quæ ſuper eadem conditione divinæ literæ tradunt, hic vero eſt ſuccus nigræ loliginis, hæc eſt ærugo mera. * (14)

§. V. Enim vero uti Juri quidem Civili & Naturali facile inter ſe conveniet: ita *inter idem Jus Naturale & Theologiam Moralem fines regere*, ac, quibus potiſſimum partibus ita differant, definire, paulo operoſius videtur. Qua ſuper re paucis ſententiam meam exponam, non quidem pro autoritate Papali, ac ſi ab omni errore privilegio aliquo mihi cautum foret, neque qui ex ſomniis divinitus immiſſis, aut irrationabili aliquo inſtinctu, ſingularis cujusdam illuminationis fiducia animetur; ſed tanquam talis, cui ſpartam ſibi commiſſam pro modulo ingenii

 exor-

* *Jur. Nat. & Gent. L. II. c. 1. §. 8. c. 11.*
§. 2. Diſſert. Academ. *X. de Statu Nat.*
§. 3. Erid. Scand. Præfat. Rondini Apolog. adverſ. Indicem. Novit. §. 11. 12. 16. *pag.* 20. *ſeq.* Specim controv. c. III. §. 1. 3. & *p.* 217. *c. IV.* §. 16. *p.* 258. *ſeq.* Spicil. controv. c. II. §. 1. 13. 15. c. *III.* §. 1. *p.* 357. 380. *ſeqq.* Rondin. *Diſſert. Epiſtol.* §. 1. *p.* 396. & *Poſtſcript. ad Seckendorff.* Pufendorf. *Epiſt. ad Amic. Erid. pag.* 133. Commentar. ſuper Puilo Lipſ. Vener. *pag.* 11. 16. 36. 44. 46. 52. 54.
(14) Ex Horatii *Lib. I. Satyr.* 4. *verſ.* 100.

§. V. (1)

exornare cordi ſit. Ita tamen ut, quemadmodum cordatos & eruditos viros meliora ſuggerentes lubenter audire, & citra pertinaciam prius placita emendare ſum paratus; ſic floccifaciam Midæ æmulos cenſores, rerum ad ſe nihil ſpectantium arbitria protervè involantes, totamque ardelionum nationem cujus characterem lepidiſſimè *Phædrus* repræſentat: *Trepide*, inquit, *concurſans, occupata in otio, gratis anhelans, multa agendo nihil agens, ſibi moleſta, & aliis odioſiſſima.* (1)

§. VI. Primum igitur diſcrimen, quo iſtæ diſciplinæ invicem ſeparantur, reſultat ex diverſo fonte, unde ſua dogmata utraque derivat; de quo jamjam aliquid tetigimus. Ex quo conſequitur; ſi aliqua ſint, quæ divinis literis agere aut omittere (1) jubeamur, quorum neceſſitatem tamen ratio ſibi relicta perſpicere nequit, illa extra Jus Naturale eſſe, & ad Theologiam Moralem propriè ſpectare.

§. VII. Præterea in Theologia lex conſideratur prout innexam habet divinam promiſſionem,

§. V. (1) Phœdrus, *Fabular. Lib. II. fol. 6.*

§. VI. (1) V. gr. Diligere hoſtes, omittere & evitare etiam primos motus concupiſcentiæ. Vid. *Annot.* 10. *ad* §. *IV.*

§. VII. (1)

ſionem, & quandam rationem fœderis inter DEUM & homines: (1) abs qua conſideratione Jus Naturale abſtrahit; quippe cum iſta à peculiari DEI revelatione proficiſcatur, quam ſola ratio invenire nequit.

§. IIX. Illud porro diſcrimen longe maximum eſt, quod finis diſciplinæ Juris Naturalis tantum *ambitu hujus vitæ includatur*, (1) adeoque ea hominem formet, prout hanc vitam cum aliis ſociabilem exigere debeat: aſt Theologia Moralis hominem Chriſtianum informat, cui propoſitum eſſe debet, non hanc ſolùm vitam honeſtè tranſigere, ſed qui fructum pietatis poſt hancce vitam maxime expectat, quippe adeo πολίτευμα ſuum in coelis habet, heic autem viatoris duntaxat aut peregrini inſtar gerit. Quanquam enim animus hominis non ſolum ardenti cum affectu immortalitati velut immi-

§. VII. (1) Potuiſſet Deus Judæis ſimpliciter mandare, quæ voluerit, & interdicere, quæ noluerit, i. e. ſimpliciter Legem dare; ſed ex ſingulari benignitate per modum fœderis, ut par cum pari paciſcitur, & ad Officia invitat; ingentibus propoſitis præmiis, ſi obſequantur, *Exod. XIX*, 5. *Deuteron. V*, 23. Dictamina Juris Naturalis, tanquam ſimplices Leges, longè aliter ſe habent, & per modum fœderis nequaquam obligant.

§. IIX. Id eſt, finis Juris Naturalis non eſt, ut per ejus obſervationem æternum ſalvi ſimus, ſed ut in hac vita ſociabiles & beati evadamus.

neat ſuique deſtructionem vehementer averſetur; atque inde apud pleroſque Gentilium inoleverit perſuaſio de animæ à corpore ſeparatæ duratione, & quod tunc bonis benè, malis malè ſit futurum: (1) ejusmodi tamen circa hæc perſuaſio, in qua animus hominis plane & firmiter adquieſcere poſſit, ex ſolo DEI verbo hauritur. Inde & Juris Naturalis ſcita & ad forum duntaxat humanum adaptantur, (2) quod ultra hancce vitam ſeſe non extendit; quæ ipſa multis in partibus prave ad forum divinum adplicantur, circa quod Theologiæ maximè curæ eſt.

§. IX. Ex quo & illud fluit, ut, quia forum humanum circa externas tantum hominis actiones occupatur, ad ea autem, quæ intra pectus latitant, nec aliquem effectum aut ſignum

§. IIX. (1) Unde potius concedendum videri poſſit, *quod Jus Naturæ non tantum ambitu hujus vitæ concludatur,* & per conſequens etiam id ipſum actiones noſtras ad forum divinum formare debeat, ſed rectè reſpondet Autor, quæ de animæ immortalitate & de tribunali poſt hanc vitam futuro ratio noſtra percipit, niti quidem aliquâ probabilitate, ſed non apodictica certitudine, quippè quæ & ἀμετάπτωτος ἐπιστήμη ex ſolis Sacris literis hauritur.

(2) Non negatur indè forum divinum. Nam & Civilis Jurisprudentiæ præcepta tantum ad humanum forum adaptantur, id eſt, verſantur circa Actiones exteriores, & eas ad ſalutem civitatis dirigunt: indè tamen forum divinum non negant.

§. IX. (1)

ſignum foras producunt, non penetret, adeoque nec circa eadem ſit ſolicitum; (1) Jus quoque Naturale magnam partem (2) circa formandas hominis exteriores actiones verſetur. * Aſt Theologiæ Morali non ſufficit, exteriores hominis mores utcunque ad decus compoſuiſſe; ſed in eo maxime laborat, ut animus, ejusque motus interni, ad placitum Numinis fingantur: & illas ipſas actiones improbat, quæ extrinſecus quidem recte ſe videntur habere, ab animo tamen impuro promanant. Quæ ratio etiam videtur, quare in divinis libris haut ita frequenter agatur de illis actionibus, quæ pœnis fori humani ſunt ſancitæ, aut circa quas ibidem jus dicitur; quam de illis, quæ, uti *Seneca* loquitur, ſunt extra publicas tabulas. Uti

§. IX. (1) Propoſitum in mente retentum nihil operatur, *arg. l. 7. de Condict. ob cauſam dator.* Conf. dicenda ad *L. I. c. 1. §. 26.*

(2) Scilicet directò & in theſi. Interim Jus Naturale non reſpuit internam rectitudinem, ſed eam potius ex Ethicis ſupponit. Evitat enim vir honeſtus etiam τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης. Unde emendatio paſſionum & interiorum motuum potius ad Ethicum, quam ad doctorem Jur. Naturæ pertinet, juxta tritum: Ubi deſinit Ethicus, ibi incipit JCtus.

* Erid. ſcandic. Specim. controverſ. *c. IV.* 19. *p.* 262. Spicileg. *c.* 1. §. 20. *p.* 355. & *c.* 11. §. 10. *pag.* 371. Epiſt. ad Amic. *p.* 133.

(3) Quo

manifeſte adparet iis, qui præcepta & virtutes ibidem inculcatas accurate inſpexerint. Etſi, cum & illæ ipſæ virtutes Chriſtianæ animos hominum ad Socialitatem quàm maxime diſponant, Theologia quoque Moralis honeſtatem vitæ civilis efficaciſſimè promoveat. (3) * Uti & vice verſa, ſi aliquem videas, qui turbulentum & importunum vitæ civilis membrum ſe gerat, tuto judices licet, Religionem Chriſtianam intra labra tantum ipſi hærere; cor nondum penetraſſe. Atque ex hiſce non ſolum genuini limites, qui Jus Naturale, prout à nobis illud traditur, à Theologia Morali ſeparant, manifeſte puto adparent: ſed etiam quod Jus Naturale nequaquam dogmatibus veræ Theologiæ repugnet, ſed tantum à quibuſdam ejus dogmatibus, quæ per ſolam rationem inveſtigari nequeunt, abſtrahat. (4)

§. X. Unde & illud patet, (1) neceſſarium eſſe, *ut in diſciplina Juris Naturalis homo*

(3) Quo enim melior quis Chriſtianus, eò melior Civis. Contra ſi contra.

* Diſſert. Academ. IV. *de Syſtemat. Civit.* §. 7. & IX. *de Concord. veræ polit. cum Relig. Chriſtian.* per tot.

(4) aut diverſum quid ſtatuat.

§. X. 1) Quia ſcilicet Jus Naturale ex rationis dictaminibus eruendum eſt; homo verò ſolò mentis diſcurſu ad Statum Creationis & hominum primorum in ea conditionem pertingere nequit.

(2) Non

mo nunc conſideretur, prout ipſius natura eſt corrupta, (2) *adeoque prout animal multis pravis cupidinibus ſcatens*. (3) * Nam etſi nemo hodiè tam ſtupidus ſit, quin in ſeipſo inordinatos ac in devia tendentes affectus deprehendat; tamen, niſi divinæ literæ prælucerent, (4) nemini jam conſtare poſſet, illam affectuum rebellionem per culpam primi hominis provenisse.

§. XI. Et conſequenter, cum Jus Naturale ad ea non abeat, quò ratio pertingere nequit, incongruum foret, idem ex natura hominis integra (1) velle producere. (2) *

(2) Non juxta conditionem Status Integri.

(3) Aliter enim ſe unquam habuiſſe, ſolâ ratiocinatione adſequi non poſſumus, quamvis dubitare queamus, an Deus, Ens puriſſimum, tàm impurum initio produxerit.

* Specim. Controverſ. c. 1. §. 2.

(4) Protoplaſtos initiô aliter ſe habuiſſe teſtantes.

§. XI. (1) Quod fecit D. Val. Alberti, *in Compendio Jur. Nat. Theologiæ Orthodoxæ conformatio*.

(2) Scilicet, tanquam Principio cognoſcendi; vel hominem, prout integer eſt, in Doctrina Juris Naturalis velle concipere, id quod prorſus abſonum, non tantùm, quia homo concipi debet, qualis hodiè omnis actu eſt; ſed & quia integer nec eſt nec eſſe poteſt Objectum Juris Nat. ſi ex Fine id metiamur, Finis eſt, ſanare & emendare corruptos hominum mores. Eſt ergo Medicina quædam moralis, quâ Integer non habet opus, ſed ægrotus ſive corruptus. Die Starcken bedürffen keines Artzts / ſondern die Krancken.

* Præfat. p. 1. *ad Jur. Nat. & Gent.* Poſtſcript. Rondini ad Secken-

Præſertim cum & pleraque præcepta iſtius Decalogi, (3) prout verbis negativis concepta ſunt, naturam hominis corruptam manifeſte præſupponant. (4) Sic v. g. ***primum præceptum*** utique præſupponere videtur, hominem ad idololatriam & πολυθεότητα credendam proclivem. Si enim ponas hominem integra adhuc natura præditum, in quo liquida DEI erat cognitio, & qui ſubinde velut familiari ejus revelatione fruebatur: non video, quomodo tali in mentem venire potuerit, aliquid ſibi fingere, quod loco veri DEI, aut cum eo, colere vellet; aut credere in eo Numen ineſſe, quod ipſe finxerat. Igitur huic opus non erat verbis negativis injungi,

Seckendorf. Apolog. §. 28. Specim. Controverſ. *cap. IV.* §: 12. 17. Spicileg. *c.* 11. §. 1. 5. 6. 8. 14. Comment. ad Ven. Lipſ. Pullum, *p.* 17.

(3) Diſputat κατ᾽ ἄνθρωπον adverſus Theologos, qui Decalogum pro Legibus Nat. habent.

(4) Mens Autoris hæc eſt, ſi ipſe DEUS, ſapientiſſimus Legum Conditor, in Decalogo homines vel Judæos non ſuppoſuit, ut perfectos rectosque, ſed & corruptos; id quod præcepta negativa oſtendunt, eccur nos in Naturali Lege homines ut perfectos concipiemus? Et ſane inepta prorſus eſt ea ſententia. Eſt enim Lex Naturæ Medicina quædam Moralis. Jam quæſo, an Medicinæ cum ſanis, an cum ægrotis potiùs res ſit.

(5) Imo

gi, *ne Deos alienos coleret*; ſed ſufficiebat eidem ſimplex & affirmativum præceptum: *diliges, honorabis, & coles DEUM*, quem univerſi hujus, & tuum quoque creatorem noſti. Idem circa *ſecundum præceptum* obtinet. Nam quare negativo præcepto vetaretur Deum blaſphemare, qui liquido ipſius majeſtatem & beneficia intelligebat, & quem nullæ pravæ cupidines agitabant, cujusque animus ſtatu ſibi à Deo aſſignato placidè acquieſcebat? Quomodo hunc tanta inſania ſubire poterat? Quin hic affirmativô tantum præceptò monendũs erat, ut nomen DEI glorificaret. Aliter tamen dicendum videtur de tertio, (5) ut & quarto (6) præcepto; quæ cum affirmativa ſint, neque neceſſário corruptam naturam præſupponant, in utroque ſtatu locum invenire poſſunt. Sed circa reliqua præcepta, proximum ſpectantia, res æque eſt manifeſtiſſima. Homini enim, qualis initio à DEO conditus erat, ſufficiebat ſimpliciter injunxiſſe, ut proximum ſuum diligeret; ad quod & natura proclivis erat;

)( )( )(5 aſt

(5) Imo vero tertium præceptum, *Exod. XX. verſ.* 10. verbis non ſimpliciter poſitivis proponitur, ſed & negativis. Aber am ſiebenden Tage ſolt du kein Werck thun.

(6) Fortè quia [illegible] Naturalis iſtud præceptum eo tempore adhuc ſic ſatis ſuſtinuit.

aſt quomodo eidem poterat præcipi, *ne occideret*, quando nondum mors cadebat in hominem,quæ per peccatum in mundum introivit?* Verum nunc negativo præcepto quam maxime opus eſt, ubi pro dilectione tanta odia inter homines graſſantur,ut etiam magna eorum ſeges detur, qui ex mera invidia, aut libidine alterius fortunam invadendi, alios non innocentes ſolum, ſed & amicos & de ipſis bene meritos, ſubverſum ire non dubitent; & quidem ut horridum & inconſultum turbulenti animi impetum ſub conſcientiæ vocabulo, ſi Diis placet, venditare non erubeſcant. Sic quid opus erit expreſſe *adulteria* vetare inter eos conjuges, qui tam ardenti & ſincero amore ſeſe amplecterentur? aut quid *furta* vetare intererat, cum nulla adhuc avaritia, nulla penuria foret, & nemo quid ſibi proprium putaret, quo alteri prodeſſe poſſet? Aut quid neceſſum erat, *falſa teſtimonia* intercidere, cum nondum exiſterent, qui exinde famam ſibi atque gloriam aucuparentur, ſi alterum fœda atque inficeta calumnia adſpergere poſſent? Sic ut non inepte huc adplicaveris illud *Taciti: Vetuſtiſſimi mortalium, nulla adhuc mala libidine, ſine probro, ſcelere, eoque ſine pœna aut coercitionibus agebant,*

bant; & ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur.

§. XII. Atque hæc ipſa probe intellecta viam pandere poſſunt ad amovendam eam dubitationem: *num* igitur *Lex Nat. diverſa fuerit, in Statu naturæ integræ, an vero eadem?* * Ubi paucis reſponderi poteſt: *ſumma legis capita* in utroque ſtatu eſſe eadem, ſed multa præcepta particularia propter diverſitatem conditionis humanæ variare; ſeu potius eandem ſummam legis per diverſa (non tamen contraria) præcepta ſeſe explicare; prout diverſo ſeſe modo habuit homo, cui illa lex obſervanda. Summam legis Salvator noſter ad duo capita redegit: *Dilige DEUM & dilige proximum.* Ad hæc capita referri poteſt univerſa Lex Naturalis, tam in integro, quam in corrupto ſtatu hominum; (niſi quod in Statu Integro nullum aut modicum videatur diſcrimen fuiſſe inter Jus Naturale, & Theologiam Moralem. (1) Nam & Socialitas, quam nos pro fundamento Juri Naturali ſubſtravimus, com-

* Erid. Scandic. Specim. Controverſ. *cap. IV.* §. 20. *pag.* 263.

§. XII. (1) Abſolviſſent eam præcepta DEI poſitiva, quale erat illud de abſtinendo ab arbore ſcientiæ boni & mali.

commode in dilectionem proximi reſolvi poteſt. * Sed quando ad *præcepta particularia* deſcenditur, ſane diſcrimen non leve emergit, tàm circa præcepta affirmativa quàm negativa. Et quidem ad *affirmativa* præcepta quod attinet (2) eorum non pauca jam in iſthoc ſtatu dantur, quibus in primævo ſtatu locus non fuiſſe videtur: idque partim, quia illa præſupponunt tale inſtitutum, quòd, an in feliciſſimam hominum conditionem cadat, non conſtat; partim quia ſine miſeria & morte, quæ ab illo ſtatu exulabat, non intelliguntur. V. gr. Jam inter præcepta Legis Naturalis eſt; ne quis alterum in emtione venditione decipiat; ne falſa ulna, menſura, aut pondere utatur; (3) ut pecuniam creditam convento tempore reſtituat: aſt illud nondum ad liquidum eſt perductum, an, ſi peccati expers genus humanum perſtitiſſet, ejusmodi commercia, qualia nunc agitantur, exercenda fuerint, & an aliquis uſus pecuniæ tunc futurus fuerit. Sic ſi *tales Civitates*,

* Spicileg. *cap.* 1. §. 17.

(2) Nam de Negativis Naturalibus res manifeſta eſt ex præcedentibus.

(3) Autor loquitur de affirmativis præceptis; ergo potius ſic verba exprimenda: *ut in emtione venditione bona fide agamus; ut recta ulna, menſura aut pondere utamur.*

(4) Scili-

vitates, quales nunc ſunt; (4) in ſtatu innocentiæ locum non habuerunt; locus quoque ibidem non fuit præceptis, quæ id genus Civitatum iisque contentum imperium, præſupponunt. Jam quoque Jure Naturali jubemur ſuccurrere egenis; ſubvenire iniqua calamitate oppreſſis, curam habere viduarum, orphanorumque: atqui hæc fruſtra præcipiuntur, iis, qui miſeriæ, egeſtati, mortique non ſunt obnoxii. Ad condonandas injurias, pacemque conciliandam, pronos eſſe nos jam jubet Lex Naturalis: quæ fruſtranea eſt inter eos, qui in Leges Socialitatis non peccant.

§. XIII. Atque id ipſum manifeſtè quoque perſpicitur in præceptis *negativis* ad Jus jam Naturale (non poſitivum) (1) ſpectantibus. Etſi enim quodvis præceptum affirmativum virtuali-

(4) Scilicet, quæ conſiſtunt in Imperio coactivo; non in ſolo directivo, quale Imperium Statui Integritatis non adverſum videtur.

§. XIII. (1) Leges enim poſitivæ per negationem conceptæ non inferunt ſimpliciter hominem corruptum, quod patet exemplo Protoplaſtis integris dati negativi præcepti, quo de Obſerv. (1) *ad §. præcedent.* Ratio ejus eſt, quia Objectum Legis poſitivæ negativæ poſſunt eſſe res naturaliter licitæ, & ad Socialitatem indifferentes, quod in Naturalibus negativis non procedit.

(2) Teſte

virtualiter contineat interdictum omnis oppoſiti; (v. gr. qui jubetur diligere proximum, eo ipſo vetatur inferre illi omnia, quæ dilectioni repugnant:) tamen ut expreſſis præceptis negativis illa ſanciantur, ſuperfluum videtur, ubi nullæ pravæ cupidines ad talia patranda propellunt. Ad quod illuſtrandum accommodari poteſt, quod Solon parricidarum pœnam lege publica ſancire noluit, quod tantum ſcelus in aliquem filium cadere non arbitraretur. (2) Cui ſimile eſt, quod *Franc. Lopez. de Gomara, Hiſt. Gen. Ind. Occident. cap.* 207. refert de Populis Nicaraguæ: apud illos nullam fuiſſe ſtatutam pœnam in eum, qui Regulum (*Caçique* ipſi vocant) occidiſſet; quod nullus, ajebant, ſit ſubditus, qui excogitare aut patrare tàm dirum facinus velit.

§. XIV. Vereor ne putidum videatur, iſthæc tam aperta pluribus inculcare. Ad tironum tamen captum hoc exempli addam. Sunt alicujus informationi commiſſi duo pueri, ſed diſpari plane indole. Unus modeſtus eſt, verecundusque, & magno literarum amore flagrans: alter diſſolutus, petulans, fœdas potius libidines, quam libros amans.

(2) Teſte Tullio, *pro Roſcio Orat.* 11.

amans. Summa officii utrique eadem: literas addiſcere, ſed peculiaria præcepta diſparia. Priori enim ſufficit injunxiſſe, quæ ſtudia, quo tempore quave ratione tractare debeat: alteri præter hæc acerrima ſub comminatione vetandum, ne circumcurſitet, ne alea ludat; ne libros vendat; ne in exercitiis componendis aliena vitula aret; ne pergræcetur, ne ſcorta conſectetur. Eadem ſi quis prioris indolis puero operoſe declamare inſtituat hic εὐημεῖν ipſum jubebit, & cuivis potius, quam ſibi, iſta canere, qui talium nulla cupidine tangatur.

§. XV. Ex quo manifeſtum arbitror eſſe, longe aliam fore Juris Naturalis faciem, ſi quis Statum hominis Integrum velit præſupponere: ſimulque cum tam liquido limites hujus diſciplinæ, quibus à Theologia Morali ſejungitur, deſignati ſint, non deteriore hancce diſciplinam conditione futuram, quam Jurisprudentiam Civilem, Medicinam, Scientiam naturalem, aut Matheſin; in quas ſi aliquis ἀμύητος irrumpere audeat, ſine populi ſuffragiis cenſuram ſibi vindicans, non dubitant ipſi occinere, quod quondam Apelles Megabyzo, de arte pictoria neſcio quid diſſerere aggredienti: *quæſo*, ajebat, *tace*, *ne*

pueri,

pueri, qui melitem terunt, te irrideant loqui orſum de rebus, quas non didiciſti. Sed cum bonis quidem cordatisque viris facile nobis conveniet: malevolos autem ineruditosque obtrectatores ſatius fuerit invidiæ ſuæ excruciandos commendare, ſiquidem utique conſtat, æternaque poſitum lege eſt; ut Æthiops cutem non mutet.

SAMUELIS L. B. DE PUFENDORF
DE
OFFICIO HOMINIS
ET
CIVIS,
LIBER PRIMUS.

CAPUT I.
DE
ACTIONE
HUMANA.

1. Officii *Definitio.*
2. Officiorum *Objectum*, ACTIO HUMANA.
3. Actionis humanæ *Principia*, eorumque inter ſe comparatio in genere.
4. (I) INTELLECTUS in ſpecie
5. *Affectiones* Intellectus, Conſcientia Recta, Probabilis.
6. Item Dubia.
7. *Contraria* Intellectui, Error,
8. & Ignorantia
9. (II) VOLUNTAS in ſpecie.
10. *Affectiones* Voluntatis, Spontaneitas,
11. Et Libertas.
12. *Impedimenta* Spontaneitatis & Libertatis à variis Vergentiis,

Digitized by Google

13. Item Conſuetudine;
14. Motibus Affectuum;
15. Nec non Morbis.
16. *Contraria* Voluntati, Coactio & Metus.
17. Formale Conſecutivum Act. humanæ IMPUTATIVITAS, *cujus Regula generalis.*
18. *Regulæ ſpeciales* (1) de imputatione alienorum, quæ ſunt extra Agentem.
19. (2) De Imputatione morborum & defectuum, qui ſunt in Agente.
20. 21. (3) De Imputatione Ignorantiæ & Erroris.
22. (4) De Imputatione deficientis Occaſionis.
23. (5) De Imputatione Impoſſibilium.
24. (6) De Imputatione Coactionis & Metus.
25. (7) De Imputatione Rationis impeditæ.
26. (8) De Imputatione Somniorum.
27. (9) De Imputatione agentium in concurſu.

§. I.

O*fficium* nobis heic vocatur actio hominis pro ratione obligationis ad præſcriptum legum recte attemperata. Ad quod intelligendum neceſſarium eſt præmittere, tum de natura Actionis humanæ, tum de Legibus in univerſum. (1)

§. II. Per *humanam Actionem* intelligimus non quemvis motum à facultatibus hominis procedentem, (1) Sed illum duntaxat, qui provenit ac dirigitur ab iis facultatibus, quas

§. I. (1) Vid. *Cap. ſequens.*

§. II. (1) Actiones hominis ſunt vel naturales, vel rationales, vel morales. *Naturales* dicuntur, quæ à ſolâ Naturæ operatione procedunt, neque a rationis directione dependent, v. g. *concoctio in ventriculo*, *circulatio ſanguinis*, *Spirituum agitatio*, *impuritatum excretiones* &c. *Rationales*, quæ quidem à ratione hominis procedunt, ſed citra reſpectum ad

quas humano generi præ brutis Creator O. M. attribuit, nempe, qui velut prælucente *Intellectu* ac decernente *Voluntate* ſuſcipitur.

§. III. Datum quippe eſt homini, (quoad *Intellectum*) ut non ſolum varias res, quæ in hoc univerſo occurrunt, poſſit (1) cognoſcere, eas inter ſe conferre, & harum occaſione novas ſibi notiones formare: ſed ut etiam poſſit (2) proſpicere, quid acturus ſit, (3) ac ad id exequendum ſeſe movere, idemque ad certam normam, certumque finem conformare, & quid inde proventurum ſit, colligere;

A 2 (4)

ad legem, adeoque in ſe ſunt indifferentes. v. gr. *cogitare*, *judicare*, quamvis pro ratione objecti & finis moraliter bonæ malæque fieri poſſint. Denique *Morales* ſunt & dicuntur, quæ ab Intellectu & Voluntate hominis ex certa deſtinatione procedunt, ac adeò legum directioni ſubjacent. Eæ enim ſunt verè humanæ Actiones, quæ à dictis *principiis* proficiſcuntur, ſcil. ab *Intellectu* & *Voluntate*, quæ ideò dicuntur principia *Cauſativa* ſeu *Effectiva*. Dantur autem prætereà Actionum principia alia, ſcilicet (a) *Conſtitutivum*, quod eſt Legiſlatoris voluntas; & (b) *Normativum*, quod ſunt ipſæ Leges. Alii *unicum* Actionum moralium Principium *Cauſativum* conſtituunt, nempè *Proæreſin*. Res eodem recidit.

§. III. (1) *Judicium* hoc eſt Intellectus *Theoreticum*, quod abſolvitur tribus illis vulgò notis Operationibus, hîc etiam indigitatis, ſcil. notionum ſimplicium apprehenſione, eatum inter ſe collatione, ac tandem Syllogiſmo.

(2) *Judicium* hoc eſt Intellectus *Practicum*, quod pro diverſitate Objectorum, futurorum nimirum, præſentium & præteritorum diverſimodè agit.

(3) Hic eſt actus Judicii practici ratione futurorum, & dicitur providentia ſeu *Prudentia*.

(4) Eſt

(4) quin &, quæ peracta jam ſunt, an ad regulam congruant, judicare. (5) Sed nec (quoad *Voluntatem*) omnes hominis facultates ſeſe perpetuo, aut modo uniformi movent: (6) verùm aliquæ iſtarum intrinſeco hominis impulſu excitantur, excitatæque temperantur, & diriguntur. (7) Denique nec in (8) omnia objecta promiſcue homo fertur, ſed quædam appetit, quædam averſatur. Sæpe quoque; licet objectum agendi adſit, motum ſuſpendit; (9) & pluribus objectis præſentibus unum eligit, cætera reſpuit. (10) §.IV.

(4) Eſt actus Judicii Pract. ratione præſentium, & dicitur Conſultatio ſeu *Deliberatio*.

(5) Eſt actus Judicii Practici ratione Præteritorum, & dicitur *Conſcientia*; quô ipſo tamen non negamus, Judicium hoc & præcedere poſſe Actionem; imò ſemper etiam præcedere deberet.

(6) Nimirum ut horologia ſimiliaque arte parata automata, quæ, poſitis omnibus ad movendum requiſitis, iiſque non impeditis (1) non poſſunt non moveri, & (2) motum habent uniformem. Hiſce ſimiles ſunt in homine actiones & facultates *merè Phyſicæ*, quarum modò dedimus exempla.

(7) Hæc eſt *Libertas ratione Principii* talis; aliàs *Spontaneitas*, ſecundum quam homo habet Principium motus intra ſe, quum horologia ſimilesque machinæ moveri à ſeipſis non poſſint, ſed ad motum diſponantur per cauſam externam.

(8) Communiter dicitur hæc *Libertas ratione Exercitii* talis, & exerit ſe in genere per duplicem facultatem, ſcilicet *concupiſcibilem*, quæ appetit, & *iraſcibilem*, quæ averſatur. Cæterum iſta Libertas ex communi doctrina iterum duplex eſt, nimirum

(9) *Libertas Contradictionis* hîc deſcripta. Agere enim & non agere, edere & non edere, ſunt contradictoria; Et

(10) *Libertas Contrarietatis* ſive diverſitatis. Pluribus quippe

&

§. IV. Circa facultatem ergo comprehendendi & dijudicandi res, quæ *Intellectus* vocabulo venit, id ante omnia pro certo habendum eſt: cuilibet homini matura ætate & mente integra tantum ſupereſſe naturalis velut luminis, ut adhibita cultura, ac debita meditatione poſſit recte comprehendere ſaltem generalia illa præcepta & principia, quæ ad vitam hancce honeſte & tranquille exigendam faciunt; ſimulque judicare, iſta utique indoli humanæ congruere. Hoc enim niſi ſaltem intra ſphæram fori humani admittatur, quibusvis ſuis delictis homines ignorantiam invincibilem (1) obtendere poſſent: cum nemo in foro humano argui poſſit violaſſe regulam, quam capere ſupra ipſius vires eſt. *

§. V. Intellectus hominis, quando de eo, quod agendum, vel omittendum eſt, recte informatus fuerit, & quidem ita, ut ſententiæ ſuæ certas & indubias rationes norit reddere, ſolet vocari *Conſcientia* (1) *recta*.

 (2) Sed

& diverſis objectis propoſitis ad hoc vel illud, v. gr. diverſis cibis propoſitis ad hunc, illum, iſtum, imò quem velit, capiendum homo ſe determinare poteſt.

* *Jur. Nat. & Gent.* L. 1. cap. 3. §. 3. *Apolog.* §. 21. in Erid. Scand. p. 37.

§. IV. (1) *Ignorantia invincibilis* quæ ſit, infra §. 8. hujus Cap. traditur.

§. V. (1) *Conſcientia* eſt Judicium intellectus Practicum, ex col-

(2) Sed ubi quis veram quidem ſententiam circa agenda vel omittenda fovet, quam tamen ipſe per rationes demonſtrare nequeat, ſed eandem ex vitæ civilis tenore, ex aſſuetudine, aut ſuperiorum autoritate hauſerit, neque tamen ipſi ſuppetat ratio, quæ contrarium magis perſuadet, ſolet vocari *Conſcientia probabilis.* (3) Qua maxima pars mortalium regitur, quippe cum paucis rerum cognoſcere cauſas conceſſum ſit.

§. VI.

collatione actionis cum lege ortum, & per conſequens eam vel convenientem legi vel non convenientem eſſe indicans. Apparet inde, Conſcientiam ipſam tanquam judicium, cum ſignis & effectibus ejusdem non debere confundi, quod vulgò fit, quando ex facie, loquela & aliis ejusmodi ſignis exterioribus de Conſcientia pronunciamus.

(2) Potius *certa.* Nam & *probabilis* Conſcientia recta eſt. Utraque autem *non rectis* opponitur.

(3) Cave, cum hac probabili Conſcientia confundas *probabiliſmum moralem*, monſtrum illud morale horrendum, ingens; quo nonnulli docuerunt, in agendo quem tutum eſſe poſſe, dummodò magni alicujus viri autoritate munitus agat, licet alii omnes, ipſi Patres Eccleſiæ, imò Sacræ literæ reclamare videantur. Dogma ſcilicet egregium, quô ad peſſimum quodque facinus perpetrandum via ſternitur, quum nihil tàm abſurdè dictum ſit, quod non Patronum inveniat aliquem Philoſophum. Damnatum igitur merito etiam in Eccleſiâ, ubi natum, ab ipſis Pontificibus. Prodiit Liber inſcriptus: *Apologia Caſuiſtarum*, Pariſ. 1657. in quo impius iſte Probabiliſmus fuit defenſus. Sed Papa Alexander VII. publico Decreto eam Apologiam damnavit, A. 1659. d. 21. Aug. Vid. Ludov. Montaltii *Literæ Provincial. per tot.* cum Sam. Rachelii *Examine probabilitat. Jeſuit. p.* 148.

§. VI.

§. VI. Solet tamen quibusdam non raro evenire, circa caſus potiſſimum ſingulares, ut ex utraque parte ſeſe offerant rationes; nec illi ita polleant judicio, ut, utræ præponderent, liquido diſcernere queant. Id quod vocari ſuevit *Conſcientia dubia.* De qua hæc eſt regula: ***Quamdiu in ancipiti hæret judicium, bonum quid ſit, an malum, actio erit ſuſpendenda.*** (1) Nam nondum diſcuſſa dubitatione ad agendum ſeſe determinare, propoſitum peccandi, aut ſaltem neglectum legis involvit. (2)

§. VI. (1) Poteſt ſuo modo huc referri, quod Apoſtolus ait; *quicquid non ex fide procedit, peccatum eſt, Rom. XIV,* 23. Exemplum Conſcientiæ dubiæ occurrit in Sacris 1 *Cor. IIX.* in converſis ex Judaiſmo, idolothyta faſtidientibus, quibus Apoſtolus ſuadet, ut, licet idolothyta edere res in ſe ſit indifferens, Neo-Chriſtiani illi tamen ab iis abſtineant, quamdiu dubitationibus urgeantur. Conf. 1 *Maccab. II,* 34. 36. 41. *ſeqq.*

(2) Omiſſa eſt *Conſcientia ſcrupuloſa,* quæ quamvis cum *dubia* nonnihil conveniat, in eo tamen differt, quod hæc actionem antecedat, illa ſequatur. Vide iterum 1 *Cor, IIX,* 7. Eleganter B. Jac. Thomaſius Conſcientias cum Teſtibus comparat, hoc modò: Habet ſe

Concientia

Recta	certo talis probabiliter talis	ut Teſtis	oculatus. auritus.
Non Recta	erronea, dubia, ſcrupuloſa,	ut Teſtis	falſus. neſciens. varians.

Philoſoph. Pract. ad Tab. XII. Annot. 63. n. 10.

§. VII. Sæpe etiam intellectus hominis pro vero falſum adprehendit; & tunc in *Errore* verſari dicitur. Qui error *vincibilis* ſolet appellari, quando quis adhibita attentione & diligentia debita cavere poterat, ne in eum incideret: *invincibilis* autem, quando quis etiam adhibita omni diligentia, (1) quam vitæ communis ratio fert, iſtum evitare non poterat.* Qualis error (2) tamen ſaltem inter eos, queis rationis lumen excolere, & vitam ad honeſtum componere, cordi eſt, non circa communia vivendi præcepta, ſed duntaxat circa ſingularia negotia incidere ſuevit. * Nam & Naturalis Juris præcepta generalia plana ſunt: & qui leges poſitivas fert, id ante omnia agere ſolet & debet, ut illæ ſubjectis innoteſcant. (3) Unde citra ſupinam negligentiam heic error non naſcitur. Sed in ſingularibus negotiis (4) facile eſt, ut error invito & præter culpam obrepat circa objectum, aliasque actionis circumſtantias.

§. IIX. Ubi verò ſimpliciter cognitio abeſt, vocatur *ignorantia.* Quæ duplici modo con-

* *Jur. Nat. & Gent. l. c. p.* 40. *Apolog. l. c.*

§. VII. (1) i. e. *moraliter* posſibili. vid §. *XIIX. & XX.*

(2) Dicitur alias *error Juris*, qui regulariter non excuſat.

(3) Scilicet per publicationem, vivâ voce vel ſcriptura factam. Lex enim non publicata non obligat. Vid. *Cap. ſeq.* §. *VI. & conſ. L. II. c. XI.* §. 5.

(4) Aliàs *error facti*, qui cæteris paribus excuſat.

§. IIX.

conſideratur ; uno, prout ad actionem aliquid confert ; (1) altero, prout invito, at non citra culpam oborta fuit. (2) Priori reſpectu ignorantia ſolet dividi in *efficacem & concomitantem.* Illa eſt, quæ ſi abfuiſſet, præſens actio non fuiſſet ſuſcepta. (3.) Hæc eſt, quæ licet abfuiſſet, nihilominus actio ſuſcepta fuiſſet. (4.) Poſteriori reſpectu ignorantia eſt *voluntaria*, vel *involuntaria.* Illa eſt, quam quis vel ultro affectavit, rejectis veri cognoſcendi mediis, vel debita diligentia non adhibita obrepere ſibi paſſus eſt. (5.) Hæc eſt, quando quis ignorat, quæ nec ſcire poterat, nec tenebatur. Et hæc iterum *duplex* eſt. Vel enim quis in præſens quidem ignorantiam

A 5 exue-

§. IIX. (1) Aliàs *ratione Influxûs*, ſeu modi influendi, *efficaciter* ſcilicet influxerit, an tantum *concomitanter*.

(2) Al. *ratione Principii*; an videlicet per culpam, an verò citra culpam adſit.

(3) Ex gr. Venator hominem, quem feram putabat, in nemoribus latitantem globulo trajicit, nunquam arma diſploſurus, ſi ſciviſſet, adeſſe hominem. Eſt ergo *ignorantia* in tali caſu *efficax* ad actum producendum, ejusdemque cauſa. Undè in Agente *dolor & improbatio.*

(4) Ex. gr. Petit quis lapide canem, qui in novercam, quam non viderat, aberrans hanc graviter vulnerat. Animadvertens deinde id privignus, novercam utique ſic percuſſurus, ubi præſentem ſciviſſet, *ne ſic quidem malè*, inquit. Eſt ergò ignorantia in tali caſu tantum *comes*; unde in Agente *lætitia & approbatio.*

(5) Hæc eſt in Studioſo, qui, dum in Academiis vixit, omne tempus otio dedit, nihil libris & Collegiis. Poſſet etiam dici *affectata.*

(6) Hæc

exuere non potuit, ut tamen in culpa ſit, quare in tali ſtatu verſetur. (6.) Vel non ſolum in præſens ignorantiam vincere nequit; ſed & in culpa non eſt, quare ad talem conditionem ſit devolutus. (7.)

§. IX. Altera Facultas, quæ in homine præ brutis peculiariter cernitur, *Voluntas* vocatur; per quam velut intrinſeco impulſu ad agendum ſeſe homo movet, & eligit, quod ſibi maximè arridet; averſatur, quod ſibi non convenire videtur. Habet igitur homo à voluntate, tum ut *ſponte* agat, i. e. ut non per intrinſecam aliquam neceſſitatem ad agendum determinetur, ſed actionis ſuæ ipſe autor ſit; tum ut *libere* agat, i. e. ut uno objecto propoſito poſſit agere vel non agere, idemque eligere vel reſpuere; aut pluribus objectis propoſitis unum eligere, cætera reſpuere. Porro cum actionum humanarum quædam propter ſe ſuſci-

(6) Hæc quidem *involuntaria* eſt *ſecundum quid*, & *in ſe*, *ſed non in ſua cauſa*; Hinc nemo citra ſuam culpam in talem pervenit, & certô modô etiam *affectata* eſt. Indè verba præcedentia: *non tenebatur* rectius omitterentur. Ex. gr. Judex debet ſententiam ferre; neque tamen poteſt, quia in Academiis loco Collegiorum Juridicorum tabernas vinarias frequentavit, & adeò in Ignorantia Juris verſatur. Certè hæc quidem *involuntaria* nunc eſt, ſed in ſe tantum, non in ſua cauſa.

(7) Hæc *in ſe* & *in ſua cauſa* involuntaria vereque invincibilis eſt. Ita ignorantur, quæ ſciri noſtri officii nec eſt, nec unquam fuit.

§. IX.

ſuſcipiantur, quædam quatenus ad aliud conſequendum inſerviunt, id eſt, quædam rationem *finis*, quædam *mediorum* habeant: circa *finem* quidem ita voluntas verſatur, ut eum cognitum primo adprobet, (1) dein ad eundem conſequendum efficaciter ſeſe moveat, & velut ad eum tendat, vehementius aut remiſſius; (2) eoque obtento adquieſcat placideque fruatur. (3) *Media* autem primo probantur, (4) tum quæ maxime idonea fuerint viſa, eliguntur, (5) ac demum uſui adplicantur. (6)

§. X. Quemadmodum autem hoc maxime nomine homo actionum ſuarum autor habetur, quia ipſe voluntariò eas ſuſcepit: ita circa Voluntatem id imprimis obſervandum, ejus *Spontaneitatem* utique aſſerendam eſſe, ſaltem circa illas actiones, de quibus ab homine in foro humano ratio ſolet exigi. (1) Ubi autem homini nihil plane ſpontaneitatis relinquitur, ibi non ipſe homo, ſed qui eidem neceſ-

§. IX. (1) Scholaſticis aliàs dicitur *Volitio*.
(2) al. *Intentio*.
(3) al. *Fruitio*.
(4) Scholaſticis aliàs *Conſenſus*.
(5) al. *Electio*.
(6) al. *Uſus*.
§. X. (1) Tales ſunt *exteriores*, & interiores, quatenus foras prorumpunt. Non ergo huc pertinent *motus primi*, quippe qui in hominum poteſtate non ſunt, ut & *cogitationes*, utpote quæ non ſunt objectum fori humani.

§. XI.

neceſſitatem adfert, autor habebitur actionis, ad quam homo invitus membra vireſque ſuas accommodat.

§. XI. Porro quanquam Voluntas *bonum* in genere (1) ſemper *adpetat*, & *malum* in genere *averſetur:* (2) magna tamen inter ſingulos homines tùm adpetituum, tum actionum cernitur varietas. Idque inde provenit, quod non omnia bona & mala homini velut pura appareant, ſed invicem mixta, bona malis, mala bonis: (3) & quia diverſa objecta diverſas velut partes in homine peculiariter afficiunt, (4) v. g. quædam æſtimationem illam, quam homo de ſe ipſo habet; (5) quædam ſenſus ejus exteriores; (6) quædam amorem ſui,

§. XI. (1) Intellige *bonum & malum phyſicè talia*, i. e. quæ vel ad conſervationem vel deſtructionem ejus facere videntur. Repugnaret enim hominis indoli: adpetere, quæ deſtruunt, & averſari, quæ conſervant.

(2) Ac adeò *Libertas* ejus adhuc adſerta tolli videatur. Sic enim poſſit concludi: ſi homo ſemper bonum adpetit & malum averſatur, ſequitur, quod uniformiter agat, & per Conſequens non liberè. Ad quod reſponſio facilis, modò limitatio addatur: Si homo ſemper bonum adpetit & malum averſatur, ſcil. *cum negatione Potentiæ contrariæ*. Sic negatur Antecedens.

(3) *Varietas* ergò illa eſt partim à Qualitate Objectiva;

(4) Partim *à Qualitate Subjectivâ.* Dum enim homines diverſimodè diſpoſiti ſunt, & objecta ſenſus movent, hinc non poteſt non in agentibus magna naſci varietas.

(5) Hinc, ſi quis æſtimationi iſti plus juſtô indulget, vitium *Superbiæ*, quô qui laborant, *Decora* præ cæteris ſectantur.

(6) Hinc facilè *Libidines* & fœdæ voluptates, ſi quis ſibi non tem-

ſui, quo ſe ipſum conſervare ſtudet. (7) Ex quo eſt, quod illa quidem homo adprehendat tanquam *decora*, iſta tanquam *jucunda*, hæc tanquam *utilia*. Et prout quodque horum validum motum homini impreſſit, ita eundem quoque verſus ſe peculiariter propendere facit. Cui accedit in plerisque hominibus ad certa quædam *peculiaris inclinatio*, aut à certis averſatio. (8) Hinc fit, ut circa quamlibet fere actionem ſeſe ſimul offerant ſpecies bonorum & malorum, verorum aut adparentium, ad quas ſolide diſcernendas aliis major, aliis minor eſt perſpicacia. Inde mirum non eſt, unũ in id ferri, abs quo alter maximè abhorret.

§. XII. Sed nec (1) ſemper Voluntas hominis

temperet, ad quas qui inclinant, *Jucunda* inprimis circumſpiciunt.

(7) Hinc *Avaritia*, ſi amor iſte non probè coercetur; ad quam qui propendent, *Utilia* omnibus aliis præferunt. E propenſionibus hominum pravis tanquam Cardinales has conjungit Johannes, 1 *Epiſt.* 2, 16. Conf. Grotium *J. B. & P. L.* 2. *c.* 20. *§.* 29.

(8) Aliunde nimirum, quam à dictis Cardinalibus pravitatibus orta; de quibus in §. §. ſeqq. Cùm præcedentes veluti communes hominum ſint.

§. XII. (1) Connectuntur hæc cum verbis initialibus paragraphi præcedentis, tali ſenſu: *Quamvis ſic diſpoſita ſit hominis Voluntas, ut in genere Bonum ſemper adpetat, & Malum averſetur; non tamen, ubi ad praxin quoad actiones has vel illas in ſpecie perventum fuerit, in æquilibrio poſita, ſed in libertate ſuâ quodammodò impedita videtur*; Defenſa nimirum hactenus fuit Voluntati quidem ſua Libertas; ſed inclinatur tamen ea momentis variis & *vergentiis*, vel omninò *tollitur* §. *XVI.* (2) Sci-

minis circa quamlibet actionem velut in æquilibrio (2) poſita deprehenditur, ſic ut inclinatio in hanc aut illam partem unice ab *impulſu* ejusdem *intrinſeco* (3) poſt mature perpenſa omnia proveniat: ſed frequentiſſimè per *extrinſeca* velut *momenta* verſus unam magis quam alteram partem homo propellitur. Ut enim prætereamus communem illam mortalium in prava proclivitatem, cujus originem atque indolem alterius fori eſt excutere; (4) *primo*, Voluntati ſingularem quandam vergentiam (5) conciliat *peculiaris ingenii diſpoſitio*, qua ad certum genus actionis aliqui valde proclives redduntur. Quæ non in ſingulis tantum hominibus; ſed & integris in nationibus (6) deprehenditur. Eam autem producere videtur cœli nos ambientis, ſolique genius, (7) humorum in corporibus temperatura,

(2) Scilicet volendi & nolendi, adpetendi bona vel fugiendi mala.

(3) In præcedentibus adſerto.

(4) Novimus, eheu! noſtra mala; ſed niſi Sacræ Literæ traderent, originem eorum cum ignariſſimis ignoraremus.

(5) *Inclinatur* Voluntas per *Vergentias* vel leviores, easque tum naturales, *h.* §*pho*, tum morales, §. *ſeq.* vel graviores. §. 14. §. 15.

(6) Conferendi hic Barclajus, in *Icone animorum*; Scipio Claramontius, *de Conjecturandis cujusque moribus, & latitantis animi affectibus*; Neuhuſius, *Theatr. Ingenii human.* maximè *L. I. c.* 17.

(7) Indè Arcadicum pecus. Et ap. Juvenal.
Vervecum in patriâ craſſoque ſub aëre nati.
Sat. X. v. 50.

(8) Si

ratura ex ipſo ſemine, ætate, victu, valetudine, ſtudiorum ratione, ſimilibusque cauſis proveniens; item conformatio organorum, queis animus ad functiones ſuas obeundas utitur, (8) & ſimilia. Ubi notandum, (præterquam quod homo adhibitâ curâ *temperamentum* ſuum non parum retundere & alterare poſſit) quantacunque etiam vis eidem tribuatur, non tamen eousque illa valere judicanda eſt, ut hominem neceſſario in violationem Legis Naturalis rapiat, quousque hæc in foro humano exercetur; ubi pravæ cupidines, intra actum exteriorem ſubſiſtentes, non attenduntur. * Adeoque ſi vel maxime natura recurrat, furcâ licet expulſa, id tamen prohiberi poteſt, ne exteriores actiones vitioſas producat. Et, quæ in ſuperanda ejusmodi inclinatione occurrit difficultas, illam ſplendor laudis penſat, quæ heic victorem manet. Quod ſi autem ejusmodi ſtimuli animum concutiant, quos nulla ratio, quo minus erumpant, reprimere poteſt; via tamen eſt, ut citra peccatum velut depleri queant. (9)

§. XIII. Val-

(8) Si enim organa malè conformata, ſanguinis Circulatio impeditur, & per conſequens Spiritûs ſanguini innatantes tàm expeditè munere ſuo fungi nequeunt.

* Hug. *Grot. Jur. Bell. & Pac. L. II. c.* 30. §. 18.

(9) Sic, qui in Venerem pronus eſt, Uxorem ducat; Qui in Iracundiam & pugnas, militiæ ſe dedat, & in uno conflictu vel centum hoſtes proſternat. §. XIV.

§. XIII. Valde quoque *ſecundò* in certas actiones voluntatem inclinat frequens ejusdem generis actionum repetitio, ex qua enata proclivitas *Conſuetudo* vocatur. Per hanc quippe efficitur, ut libenter & expedite actio aliqua ſuſcipiatur, ſic, ut objecto præſente in id velut trahi animus videatur, aut idem abſens vehementiſſimè deſideret. De qua id obſervandum; ***uti nulla videtur eſſe adſuetudo, quin eam adhibita diligentia iterum exuere poſſit homo; ita nulla quoque animum eousque detorquere valet, ut non exterioribus ſaltem actibus, in quos illa rapitur, heic & nunc cohibendis par homò ſit.*** Et quia penes hominem fuit, ejusmodi adſuetudinem contrahere; inde utut hæc actiones facilitet, tamen neque bonarum actionum pretio aliquid decedit; neque pravarum malitia redditur levior. Quin uti bona adſuetudo hominis laudem, ita prava ejusdem turpitudinem intendit.

§. XIV. Plurimum quoque *Tertio* intereſt, an placida tranquillitas animo conſtet; an vero idem peculiaribus motibus, quos *Affectus* vocant, concutiatur. (1) Circa quos illud tenendum: ***quantumcunque vehementes iſti***

§. XIV. (1) Affectus inter Vergentias *graviores* ſupra retulimus, quia cum impetu adveniunt. Vid. plura de Affectibus infr. *Cap. V.* §. 6.

(2) Id

iſti ſint, tamen debito rationis uſu hominem iisdem ſuperiorem eſſe poſſe, ipſorumque impetum ſaltem intra ultimum actum ſiſtere. (2) Cum autem Affectuum alii excitentur ſpecie boni, alii ſpecie mali, & ſtimulent, vel ad adquirendum aliquod gratum, vel declinandum moleſtum: naturæ humanæ congruens eſt, ut hos, quam illos plus favoris aut veniæ mortales inter comitetur, (3) eoque magis, quo infeſtius & intolerabilius fuit malum, quod eos excitavit. Longe quippe tolerabilius habetur, carere bono ad naturæ conſervationem non adeo neceſſario, quam excipere malum ad naturæ deſtructionem tendens. (4)

§. XV. Denique uti dantur certi *morbi*, (1) qui uſum rationis in perpetuum, aut ad

(2) Id quod omnes Legislatores ſupponunt. Confer latius Autorem, *Jur. Nat. & Gent. L. I. cap.* 4. § 7. *Apolog.* §. 22. in Erid. Scand. *pag.* 39. & Senault. *de l'uſages des Paſſions Tract.* 3. *Diſc.* 1. *p.* 131. it, Moulin, *de la Paix de l'ame*, paſſim.

(3) Quæri ſolet, *undè ſit, quod communiter magis miſereamur hominis, qui ex iracundia aliquem occidit, enecandi, quàm furis ad patibulum ducendi?* Et peti poteſt ratio ejus aliqua ex hiſce Autoris dictis: quia nimirum fur in turpi lucro captando, homicida verò in damno, quod alter forte ſanitati, vitæ aut famæ intentarat, evitando conſtitutus fuit.

(4) Vid. Grotius, *J. B. L.* 2. *c.* 20. § 29. 31.

§. XV. (1) Pertinent & hi ad *Vergentias graviores*, quia itidem ferè cum impetu adveniunt,

(1) Quo-

tempus, plane tollunt, ita multas apud nationes frequens eſt, homines ſibi ultro arceſſere morbi quoddam genus brevi tranſiens, uſum rationis non parum perturbans. Quo innuimus *ebrietatem* ex certis potulentorum generibus, ac quibusdam fumis, provenientem; quæ violento motu ſanguinem ac ſpiritus impellit & turbat, ac ad libidinem imprimis, iram, temeritatem, & enormem lætitiam homines proclives reddit; ſic ut multi velut extra ſe per ebrietatem rapti videantur, & diverſum plane genium induiſſe, quam quo ſobrii conſpiciebantur. Hæc tamen uti non ſemper omnem uſum rationis ſequeſtrat, ita, quatenus ultro arceſſita eſt, odium potius quàm favorem actionibus per eandem ſuſceptis conciliare apta eſt. (2)

§. XVI. Porro actiones humanæ uti *voluntariæ* ſolent vocari quatenus à voluntate proficiſcuntur & diriguntur: ita ſi quæ reluctante voluntate ſcienter ſuſcipiuntur, *invitæ*, (1) adpellantur, preſſius ſumto hocce vocabulo. Nam latius id acceptum etiam illas comprehendit, quæ per *ignorantiam* patrantur. (2) Invitum autem nobis hoc loco

(2) Quotiescunque enim quis excipiendo ſe fundat in re illicita, toties exceptio eum magis gravat, quàm juvat.

§. XVI. (1) *Tollitur* Voluntatis arbitrium quoad exteriores Actiones per vim & metum. Vid. *Not.* 1. *ad* §. *XII.*

(2) Vulgò ſic exprimunt, quod *Invitum* ſit tale a) *per coactio-*

co idem notat, quod *coactum*; (3) quando nempe quis ab extrinſeco principio validiore adigitur membra ſua adplicare, ita ut averſationem & diſſenſum ſuum ſignis ac præcipue renitentia corporis ſignificet. Minus autem propriè invita & illa dicuntur, quando incumbente graviore neceſſitate aliquid tanquam minus malum eligitur, & ſuſcipitur, abs quo alias homo extra neceſſitatem conſtitutus vehementer abhorrebat. Quales actiones vulgo *mixtas* vocant. Hæ cum ſpontaneis illud habent commune, quod voluntas pro præſenti ſtatu eas utique *eligat* tanquam minus malum. Cum invitis autem aliquatenus *quoad effectum* conveniunt, quod vel plane non, vel non ita graviter, uti ſpontaneæ, ſoleant agenti imputari. (4)

§. XVII. Cæterum actionum humanarum, quæ ab Intellectu & Voluntate profici-

actionem, b) *per ignorantiam*. Hujus exemplum dedimus ſuprà, in *Not.* 3. *ad* §. *IIX.* de Venatore

(3) Coactio illa aliàs triplici modò ſe potiſſimum exſerit; dum per vim vel compellimus aliquem ad aliquid faciendum; vel expellimus aliquem; vel ei aliquid auferimus. Inde *vis alia compulſiva*, alia *expulſiva*, alia denique *ablativa*.

(4) Ex. gratiâ, ſi Nauta tempore imminentis gravis tempeſtatis, ut evitet naufragium, merces in mare projicit, *eligit* quidem malum minus; ſed *imputari* id ipſi non poteſt, ſcilicet, ut damnum per projectas merces datum Domino reparet.

* Autor,

ſcuntur & diriguntur, hæc eſt *præcipua* (1) *Affectio*, * quod illæ homini poſſint *imputari*, ſeu, quod homo pro earum autore recte poſſit haberi, ac ad reddendam de iisdem rationem adſtringi, quodque in ipſum redundent effectus, qui ex iſtis proveniunt. Nulla enim propior ratio eſt, quare alicui actio quæpiam imputari poſſit, quam quia ab iſto ſciente & volente, mediate aut immediate, profecta eſt; ſeu, quia penes ipſum fuit, ut fieret vel non fieret. Hinc *axiomatis primarii* loco in diſciplinis moralibus ad forum humanum (2) ſpectantibus habetur; quod *de illis actionibus ad rationem poſci queat homo, quæ ut fiant penes ipſum eſt:* ſeu, quod eodem recidit, quod *quælibet actio directionis humanæ capax, quam penes aliquem eſt fieri vel non fieri, ipſi queat imputari.* Sic & contra nemo pro autore ejus actionis haberi poteſt, quæ penes ipſum neque in ſe, neque in ſua cauſa fuit.

§. XIIX.

* Autor, *Jur. & Gent. L. I. c. 5. §. 3. Spicileg. Jur. Natur.* §. 12. in Erid. pag. 343.

§. XVII. (1) Præcipua hæc Affectio recte etiam *Formale Actionis humanæ Conſecutivum* vocatur, quia ut proprium in quarto modo, ceu Logici loquuntur, eam conſequitur. Cave igitur, ne cum ipſo *Formali Conſtitutivo* confundas, quô de antea §. II. actum. Conf. Dn. Hochſteter, *Colleg. Pufendorfian. Exercitat. 2. ad §. 6. not. c.*

(2) Alia enim eſt ratio fori divini, ubi (& quidem juſtè) etiam imputantur, quæ ratio humana hac in parte cœca

nobis

§. XIIX. Ex hiſce præmiſſis aliquot particulares formabimus propoſitiones, unde conſtet, quid cuique imputari, ſeu, cujus actionis eventusque autor quisque poſſit haberi. *I. Actiones ab* (*a*) alio *patratæ, ut &* (*b*) operationes *quarumvis* aliarum rerum, *nec non quivis* (*c*) eventus, *non poſſunt alteri imputari, niſi quatenus ille poteſt & tenetur iſtas moderari.* Nihil quippe eſt frequentius inter *homines*, quam ut (*) uni commiſſum ſit, alterius actiones dirigere. (1) Heic igitur ſi actio aliqua ab altero ſit patrata, circa quam iſte omiſit, quod penes ſe erat, actio illa imputabitur non ſolum ei, qui immediate ipſam patravit, ſed etiam iſti, qui ex debita & poſſibili directione aliquid omiſit. Habet tamen ea res fere ſuum modum finemque, ſic ut illud *poſſibile* cum aliquo velut temperamento & moraliter ſit intelligendum. Cum per quamcunque ſubjectionem unius ſub (*) *Quod primum.*

B 3 altero

nobis non imputanda arbitrari poſſit. V. gr. Peccata Protoplaſtorum.

§. XIIX. (1) Ita Rectores Civitatum, & Magiſtratûs ſubalterni actiones Civium: Domini actiones Servorum, Parentes, Magiſtri, Præceptores actiones liberorum dirigunt, &c.

(2) Sci-

altero ſubjecti tamen libertas non extinguatur, quin alterius directioni reniti, (2) & in diverſa tendere, poſſit; nec vitæ humanæ indoles ferat, ut quis uni perpetuo velut affixus, omnes iſtius motus obſervare queat. Igitur ſi quis omnia fecit, quæ directionis ſibi injunctæ natura ferebat, ubi nihilominus quid ab altero patratum fuit, patranti ſoli imputabitur. Sic poſtquam (*) in *animalia* (3) homines dominium exercent, quæ per illa in alterius detrimentum facta ſunt, domino imputabuntur, ſiquidem is ex debita cuſtodia & circumſpectione aliquid neglexit. Sic & *quævis mala, quæ alteri obtingunt,* (*) imputari iſti poſſunt, qui eorum cauſam & occaſionem, cum poſſet & deberet, non ſubtraxit. (4) Sic cum multarum

(*) *Quod alterum.*

(*) *Quod tertium.*

(2) Scilicet de facto, & per libertatis abuſum.

(3) Ad res in LL. Romanis etiam referuntur *Servi*. Inde ſi damnum ab hiſce datum, ordinatæ erant adverſus Dominos *Actiones Noxales*; in ſpecie, quoad damna *Animalium*, *Actio de Pauperie*, ad eum effectum, ut Dominus vel noxæ dedat, vel damnum illatum reparet. Conf. infra C. VI §. 11.

(4) Sermo eſt de *Eventibus* & *Caſibus*, qui, ſi *puri*, regulariter non imputantur. Tales enim humanis conſiliis nec prævideri nec averti poſſunt. Aliud ergo eſt, ſi *Culpa* caſum præceſſerit, quo de pluribus *d. C. VI.* §. 9. & de tali eventu loquitur *l.* 16. §. 8. *ff. de Pœn.*

(5) Sic

rum rerum naturalium operationes promovere aut ſuſpendere (5) ſit penes homines, quod ab hiſce commodi vel damni datum ſit iſtis imputabitur, quantum eorundem opera vel neglectus ad id momenti attulit. Aliquando etiam *præter ordinem* imputantur alicui eventus tales, qui alias ſupra humanam directionem ſunt, quatenus intuitu certi hominis iſtos divinum Numen peculiariter procuravit. (6) Extra hoſce & ſimiles caſus ſufficit, ſi de propriis actionibus rationem quis poſſit reddere.

§. XIX. *II. Quæcunque in quolibet homine ſunt, quæ penes ipſum non fuit, ut adeſſent, vel non adeſſent, non poſſunt ipſi imputari, niſi quatenus per induſtriam naturalem defectum non ſupplevit, aut nativas vires non adjuvit.* Sic cum perſpicaciam ingenii viresque corporis nemo ſibi præſtare poſſit, nemini quoque eo nomine imputari quid poterit, niſi quantum culturam adhibuit, aut adhibere neglexit. Sic non ruſtico, ſed urbano atque aulico horri-

(5) Sic diligens paterfamilias meliora reddere prædia; negligens deteriora facere poteſt.

(6) Ex. gr. *Calamitates publicæ* dicuntur aliquando terræ alicui immitti propter peccata mali Principis, cujus tamen actiones dirigere penes populum non erat. Et vice verſa Deus propter unius alteriusve pietatem Civitati aliquando pepercisse dicitur. Vid. *Geneſ.* 18, 24. *ſeqq.*

di mores vitio vertuntur. Unde & valde abſurdæ ſunt judicandæ exprobrationes ejusmodi qualitatum, quarum cauſa penes nos non fuit; v.gr. brevis ſtaturæ, formæ parum felicis, & ſimilium.

§. XX. *III. Quæ per ignorantiam invincibilem* (1) *patrantur, imputari non poſſunt.* Quia neque dirigere actionem poſſumus, ubi intellectus lumen non prælucet: & præſupponitur, tale lumen ſibi hominem non potuiſſe comparare, neque quo minus poſſet, in culpa fuiſſe. Quin & in vita communi *τὸ poſſe* moraliter accipitur pro illa facultate, ſolertia, & circumſpectione, quæ vulgo ſufficere judicatur, & quæ probabilibus rationibus ſubnixa fuit.

§. XXI. *IV. Ignorantia, ut & error, circa Leges, & officium cuique injunctum, ab imputatione non liberat.* (1) Nam qui leges & officium alicui injungit, efficere ſolet & debet, ut in notitiam ſubjecti illæ perveniant. Et ad ſubjecti captum leges ac regulæ officii attemperari ſolent & debent, circa quas cognoſcendas & retinendas quemlibet ſollicitum eſſe oportet. Unde qui eſt cauſa

§. XX. (1) Adde, & *efficacem*, nec non per *Errorem invincibilem*. Conf. §§. *præcedentes VII. IIX.* Sic *ignorantia invincibilis* eſt *ignorantia facti alieni*, ad nos nullâ ratione ſpectantis.

§. XXI. (1) Vid. notata *ad* §. *VII.*

(2) *Igno-*

cauſa ignorantiæ, reſpondere etiam tenebitur de iis actionibus, quæ ex illa ignorantia promanant. (2)

§. XXII. *V. Cui Occaſio agendi citra ſuam culpam deeſt, illi non imputatur, quod non egerit.* (1) Videtur autem occaſio quatuor hæcce complecti; ut *objectum* actionis ſit in promptu; ut adſit commodus *locus*, ubi non poſſimus ab aliis impediri, aut malo aliquo multari; ut adſit opportunum *tempus*, quo non ſint obeunda negotia magis neceſſaria, quodque item aliis, qui ad actionem concurrunt, ſit opportunum; ut denique *naturales agendi vires* ſuppetant. Citra iſthæc enim cum actio fieri nequeat, etiam abſurdum fuerit, ſi alicui imputetur, ad quod agendum occaſio defuit. Sic Medicus ſegnitiæ non poteſt argui; ſi nemo ægrotet. (2) Sic liberalis eſſe non conceditur qui ipſe indiget. (3) Sic talentum ſuum defodiſſe argui nequit, cui rite ambienti ſtatio denegata fuit. (4) Et cui multum datum fuit, ab eo multum repetetur.

(2) *Ignorantia Juris* Naturalis & Poſitivi tùm divini, tùm humani, quatenus ad quemlibet in ſuo ſtatu pertinet, non excuſat, ſi quid mali indè eveniat. Qui enim eſt cauſa cauſæ, morali æſtimatione etiam eſt cauſa cauſati. Et Jura vigilantibus ſunt ſcripta. *Vid.* §. *IIX.*

§. XXII. (1) Conf. *l.* 16. §. 1. *ff. de Pœnis.*

(2) Deficit enim *Objectum.*

(3) Deficiunt *Vires.*

(4) Deeſt *Locus* ſeu ſpacium morale.

(5) *Luo.*

petetur. (5) Sic non poſſumus ſimul ſorbere & flare. (6)

§. XXIII. *VI. Non poteſt* quoque *alicui imputari, quod non præſtiterit ea, quæ vires ipſius excedunt, neque per eas prohiberi aut effici poſſunt.* Inde vulgo, *impoſſibilium nulla eſſe obligatio*, dicitur. (1) Addendum tamen: *modo quis ſua culpa vires præſtandi non detriverit, aut perdiderit.* (2) Hic enim eodem modo tractari poteſt, atque ſi vires adhuc obtineret; (3) cum alias facilis eſſet via, quamvis obligationem paulo laborioſiorem eludendi, ultro corruptis præſtandi viribus. (4)

§. XXIV. *VII. Imputari* quoque *non poſſunt, quæ quis coacte patitur* (1) *aut agit.* Talia enim amoliri aut defugere ſupra ipſius

(5) *Luc.* 12. *v.* 48.

(6) Propter defectum *Temporis.* Reſpicit autem ad locum Plauti, *in Moſtellaria, Act.* 3. *Sc.* 2. *v.* 104. *ſeq.*

§. XXIII. (1) Et hoc intelligendum de impoſſibilitate tàm *phyſicè*, quàm *moraliter* tali; quâ de poſteriore lex notiſſima 15. *ff. de Condit. inſtitution.* aureis certè literis omnium hominum cordibus inſcribenda.

(2) Ex. gr. ſit Miles, qui dum excubias agere debet, per ebrietatem nimiam vires id faciendi detrivit.

(3) Adde: & officium facere nollet.

(4) Adde etiam alteram limitationem: *niſi quis infirmitatis ſuæ conſcius ſe negotio temerè immiſcuerit.* Exemplum eſt in mulione, qui mulas per infirmitatem regere non poteiat. §. 9. *Inſt. de L. Aquil.*

§. XXIV. (1) Stultè ergo Lucretia: *ego me etſi peccato abſolvo,*

ipſius vires poſitum intelligitur. Cogi autem dicimur duplici modo; uno, quando alius valentior per violentiam noſtra membra ad aliquid agendum aut patiendum adplicat; (2) altero, (3) ſi potentior grave aliquod malum cominus intentet, (4) (idque ſtatim repræſentandi facultatem habeat,) niſi ultro nos ad aliquid faciendum moveamus, aut à faciendo abſtineamus. (5) Tunc enim, niſi expreſſe obligemur, id, quod alteri eſt inferendum, noſtro malo redimere, is, qui eam nobis neceſſitatem adfert, pro autore facinoris habebitur; nobis autem non magis factum iſtud imputari poterit, quam gladio aut ſecuri cædes.

§. XXV. *IIX. Eorum, qui rationis uſu deſtituuntur, actiones non imputantur.* Quia, quid agatur, liquido dignoſcere & ad nor-

ſolvo, ſupplicio non libero. ap. Livium, *Decad. I. L. I. circ. fin.* Rectius illa:

Hab Danck Lucretia deiner Ehr;
Jetzund erſticht ſich keine mehr.

(2) Id eſt *per vim;*

(3) Id eſt, *per metum*, qui vel ab *homine* procedit; vel ab alia quadam *neceſſitate*. Vid §. XVI.

(4) Diſplicet hoc Dn. Hochſtetero, *Colleg. Pufendorf. ad h. l. p.* 105. Sed puto, in hoc loco excuſandum Pufendorfium, quia de metu juſto loquitur: Aliud dicendum de loco, *L.* 2. *cap.* 12. §. 9. ubi erroneam ſine dubio Pufendorfius tuetur ſententiam.

(5) *Juſtus* inde dicitur talis metus, non quidem ratione inferentis; ſe ratione perferentis; dum communem hominum conſtantiam ſuperare cenſetur.

§. XXV.

normam comparare nequeunt. Et huc ſpectant actiones infantum, (1) antequam uſus rationis paulo diſtinctius ſeſe incipiat exſerere. (2) Quod enim iſti propter quasdam actiones increpantur aut verberantur, id non ideo fit, quaſi in foro humano pœnam propriè dictam meriti ſint, ſed per modum nudæ emendationis & diſciplinæ; ne per talia moleſtiam aliis faceſſant, aut, ne pravam adſuetudinem contrahant. Sic & furioſorum, mente motorum, & delirorum actiones pro humanis non habentur, quibus quidem citra ſuam culpam iſte morbus provenit. (3)

§. XXVI. *IX.* Denique *imputari non poſſunt, quæ quis in ſomniis agere ſibi videtur*, (1) niſi quatenus talibus interdiu cogitandis

§. XXV. (1) Ratione tàm Contractus, quàm delicti.

(2) Vim rationis per ætatum gradus non determinat Jus Naturale, ſed illud Legiſlatoribus Civilibus relinquit, quia à ſpecialibus determinationibus Jus Nat. tanquam Univerſalis diſciplina prorſus abſtinet. Conf. infr. *C. IX.* §. 11.

(3) Imò vix unquam in humano foro, ad quod tamen Jus Nat. Autor accommodat, & talibus quid imputabitur, ſaltim ad pœnam ordinariam; licet morali æſtimatione non extra culpam ſint habendi.

§. XXVI. (1) Cogitandum hic de Delictis dormientium, Somniantium, & Noctambulonum, quam in rem elegans diſputatio extat Dn. Thomaſii, *de Jure circa Somnum & Somnia*, quæ utiliter hic legi poterit. Singulare exemplum refert Paulus Freherus, *Theatr. Viror. Erudit. claror. p.* 777. Conradus, Baro de Degenfeld, A. 1600. à lunatico quodam Nobili, ſibi amiciſſimo, cum quo in eodem lecto cubuerat, gladiô fuit confoſſus, Nobilis hic in ipſo fere-

tandis cum delectatione immoratus, eorum imagines animo alte impreſſit; etſi & hæc rariſſimè in foro humano attenduntur. (2) Aliàs enim phantaſia in ſomno eſt veluti cymba ſine rectore fluitans, ſic ut penes hominem non ſit præſtare, qualia viſa iſthæc effingat.

§. XXVII. Circa imputationem autem *actionum alterius* paulo diſtinctius (1) obſervandum, quod aliquando quidem contingat, ut actio ei qui immediatè eam patravit, (*) plane non imputetur, ſed alteri, qui hoc tantum velut inſtrumento uſus (**) eſt. (2) Sed frequentius eſt, ut & ei, qui actionem patravit, & alteri, qui ad eandem agendo quid vel omittendo concurrit, illa ſimul imputetur. (3) Id quod fit *triplici* potiſſi-

(*) *Dicitur al. cauſa Phyſica.*

(**) *al. Cauſa Moralis.*

feretro, quô Degenfeld jacebat, decollatus fuit, licèt conſtanter affirmavit, ſe nullàm aliam ob cauſam cædem perpetraſſe, quàm quod Degenfeld in ſomnis ſibi viſus fuerit ſtrictô gladio occurrere.

(2) Sic Romani Imperatores ſomnia quandoque lege Jul. Majeſtatis coercuerunt. Tacit. *Annal. L. XI. c.* 4. Amian. Marcellin. *Hiſtor. L. XV. c.* 3. Vid. Thomaſ. *l. c. cap. V.* §. 7 *ſeqq.*

§. XXVII. (1) Quia ſcilicet jam §. 18. aliquid dictum de Imputatione Actionum alienarum.

(2) Exemplum præbet præcedens §. XXIV.

(3) De imputatione *ratione reparationis damnorum, in ſpecie* infra

tiſſimum *modo*; *vel* ut alter (4) principalis cauſa actionis, patrator minus principalis habeatur; *vel* ut uterque pari velut paſſu ambulet; *vel* ut alter minus principalis, patrator principalis cauſa ſit. Ad *primam claſſem* pertinent, qui alterum autoritate ſua ad quid permoverunt: qui conſenſum requiſitum adhibuerunt, citra quem alter agere non poterat; qui poterant & debebant prohibere, & non fecerunt. (5) Ad *ſecundam claſſem* pertinent, qui mandant, aut ad facinus patrandum conducunt; qui adjuvant; (6) qui receptum & defenſionem præſtant; (7) qui, cum opem ferre injuriam patienti poſſent & deberent, non fecerunt. Ad *tertiam claſſem*

infra *Cap. VI.* §. 8. Hoc loco præcipuè agitur *de imputatione in præmium vel pœnam*, qaamvis in plurimis magis ad *æſtimationem moralem*, quàm ad *cenſuram fori humani* reſpiciatur. Conf. Grot. *L.* 2. *c.* 21. §. 1. *ſeqq.*

(4) Scilicet qui eſt *Cauſa moralis*, vere ea, quæ influit in actum intentione directâ.

(5) Huc pertinet *Patientia cum ſcientia & facultate prohibendi conjunctâ.* Vid. Grotium, *L.* 2. *c.* 21. §. 2. *n.* 2. 3. ubi exempla adducit. Et infra Autorem, *L.* 2. *c.* 16. §. 9. junctâ *Not.* 2.

(6) Auxiliô cooperativô proximô, non remotô. Ex. gr. qui, dum fures adſcendunt, ſcalas tenent, qui in effringendis januis feneſtrisque præſto ſunt; non, qui ſcalas, & inſtrumenta ad effractionem commodant.

(7) Inde Germani: Der Heeler iſt ſo gut als der Stehler.

(8) Aliàs

ſem referuntur, qui conſilium (*) (*) *etiam.* ſpeciale (8) dant; qui laudant (9) & aſſentantur ante patratum facinus; qui exemplo ſuo ad peccandum accendunt, (10) & ſimiles.

(8) Aliàs *inſtructorium.* Multo ergo minus pro Principali habebitur, qui conſilium tantum *monitorium* ſeu generale ſuggerit.
(9) *Quid intereſt inter ſuaſorem facti & probatorem?* ait Cicero, *Philippic.* 2.
(10) Conferunt enim ad delicta intentione ſaltim indirectâ.

CAPUT II.

DE NORMA ACTIONUM HUMANARUM, SEU DE LEGE IN GENERE ET DE JUSTITIA.

§. 1. Legis Neceſſitas.
2. Definitio.
3. Forma, Obligatio.
4. Subjectum, homo ſubjectus.
§. 5. Cauſa efficiens, Superior Imperans.
§. 6. Principium cognoſcendi, Promulgatio.
7. Legis Partes.
8. Objectum ſeu Materia.
§. 9. Contraria Legi, Diſpenſatio, & Mutatio.
§. 10. Æquitas quid?
§. 11. Diviſio actionum, intuitu legis.
§. 12. Effectus legis Jus, ſeu Juſtitia perſonarum.
§. 13. Vel Actionum.
14. Diviſio Juſtitiæ.
15. Ejus Oppoſitum Injuſtitia.
16. Diviſio legis.

§. I. Quia

§. I.

QUia actiones humanæ à voluntate dependent, voluntates autem ſingulorum non ſemper ſibi ſimiles, & diverſorum in diverſa fere tendere ſolent; igitur ad ordinem & decorem in genere humano conſtituendum neceſſarium fuit, normam aliquam (1) exiſtere, ad quam iſtæ componerentur. Alias enim, ſi in tanta voluntatis libertate, tantaque inclinationum & ſtudiorum diverſitate (2) quisque citra reflexionem ad certam normam ageret, quod ipſi in mentem veniret, non poterat non maxima confuſio in genere humano exiſtere.

§. II. Norma illa vocatur *Lex*, quæ *eſt decretum, quo ſuperior* (1) *ſibi ſubjectum obligat, ut ad iſtius præſcriptum actiones ſuas componat.* * (2)

§. III. Hæc

§. I. (1) Hactenus de Principio Actionum cauſativo ſeu *formativo*; nunc quoque de *normativo*.

(2) Immo & morum pravitate.

§. II. (1) Talis ſcilicet ſuperioritate Juriſdictionis, non ordinis.

* Conſule hìc *H. Grotium*, Jur. Bell. & Pac L. 1. c. 1. § 9.

(2) Patet inde diſcrimen, quod inter *Legem* ex una, & *Conſilium* atque *Pactum* ex alterâ parte intercedit. Lex enim à *Superiore*, qua tali fertur *Conſilium*, à *pari*, aut quâ tali datur. Indè etiam non obligat extrinſecè. *Nemo ex Conſilio obligatur, etiamſi non expediat ei, cui datur; quia*

§. III. Hæc definitio ut eo melius intelligatur, evolvendum eſt, quid ſit Obligatio; unde ea oriatur; quis obligationem recipere, & quis eandem alteri injungere queat. Vulgo igitur *Obligatio* dicitur *vinculum juris, quo neceſſitate adſtringimur alicujus rei præſtandæ*. Scilicet injicitur per eam quaſi frenum aliquod noſtræ libertati, ut quanquam de facto voluntas in diverſum tendere queat, intrinſeco tamen per eandem velut ſenſu imbutam ſe deprehendat, ut, ni præſcriptæ normæ conformis ſit actio edita, non recte ſe egiſſe cogatur agnoſcere. Adeoque ſi quid mali eo nomine homini eveniat, non immerito id ſibi accidere judicet; cum normam, prout par erat, ſequenti iſtud evitaſſe licuerit.

§. IV. Quod autem *homo* (1) *aptus ſit ad recipiendam Obligationem*, duplex cauſa eſt: una quidem, quia is voluntatem habet, quæ ſeſe in diverſas partes flectere, adeoque & ad normam componere poteſt: altera, quia homo à poteſtate Superioris non eſt imunis. (2)

Nam

quia liberum eſt cuiq; apud ſe explorare, an expediat ſibi Conſilium, l. 2. §. 6. ff. Mandati. Lex obligat per ſe *immediatè: pactum* non niſi *mediatè*, mediante ſcilicet ſuperiore. Hic enim poteſt vetare, ne pacta obligent, ut olim apud Romanos.

§. IV. (1) Subjectum *paſſivè* idoneum.

(2) Addi debebat cauſa *tertia*: quia facultatem habet & legislatorem & legem cognoſcendi. (3) Ita

(*) quoad primum.

Nam ubi (*) alicujus agentis vires per naturam ad uniformem agendi modum ſunt alligatæ, ibi libera actio fruſtra exſpectatur, iſtique incaſſum præſcribitur aliqua norma, qui eam neque intelligere, neque ad eandem ſeſe componere poteſt. (3) Si quis autem (*) non agnoſcat Superiorem, eo ipſo nemo exiſtit, qui neceſſitatem eidem jure queat injicere. Et ſi maximè is in agendo certam rationem obſervet, & à quibusdam actionibus conſtanter abſtineat; id tamen non ex Obligatione aliqua, ſed ex proprio beneplacito facere intelligitur. Sequitur ergo, ut ille obligationis ſit capax, qui & (1) ſuperiorem habet, & (2) normam præſcriptam poteſt cognoſcere, & (3) voluntatem habet in diverſa flexilem; quæ tamen, ubi norma per ſuperiorem fuerit præſcripta, ſentiat, ſe ab ipſa non recte diſcedere. Quali natura hominem præditum adparet.

(*) quoad ſecundum & tertium, non habeat, aut

§. V. *Introducitur obligatio* in animum hominis *proprie à Superiore,*

(3) Ita ſe res habet cum horologiis & aliis automatis atque verſatilibus machinis, quæ alium motum non habent, quam neceſſarium illum, ad quem Mechanicus eas diſpoſuit.

iore, (1) i. e. tali, cui non ſolum *vires* ſunt, malum aliquod repræſentandi contranitentibus; ſed & cui *juſtæ* ſunt *cauſæ*, quare poſtulare queat, ex ſuo arbitrio voluntatis noſtræ libertatem circumſcribi. Talia enim ubi in aliquo fuerint, poſtquam, quid velit, ſignificavit, neceſſum eſt, in animo hominis oriri metum reverentia temperatum: illum quidem ex potentia, hanc autem ex conſideratione cauſarum, quæ etiam remoto metu allicere aliquem debebant ad iſtius voluntatem amplectendam. Qui enim (*) nullam *rationem* allegare novit, quare mihi invito obligationem velit impingere, præter ſolas vires, is terrere quidem me poteſt, ut effugiendo majori malo ipſi tantiſper parere ſatius ducam: ſed eo metu remoto nihil amplius obſtat, quo minus meo potius, quam illius arbitrio agam. (2) Contra qui (*) rationes quidem habet, quare ego ipſi parere debeam, à viribus

(*) *Quoad prius.*

(*) *Quoad poſterius.*

C 2 tamen

§. V. (1) Eſt ſubjectum *activè* idoneum.

(2) Sola ergo vis non ſufficit, ceu Hobbeſio viſum *de Civ. c.* 15. §. 6. *Leviathan. c.* 31. *p.* 167. ſed jus vel præcipuè requiritur. Exemplum cape ex *L. II. c.* 16. §. 14.

(3) Res

tamen malum aliquod mihi imponendi deſtituitur; ejus juſſa impune à me poſſunt negligi, ni potentior aliquis hujus auctoritatem proculcatam adſertum eat. (3) Rationes autem, quare quis recte poſtulare queat, ut ab altero ſibi obtemperetur, ſunt: ſi ab iſto in hunc inſignia quædam bona ſint profecta; ſi conſtiterit, iſtum & bene huic velle, & rectius, quam ipſe valet, eidem proſpicere poſſe; ſimulque ſi actu iſte hujus directionem ſibi vindicet, (4) & denique ſi quis ultro alteri ſeſe ſubjecerit, & in ipſius directionem conſenſerit. (5)

§. VI. Cæterum ut lex vim ſuam in animis eorum, quibus fertur, exſerere poſſit, requiritur *cognitio cum legislatoris, tum ipſius legis.* (1) Nemo enim obedientiam præſta-

re

(3) Res clara eſt in Magiſtratibus inferioribus, qui niſi brachio Principum valerent, gratis vel precario jus eſſent dicturi.

(4) Sed hactenus non niſi ex *imperfecto jure* is ageret, quia nec lege, nec Pacto niteretur. Ex dictis ſimul patet, non ſolam *præſtantiam* & *eminentiam naturæ* ad obtinendum in alios imperium ſufficere, ceu in Gallia docuit Moſes Amyraldus, refutatus à Pufendorfio, *J. N. & G. L.* 1. c. 4. §. 11. aliàs non eſſemus ſubditi Angelorum. Hoc fundamento uſi ſunt ſuperciliosi Hiſpani, dum juſtitiam Imperii in Americanos ſtabilire voluerunt, jactando ſuam præſtantiam, cùm Americani eſſent ſervi natura.

(5) Hinc demum *perfectum jus* incipit ex parte Imperantis, uti vice verſa *perfecta Obligatio* ex parte parentis.

§. VI. (1) His quippè de duobus in Promulgatione conſtare debet. (2) Eſt

re valebit, ſi neque (1) cui parere debeat, neque (2) ad quid teneatur, noverit. Et legiſlatoris quidem (*) cognitio eſt facillima. Legum quippe Naturalium eundem eſſe auctorem, qui univerſi, ex lumine rationis conſtat. (2) Nec civis ignorare poteſt, quis in ipſum imperium obtineat. Leges porro Naturales quomodo innoteſcant, paulo poſt exponetur. Civiles autem leges per *promulgationem* publice & perſpicue factam in ſubjectorum notitiam perveniunt. In quâ de *duobus* conſtare debet; tum quod lex eum habeat auctorem, penes quem ſummum in Civitate eſt imperium; tum quæ ſit legis ſententia. *Prius* cognoſcitur, ſi vel ipſe legem ſua voce promulget, vel autographo conſignet, vel ſi id fiat per ipſius delegatos: quorum auctoritas fruſtra in dubium vocatur, ſi conſtet, hoc cum munere, quod in Civitate gerunt, eſſe conjunctum, & ipſos regulariter ad idem adhiberi; ſi iſtæ leges in uſum judiciorum deducantur; ſi nihil contineant, quod ſum̃o imperio deroget. Ut autem (*) ſen-

(*) *Quoad prius.*

(*) *Quoad poſterius.*

(2. Eſt & hæc *Promulgatio*, ſed *connata*.

(3) Vide

ſententia legis recte percipiatur, promulgantibus incumbit, quanta fieri poteſt perſpicuitate uti. (3) Si quid in legibus obſcurum occurrat, ejus declaratio petenda abs legislatore, aut illis, qui ad jus ſecundum leges dicendum publice ſunt conſtituti. (4)

§. VII. Cujuslibet *legis perfectæ duæ partes* ſunt: una, per quam definitur, quid ſit faciendum, quidve omittendum: altera, per quam indicatur, quodnam malum ſit propoſitum ei, qui præceptum intermittit, & interdictum facit. (1) Nam uti propter pravitatem ingenii humani, in vetita tendere amantis, ſupervacuum eſt dicere, *hoc fac*, ſi non facientem nil mali ſit manſurum: ita abſurdum eſt dicere, *pœnas dabis*, ni cauſa, quæ pœnam mereatur, præceſſerit. Sic igitur

(3) Vide infra *L. II. C. XI.* §. 5.

(4) *Interpretatione* opus eſt, arte illa, in qua Jurisprudentia, quanta quanta, tota conſiſtit. Spectari autem poteſt Interpretatio vel ratione *Cauſæ Efficientis*, vel ratione *Formæ*. Priori reſpectu eſt vel *uſualis*, quatenus uſus fori leges interpretatur, vel *doctrinalis*, qu. Dd. id faciunt; vel *Authentica*, qu. αὐτοῦ ἐφα, nimirum Princeps legislator id facit. Et hæc quidem Interpretatio huc ſpectat. De Interpretatione ſpectatâ ratione *Formæ* dicetur ad *Cap. XVII.* hujus Libri.

§. VII. (1) *Sanctio* hæc propriè dicitur. §. 10. *de Inſt. de Rer. Diviſ. l.* 41. *ff. de Pœn.* quæ licet non expreſſe legibus omnibus addita fuerit, tacitè tamen ineſſe intelligitur.

(2) Equi-

tur omnis *vis legis* conſiſtit (*) in ſi- (*) *Quoad primum.*
gnificando (2) eo, quid ſuperior à nobis fieri velit, vel non velit; & (*) quæ pœna violatoribus legis ſit (*) *Quoad secundum.* conſtituta. *Vis* autem *obligandi*, i. e. intrinſecam neceſſitatem adferendi, & vis cogendi, ſeu, per pœnas ad obſervationem legum adigendi, proprie eſt in legislatore, & in iis, quibus legum cuſtodia atque executio eſt commiſſa.

§. IIX. Illud, quod per leges alicui injungitur, debet non ſolum *intra vires eſſe illius*, cui leges feruntur, ſed & utilitatem (1) aliquam adferre ſive illi ipſi, ſive aliis. Nam uti (*) ſub comminatione pœnæ ali- (*) *Quoad prius.* quid exigere velle ab aliquo, quod eſt & ſemper fuit ſupra ipſius vires poſitum, abſurdum & crudele fuerit: ita (**) ſupervacuum eſt, naturalem (**) *Quoad poſterius.* voluntatis libertatem conſtringere, ſi nulla in quemquam utilitas inde proveniat.

(2) Equidem non tantum in ſignificando vis legis conſiſtit, ſed & vel maximè in *obligando*: Interim tamen hæc à Legislatore principaliter procedit, adeoque in his & ſequentibus verbis non eſt contradictio.

§. IIX. (1) De Officio ſummorum Imperantium circa leges ferendas agit Autor infra *Lib. II. c.* 11, §. 5. & *c.* 12.

§. IX. Quanquam autem regulariter lex omnes legiſlatoris ſubditos complectatur, in quos materia legis quadrat, & quos legiſlator ab initio exemptos non voluit: interdum tamen contingit, ut ab obligatione legis aliquis peculiariter ſolvatur, id quod *diſpenſare* (1) vocant. Uti tamen diſpenſare ille tantum poteſt, cui legem ferendi & abrogandi poteſtas competit: ita cavendum, ne promiſcua & citra graviſſimas cauſas facta diſpenſatione autoritas legum convellatur, & invidiæ atque indignationi inter ſubjectos anſa præbeatur. * (2)

§. X. A diſpenſatione tamen multum differt *Æquitas*, quæ eſt correctio ejus, in quo lex deficit ob univerſalitatem; ſeu dextra legis interpretatio, qua ex naturali ratione oſtenditur, caſum aliquem peculiarem ſub lege univerſali non comprehendi, eo quod alias abſurdi quid inde foret ſecuturum. (1) Nam

§. IX. (1) *Diſpenſatio* ergo eſt mutatio voluntatis in legiſlatore, quæ cum *Interpretatione reſtrictivâ* non debet confundi: ſiquidem ubi hæc adhibetur, nulla in Legiſlatore voluntatis mutatio eſt, ſed tantum ejus, quod verè voluit, declaratio. Vid. Grot. *L.* 1. *c.* 2. §. 27.

* Grot. L. II. c. 20. § 21. ſeqq.

(2) Vid. infr. *L. II. c.* 11. §. 6.

§. X. (1) Error communis ex vulgari *Æquitatis* definitione ortus eſt, quod putant, æquitatem in ſola *reſtrictione* legum generalium conſiſtere. Nam (1) hoc falſum, cum pariter æquum ſit, verba legum nimis ſtrictè loquentium *extendere.* v. g. Si Legiſlator vetat exportare *frumentum*; *extenſio*

Nam quia ob infinitam varietatem omnes caſus neque prævideri, neque exprimi poſſunt; ideo judices, quorum eſt generalia legum decreta ad ſpeciales caſus adplicare, debent à lege excipere ejusmodi caſus, quos excepturus fuerat ipſe legislator, ſi præſens adeſſet, aut tales caſus prævidiſſet. *

§. XI. Porro à relatione (1) & congruentia ad normam moralem actiones humanæ certas ſortiuntur *qualitates & denominationes.* Et illæ quidem actiones, de quibus in neutram partem quid diſponit lex, vocantur *licitæ* ſive *permiſſæ*. (2) Etſi quandoque in

extenſio etiam debet fieri ad *farinam*. Falſum quoque eſt (2) quod Æquitatem ad ſolas Leges referunt, cum tamen etiam in Contractibus, Teſtamentis, imò in omnibus negotiis illa locum habeat; id quod etiam jam Grotius obſervavit. *L. II. c.* 16. §. 26. *n.* 1. Poſſes igitur æquitatem ſic deſcribere, quod ſit *Medicina quædam moralis, quâ, quicquid in legibus & negotiis quibuscunq; aliis iniquum eſt vel eſſe videtur, ex naturali ratione corrigitur. Conf. infr. c. XVII.* §. 10. *ſeqq.*

* Grot. L. c. §. 26. 27.

§. XI. (1) Vidimus hactenus indolem Actionum humanarum *abſolutè* & *in ſe* ſpectatarum. Jam quoque de iis agendum, quatenus *comparatè* & in reſpectu ad Legem ſeſe habent.

(2) Modeſtinus: Legis vis hæc eſt: imperare, vetare, *permittere, l. 7. ff. de Legg.* Nimirum id licitum & permiſſum hic intelligitur, ad quod *facultatem* lex tribuit, licet non præcipiat, v. gr. *venari, emere, vendere, &c.* Eſtque adeò *licitum in ſenſu ajente tale*, uti Grotius aliàs de Jure loquitur, *J. B. & P. L. I. c.* 1. §. 2. quem etiam vide *L. III. c.* 4. §. 2.

* Idem

vita civili, ubi non omnia ad vivum poſſunt reſecari, illa etiam licita dicantur, in quæ pœna * fori humani non eſt conſtituta, etſi in ſe honeſtati naturali repugnent. (3) Quæ porro actiones cum lege congruunt, *bonæ*, quæ diſcrepant, *malæ* vocantur. (4) Sed ut aliqua actio bona ſit, neceſſum eſt, ut ex omni parte cum lege congruat; ut mala ſit ſufficit, ſi in una duntaxat parte deficiat. (5)

§. XII. Ju-

* Idem L. III. c. 4. §. 2.

(3) Ex gr. *ſcortari*, ubi Lupanaria publica tolerantur; item *mentiri*, *vana* vel *obſcœna loqui*, *Græcari &c.* Licitum hoc eſt in *ſenſu negante*, juxta ſtilum Grotii, *ll. cc.* Et de tali licito loquuntur *l.* 144. *l.* 197. *ff. de Reg. Jur.* Poſſes etiam huc referre *Concubinatum*, qui Jure Romano *extra legis pœnam eſt*, *l.* 3. *ff. de Concubin.* & *non in jure*, *ſed in impunitate tantum conſiſtebat.* Item *Jus vitæ & necis Dominorum in ſervos*, quod non tàm in jure quàm in agendi impunitate conſtitit. Grotius, *L. II. c.* 5. §. 27.

(4) *In ſe* ſcilicet ſpectatæ, & quoad ſuam definitionem, ſunt vel *bonæ* vel *malæ*, ſeu potius *honeſtæ* vel *turpes.* Quatenus verò in applicatione referuntur *ad alios*, evaduut vel *juſtæ* vel *injuſtæ.* Poteſt enim actio in ſe & quoad definitionem ſpectata, eſſe *bona* ſeu *honeſta*, v. gr. *eleemoſynas dare*; ſed in applicatione & quatenus ad alios refertur, poteſt fieri *injuſta*, v. gr. *eleemoſynas dare* indignis; *verum dicere*, ubi id erat reticendum. *Sobolem procreare*, ſed ex meretrice vel adulterâ &c. Sicuti & contra Actio aliqua poteſt eſſe *juſta*, quæ tamen *non* eſt *bona.* V. gr. Si pravus Judex *juſtitiam quidem* exercet, ſed quia *muneribus corruptus.* Et debuiſſet ſanè Autor haſce qualitates *juſti* & *injuſti* diſtinctius proponere, cùm vel maximè ad hanc doctrinam pertineant.

(5) Illuſtrari hoc poteſt exemplo lineæ rectæ & non rectæ. Ut linea recta ſit, requiritur, ut cum amuſſi *per omnia* conveniat; ſed ut non recta evadat, minimum curvamen efficere poteſt.

§. XII. (1)

§. XII. Juſtitia (1) autem quandoque eſt attributum *actionum*, quandoque *perſonarum.* Quando *juſtitia perſonæ* tribuitur, (2) ſolet vulgo definiri, quod ſit *conſtans & perpetua voluntas ſuum cuique tribuendi.* Juſtus quippe vir dicitur, qui juſta faciendo delectatur, qui juſtitiæ ſtudet, ſeu in omni re conatur facere id, quod juſtum eſt. Injuſtus contra, qui negligit cuique ſuum tribuere, vel id non debito ſuo, ſed præſente commodo menſurandum exiſtimat. Sic ut juſti hominis non paucæ poſſint eſſe actiones injuſtæ, (3) & vice verſa. Juſtus quippe juſta facit propter præceptum legis, injuſta non niſi per infirmitatem: injuſtus autem juſta facit propter pœnam legi adjunctam, injuſta per animi malitiam.

§. XIII. Quando vero *juſtitia actionibus* tribuitur, (1) tunc nihil aliud eſt quam *recta adplicatio earundem ad perſonam*; Et juſta actio quæ ex proæreſi, ſeu à ſciente & volente adplicatur ad perſonam, cui illa debetur.

§. XII. (1) Juſtitia eſt effectus legum, & in hiſce duobus præcipuè conſiſtit: ut homo (1) *Facultatibus* ſuis (ſeine Rechts-Befügnüſſe) recte utatur: (2) ut *Obligationibus* ſibi incumbentibus ſatisfaciat.

(2) Quatenus nimirum in *Habitu* conſiſtit.

(3) Tales videlicet per infirmitatem, quia nemo ex omni parte perfectus eſt.

§. XIII. (1) i. e. quatenus in hac vel illa actione juſtitia apparet, licet aliàs Agens etiam non ſit habitualiter juſtus.

(2) Patet

betur. Sic ut *juſtitia* actionum à *bonitate* in hoc potiſſimum *differat*, (2) quod hæc ſimpliciter notet convenientiam cum lege; juſtitia autem præterea involvat reſpectum ad eos, in quos actio exercetur. Quo nomine etiam *juſtitia virtus adverſus alium* dicitur.

§. XIV. Juſtitiæ diviſionem non omnes eodem modo inſtituunt. Receptiſſima eſt diviſio in *Univerſalem* & *Particularem*. Illa dicitur, quando quodcunque Officium exercetur erga alios, etiam quod per vim, aut intentata in foro actione exigi non poterat. (1) Hæc autem eſt, quando alicui potiſſimum exhibentur, quæ ille ſuo jure (2) poſtulare poterat; (3) & hæc iterum ſolet dividi in *diſtributivam* (4) & *commutativam.*

(2) Patet hinc quàm maximè diſcrimen, quod Ethicam inter & Jus Naturæ intercedit. Utriusque *Objectum* eſt *Actio humana*; ſed per hoc differunt, quod *Ethica* in abſtracto *honeſtatem*; Jus naturæ *Juſtitiam* in Actionibus & in applicatione reſpicit.

§. XIV. (1) Id eſt, *Officium humanitatis*; Vid *C. VII.* Atque adeò *univerſaliter juſtus* dicitur in ſenſu Philoſophico *Vir bonus*, *vir honeſtus*, qui Officiis per omnia ſatisfacit; quemadmodum in S. Literis *Juſtus* & *Fidelis* Synonyma ſunt.

(2) Scilicet vel ex Legibus, vel ex pactis quæſito.

(3) Hæc eſt illa Juſtitiæ *operatio*, quâ quis Officiis ſibi incumbentibus ſatisfacit: addi tamen debebat & altera: quando quis Facultatibus ſibi competentibus recte utitur.

(4) Grotio *attributrix* dicitur.

(5) Grotio

vam. (5) Illa nititur pacto inter ſocietatem & membra inito, circa participandum pro rata damnum & lucrum. (6) Hæc autem nititur Contractu bilatere (7) potiſſimùm circa res & actiones in commercium venientes. * (8)

§. XV. Cognito quid juſtitia ſit, facilè etiam, quid *injuſtitia* ſit, (1) colligitur. Ubi obſervandum, quod actio injuſta, quæ deſtinato ex conſilio ſuſcipitur, & per quam violatur, quod alteri perfecto jure debebatur, aut quod tali jure undecunque partum is poſſidebat, proprie *injuria* (2) vocetur. Quæ triplici modo fit: vel ſi alicui denegetur,

(5) Grotio *Expletrix. L. I. c.* 1. §. 8.

(6) Vid. infra, *Cap. XV.* §. 12. Juxta hanc etiam in Societate Civili *honores, munera & onera* diſtribuuntur.

(7) Vid. infra *Cap. IX.* §. 5.

(8) *Pœna* etiam ſecundum hanc irrogatur, juxta communem ſententiam, quia pœnæ delictis debent commenſurari. Verùm quia commutativa juſtitia tantum circa Synallagmata verſatur, & in negotiis Civilibus obtinet, ideò ad peculiarem potius Juſtitiæ ſpeciem pœnæ referendæ, quam *Vindicativam* vocat Puſendorf. *J. N. & G. L. I. c. 7.* §. 10. *L. IIX. c.* 3. §. 5.

§ XV. (1) Nimirum æque duobus hiſce modis committitur Injuſtitia, quando quis (1) *Facultatibus* ſibi competentibus non rectè utitur, vel (2) *Obligationibus* ſibi incumbentibus non ſatisfacit.

(2) *Injuria*, tanquam Effectus injuſtitiæ particularis eſt læſio *juris perfecti.* A qua differt *inhumanitas*, quæ eſt læſio *juris* tantùm *imperfecti.*

(3) Hoc

tur, quod ſuo jure (3) poſtulare poterat, (4) (non ſi quid duntaxat ex humanitate aut ſimili virtute debebatur, (5) vel ſi auferatur, quod ſuo jure, adverſus auferentem valente, tenebat; (6) vel ſi malum aliquod alteri inferatur, quod inferendi poteſtatem non habebamus. (7) Ad injuriam præterea requiritur deſtinatum conſilium & malitia ejus, qui facit. (8) Quæ ubi abfuerit, læſio alterius *infortunium* aut *culpa* vocatur, (9) gravior aut levior, prout gravis aut levis fuerit ſocordia & negligentia, ex qua quis in alterum velut incurrit. (10)

§. XVI. Lex

(3) Hoc eſt *perfecto*. Eſt autem jus perfectum, quando vel vi legum vel vi pactorum (1) juſte aliquid exigere, & (2) denegantem per remedia coactiva ad præſtationem adigere poſſumus; in *Statu Naturali* per *bellum*, in *Civili* per *Actiones*.

(4) Hæc eſt *Injuria* hominis *Obligationibus* ſuis non ſatisfacientis.

(5) Hoc eſt, ex *Jure imperfecto*, quale quid ſit, vi contrariorum, ex ante dictis patet.

(6) Hæc eſt *Injuria* hominis *facultatibus* ſuis non recte utentis.

(7) Hæc eſt præcedenti ſimilis.

(8) Nimirum præter (1) *læſionem*, requiritur (2) prava in lædente *proæreſis*; ac (3) in læſo *diſſenſus*. Volenti enim non fit injuria.

(9) Ariſtoteles vocat ἀτύχημα, uti injuriam ἀδίκημα. De *Caſu* & *Culpa*, damniſque inde datis vid. infra *Cap. VI.* §. 9. 10.

(10) Ad meliorem eorum, quæ in præcedentibus dicta fuerunt, intellectum facere poteſt ſequens Tabella.

§. XVI. (1)

§. XVI. Lex reſpectu autoris dividitur in *divinam & humanam*; illa abs DEO, hæc ab hominibus lata eſt. Sed ſi lex conſideretur, prout neceſſariam & univerſalem congruentiam cum hominibus, vel minus, habet, dividitur in *Naturalem & Poſitivam*. *Illa eſt, quæ cum rationali ac ſociali natura hominis ita congruit, ut humano generi honeſta & pacifica ſocietas citra eandem conſtare nequeat.* (1) * Unde & illa per rationis homini cogenitæ lumen, & ex conſideratione humanæ naturæ in univerſum inveſtigari & cognoſci poteſt. (2) *Hæc* eſt, quæ ex communi conditione humanæ naturæ haut quicquam fluit, ſed *abs ſolo legislatoris placito proficiſcitur*, etſi nec ipſa ſuâ ratione, ac uſu, quem certis hominibus aut peculiari ſocietati generat, carere debeat. Eſt autem *lex Divina*, alia *Naturalis*, alia *poſitiva*. (3) *Humana* autem omnis preſſe accepta, *poſitiva* eſt.

§. XVI. (1) Breviter: Jus Naturæ eſt dictamen rectæ rationis ſuper Socialitate reflexum, officia homini incumbentia proponens.

* Grot, *loc. cit.* §. 10.

(2) Id quomodo fiat, docet Autor Cap. ſequent. §§. prioribus ſeptem.

(3) Hæcque iterum *vel particularis*, certum tantum populum & ad certum tempus obligans; ex gr. Judæorum Eccleſiaſticæ & Forenſes, vel *Univerſalis*, totum genus humanum perpetuò obligans. v. gr. *Lex de homicidis doloſis*

capi

capitaliter puniendis; *de Polygamia*, *de nuptiis fratrum ſororumque vitandis &c.* Impugnant plurimi *Leges poſitivas Univerſales*, & quidem *aliqui* ex rationibus in ſpeciem validioribus: *aliqui* ex levioribus. Cum *illis* alibi jam actum; *Horum* dubia huc ferè redeunt, quod putant (1) Univerſale & poſitivum ſibi contrariari. (2) Leges, quas pro Univerſalibus poſitivis habemus, vel planè non dari, vel ad morales, i. e. naturales referendas. Ita enim cum vulgo loquuntur, ſed minus adcuratè, cùm ſanè omnes Leges entia moralia, & per conſequens morales ſint. Sed facilis eſt reſponſio: Quæro enim quoad (I.) an non, ſi Legislator omnibus ſuis ſubditis tributum imponit, ea ſit Lex poſitiva & univerſalis? Deinde nota: Univerſale eſſe vel abſolutè, vel ſecundùm quid tale. Inſtant: Non poſſe dari LL. Divinas poſitivas Univerſales, quia deficiat univerſalis publicatio. Sed id eſt, quod nego. Ut enim promulgatio voluntatis divinæ circa *credenda* ſine dubio univerſalis eſt: ita etiam eadem talis eſt circa *facienda*, quæ Chriſtiano incumbunt. Quoad (II.) Exiſtentiam LL. Div. poſitionis Univerſalium ſatis alibi probavimus, & provocamus jam tantùm ad *conjugia fratrum atque ſororum*, item ad *polygamiam*, quæ utique univerſaliter prohibita, non naturali lege, quod nemo unquam evicerit. Ergò lege Dei poſitivâ univerſali.

CAPUT III.
DE
LEGE NATURALI.

1. Notitia Status naturalis neceſſitatem Legis Nat. docet.
2. Homo naturaliter ſui conſervandi ſtudioſiſſimus;
3. Abſque aliorum tamen ope miſerrimus:
4. Habetque nocendi non ſolum proclivitatem;
5. Sed & facultatem.

6. In-

6. Ingenio varius & affectibus.
7. Inde infertur Societatis colendæ neceſſitas.
8. Socialitatis Leges, ſunt ipſa Lex Naturæ.
9. Fundamentum Legis N. Socialitas.
10. Deum tamen & Religionem præſupponit
11. Unde Legis & Obligationis ultimum firmamentum.
12. Quomodo Lex Nat. naturæ nota dicatur?
13. Diviſio Officiorum juxta Leg. Naturæ.

§. I.

QUænam Legis Naturalis ſit indoles, quæ neceſſitas, & quibus eadem præceptis in iſthac mortalium conditione conſtet, planiſſime perſpicitur, ſi quis naturam (1) & ingenium hominis penitius perſcrutatus fuerit. Sicuti enim ad accuratam Legum Civilium cognitionem plurimum facit; ſtatum civitatis, moresque & ſtudia civium probe intellexiſſe: ita perſpecto communi mortalium ingenio, ſtatuque (2) facile patebit, quibus legibus eorundem incolumitas contineatur.

D. §. II. Id

§. I. (1) Intelligit ſtatum naturalem maximè in eâ acceptione, quà in ordine ad ſeipſum & ad Socios homo conſideratur. Vid. infra *L. II. c.* 1. §. 2. *ſeqq.*

(2) Rectè Autor, quod *ingenium* hominum, quale à pravâ naturâ eſt, à *Statu Naturali* ſeparat Debuiſſet tamen hoc diſcrimen ubique melius obſervare. Nam *Status* hominum *Naturalis*, id eſt, ille à quo ex Creatoris intentione conſtituti, *Rationalis* utique eſt, & *beſtiali* oppoſitus Vid. *L.II. C.I.* §.3. Sed hunc cum Ingenio hominis naturaliter pravo cum hic, tum alibi nonnunquam confundit.

* *Jur.*

§. II. Id igitur homo habet commune cum omnibus animantibus, queis ſenſus ſui ineſt, ut ſe ipſo nihil habeat carius, ſeipſum ſtudeat omnibus modis conſervare; ut quæ bona ſibi videntur, adquirere; quæ mala repellere nitatur. Qui quidem affectus regulariter tantus eſt, ut reliqui omnes eidem cedant. Et quicunque hominis ſalutem impugnatum it, eum non poteſt non iſte averſari eousque, ut etiam depulſo malo intentato plerumque odium, & cupiditas vindictæ adhuc remaneat.

§. III. Aſt in eo præ brutis homo deteriore jam conditione videtur, quod vix ullum aliud animal tanta à nativitate imbecillitas proſequatur; ſic, ut miraculi ſit inſtar futurum, ſi quis ad maturam ætatem pervenerit, niſi aliorum hominum auxilium accedat. Cum nunc, inter tot inventa humanæ neceſſitatis adminicula, pluriurn annorum ſollicita informatio requiratur, ut proprio quis Marte victum & amictum ſibi parare queat; * fingamus hominem, citra omnem ab aliis hominibus accedentem curam & culturam ad

* *Jur. Nat. & Gent.* L. II. c. 1. §. 8. c. 2. §. 2. Diſſertat. Academ. ult. p. 458. Erid. Scándic. in Apolog. p. 20. ſeqq. Specim. Controverſ. c. 3. p. 217. cap. 4. §. 161. p. 258. Spicileg. Controverſ. c. 3. §. 1. p. 379. Jul. Rondini Diſſert. Epiſtol. §. 1. ſeq. p. 369. Comment. ſuper invenuſto Ven. Lipſienſ. pullo p. 11. 16. 36. 44. 46. 52. 54.

ad robuſtam ætatem provectum, cui nihil ſit ſcientiæ, niſi ex proprio ingenio velut ultro pullulavit, eundemque ab omni aliorum hominum ope atque conſortio in ſolitudine deſtitutum: ſane vix miſerabilius animal deprehenditur; elingue nimirum ac nudum, cui nihil aliud relictum, quam herbas radicesque vellere; aut ſponte natos fructus legere; ſitim fonte, flumine aut lacuna obvia levare; repellendis aëris injuriis antra ſubire, aut muſco gramineve corpus utcunque tegere, tempus tædioſiſſimum per otium exigere, ad quemvis ſtrepitum aut alterius animantis occurſum exhorreſcere; denique fame, frigore, aut per feram beſtiam demum perire. Contra quidquid jam commoditatum vitam humanam comitatur; id omne ex mutua hominum ope redundavit. Sic ut poſt Deum O. M. nihil in hoc orbe ſit, ex quo major utilitas homini provenire queat, quam ex ipſo homine.

§. IV. Iſthoc tamen tam utile invicem animal non paucis laborat vitiis, & non minore *nocendi facultate* præditum eſt; quæ conjunctionem cum ipſo reddunt ſatis ancipitem, magnamque requirunt cautionem, ne pro bono malum quis ab illo ſortiatur. Jam primum major fere ad nocendum *proclivitas* in homine, quam in quovis bruto-

rum deprehenditur. Nam bruta fere *cibi deſiderio & Veneris* efferantur, quorum utrique tamen facili negotio ipſa ſatisfacere poſſunt. Et eo deſiderio ſopito non temere in iras aut ad lædendum alios concitantur, niſi quis irritaverit. Aſt homo animal eſt nullo non tempore in *libidinem* paratum, cujus ſtimulis longe frequentius vellicatur, quam conſervandæ ſpeciei neceſſarium videbatur. Ejusdem quoque *venter* non ſatiari duntaxat, ſed & titillari vult; & ſæpe plura adpetit, quam natura digerere valet. Veſtibus ne indigerent bruta, natura proſpexit: aſt homo non ad neceſſitatem tantum, ſed & ad oſtentationem veſtiri gaudet. Multi præterea *affectus* atque cupidines brutis ignoti in mortalium genere deprehenduntur: ſuperflua habendi libido, avaritia, gloria & alios eminendi cupiditas, invidia, æmulatio, ingeniorumque contentio. Indicio eſt, quod pleraque bella, quibus genus mortalium colliditur, ob cauſas gerantur brutis ignotas. Atque iſta omnia ſtimulare homines poſſunt & ſolent, ut ſibi mutuo nocere velint. Accedit in multis eximia quædam petulantia, & aliis inſultandi libido; quibus cæteri, etiam modeſto ingenio præditi, ſtudio ſe ac ſuam libertatem conſervandi, ac tuendi, non poſſunt non offendi, ac

ad

ad reſiſtendum accingi. Quandoque etiam homines ad mutuas læſiones incitat *inopia* & quod præſens rerum copia cupiditatibus aut indigentiæ eorum non ſufficiat.

§. V. Sed & *maxima vis* ineſt hominibus ad noxas mutuo inferendas. Nam etſi neque dentibus, neque unguibus aut cornibus ſint formidabiles, ut multa brutorum: tamen habilitas manus in efficaciſſimum nocendi inſtrumentum evaleſcere poteſt; & ſolertia ingenii aſtu & per inſidias graſſandi facultatem dat, quà aperta vi pertingere non licet. Sic ut facillimum ſit, hominem homini graviſſimum malorum naturalium, nempe mortem, inferre.

§. VI. Denique & in genere humano conſideranda eſt *inſignis illa ingeniorum varietas*, qualis in ſingulis brutorum ſpeciebus non cernitur; quippe quæ conſimiles fere inclinationes habent, (1) parique affectu & adpetitu ducuntur. Aſt inter homines quot capita, tot ſenſus, & ſuum cuique pulchrum. Nec ſimplici aut uniformi cupidine omnes agitantur, ſed multiplici & varie inter ſe mixto. Imo unus & idem homo ſæpe ſibi diſſimilis cernitur, &, quod uno tempore concupivit, ab eodem alio

§. VI. (1) Sic ex. gr. Leo leoni, lupus lupo, anſer anſeri, ovis ovi ferè ſimilis; & ita porro in plerisque aliis.

tempore valde abhorret. Nec minor in ſtudiis, inſtitutis, & ad exſerendum animi vigorem inclinationibus varietas, quæ jam in infinitis fere vitæ generibus conſpicitur. Per quæ ne mutuo collidantur homines, ſolicita temperatura & moderatione opus eſt.

§. VII. Sic igitur homo jam eſt animal ſui conſervandi ſtudioſiſſimum, (1) per ſe egenum, ſine auxilio ſui ſimilium ſervari impotens, ad mutua commoda promovenda maxime idoneum; (2) idem tamen juxta malitioſum, petulans, & facile irritabile, ac ad noxam alteri inferendam pronum (3) non minus quam validum. (4) Unde colligitur, eidem, ut ſit ſalvus, neceſſum eſſe ut ſit ſociabilis, i. e. ut cum ſui ſimilibus conjungatur, & adverſus illos ita ſe gerat, ut ne iſti probabilem cauſam accipiant eum lædendi, ſed potius ejusdem commoda ſervare & promovere velint.

§. IIX. Hujus ergo Socialitatis leges, ſeu, quæ docent, quomodo quis ſeſe debeat gerere, ut commodum ſocietatis humanæ membrum exiſtat, vocantur *Leges Naturales.*

§. IX.

§. VII. (1) Per dicta in §. II.
(2) Per dicta in §. III.
(3) Per dicta in §. IV.
(4) Per dicta in §. V.

§. IX. (1)

§. IX. His poſitis adparet, *fundamentalem Legem Naturalem* (1) eſſe hanc: *Cuilibet homini quantum in ſe, colendam & ſervandam eſſe ſocietatem*, * Ex quo conſequitur, quia, qui vult finem, vult etiam media, ſine quibus finis obtineri nequit; omnia, quæ ad iſtam ſocialitatem neceſſario & in univerſum faciunt, jure naturali præcepta; quæ eandem turbant aut abrumpunt, vetita intelligi. (2) Reliqua autem

 præ-

§. IX. (1) Undè formatur Principium: *Quicquid cum Socialitate convenit, id eſt Juris naturalis.* Apparet etiam indè ſatis, Jus Naturale eſſe veram ac propriam ſcientiam, nitique certis & demonſtrativis rationibus, quia adeſt (1) *Subjectum*, quod conſtituunt Actiones humanæ. (2) *Affectiones*, τὸ juſtum & injuſtum. (3) *Principium*, ſcilicet convenientia cum Socialitate.

* *Jur. Nat. & Gent.* L. II. c. 3. §. 14. ſeq. Element. Jurisprud. univerſal. L. II. obſ. 14. Erid. Scand. Apolog. p. 46. 75. Speciem Controverſ. c. 4. p. 231. ſeqq. Spicileg. Jur. Nat. c. I. §. 14. p. 348. ſeqq. c. II. §. 8. p. 366. c. III. §. 13. p 389. ſeq. Vener, Lipſienſ. pull pag. 11. & paſſim. *Hug. Grot.* in Proleg. ad Jus Bell. & Pac. paſſim

(2) *Generale* igitur *Principium*, non quidem Eſſendi, ſed *Cognoſcendi Juris Naturalis* hoc eſt: *quicquid cum Socialitate convenit, illud eſt Juris Naturalis.* Et contra, ſi contra. Principium hoc imprimis propter *tria Requiſita* commendandum eſt: eſt enim (I) *evidens*, & in ſenſus incurrit. Nam ſi quæſtio ſit de Actione aliqua, an Juri Naturali conveniat, nec ne? non majori aliqua evidentia id oſtendi poterit, quàm ſi exemplo paucorum videas, an ad amorem communem & mutuum, i. e. ſocialitatem conſervandam ea ſit idonea, an non? Undè de habitu ejus ad univerſam hominum Societatem facile licèt argumentari. (II) Eſt *proprium diſciplinæ*, ac

præcepta ſunt tantum velut ſubſumtiones ſub hacce generali lege, quorum evidentiam lumen illud naturale hominibus inſitum inſinuat.

§. X. Iſthæc porro præcepta etſi manifeſtam habeant *utilitatem* (1), tamen ut eadem vim legis obtineant, neceſſum eſt præſupponi DEUM eſſe, & ſua providentia omnia regere; eundemque mortalium generi injunxiſſe, ut iſta rationis dictamina tan-

ac velut *domeſticum*; ſcilicet ex dictamine rectæ rationis depromtum, cùm plerique alii, cum ſuis Principiis μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος committant. V. gr. qui *Convenientiam cum Statu Integritatis* pro Principio venditant. Eſt (III) *adæquatum* & *ſufficiens*. Unde omnia Officia hominis erga Deum, ſe ipſum & erga Socios demonſtrari poſſunt, ut in ſequentibus tradetur. Nec obſtat, quod *modus* iſte *demonſtrandi ab Effectu* petitur; eſt enim demonſtratio τοῦ ὅτι, ſeu à *poſteriori*, etiam vera demonſtratio, licet non tàm nobilis, quàm illa τοῦ διότι, ſeu *à priori*. Nec obſtat porrò, quod *ſingulæ Claſſes Officiorum* ſua *ſpecialia principia* habeant. Nam (1) Specialia ſupponunt *Generale*. (2) Illa *Specialia* verius ſunt *Eſſendi*, quam *cognoſcendi Principia*. Et iſti etiam principium *eſſendi* cum principio *cognoſcendi* confundunt, qui Jus Naturæ ex *voluntate Dei* demonſtrare volunt. Quid enim eſt Jus Naturæ aliud quam ipſa Dei voluntas per rectam rationem patefacta? Ergò hôc modò idem demonſtratur per idem.

§. X. (1) Utilitas ſanè fundamentum obligationis eſſe nequit; ſed eſt potius imperium divinum. Undè concludimus, dictamina rectæ rationis *vim Legum*, non tantum *monitorum paternorum* habere, utpotè quæ ſolius utilitatis vel damni evitandi cauſa obligant.

(2) Oppo-

tanquam leges, ab ipſo vi congeniti luminis promulgatas, obſervent. (2) Alias enim poſſent ea quidem fortaſſe obſervari intuitu utilitatis, ſicut quæ à medicis regendæ valetudini præſcribuntur, non autem tanquam leges; quippe quæ neceſſario ponunt ſuperiorem, & quidem talem, qui alterius gubernationem actu ſuſceperit. (3) *

§. XI. Eſſe autem Deum Legis naturalis auctorem, ex ratione naturali ita demonſtratur, ſi præciſe præſenti mortalium conditioni

(2) Oppoſita hæc ſunt Grotio, qui, in *Prolegom. ad J. B. & P.* ſcribere non dubitavit; *obligaturum etiam eſſe Jus Naturale, tametſi daretur, Deum non eſſe, nec curari ab eo res mortalium.* Deceptus ſcilicet fuit vir ſummus erronea doctrina Scholaſticorum, qui Actiones honeſtas & turpes, juſtas & injuſtas iſthanc moralitatem ſuam ex ſe & *ſuâ naturâ*, etiam *antecedenter ad voluntatem DEI* habere delirarunt. Ideo enim à Deo præcepta bona, & vetita mala, quia talia ſint; non eſſe ideò talia, quia Deus, ut talia ſint, determinaverit. Sive. ut aliàs loquuntur: *Qualitatem moraliter boni vel mali venire ab Objecto in legem, non à lege in Objectum.* Sed quis non videt, miſeros ordinem cauſandi invertere, & per hoc in manifeſtiſſima abſurda incidere. Statuunt enim effectum ſine cauſa; vel hunc illa priorem: obligationem lege anteriorem; & principium Deo prius, quod etiam ante eum ejusque voluntatem qualitatem actionum determinaverit. In ſano tamen ſenſu tolerari poteſt ea locutio: eſt actio *ſuâ naturâ* honeſta vel turpis; ſcilicet quatenus eam naturam vel indolem à divinâ voluntate accepit.

(3) Id eſt, Deum non otioſum ſpectatorem, ſed providentem. Conf. *ſeqv. c. III.* §. 4.

* Grot. *loc. cit.*

inhæreamus; non attendendo, an primæva conditio diverſa ab hac fuerit, & unde iſta mutatio provenerit. (1) *Cum enim natura hominis ita* ſit conſtituta, ut citra ſociabilem vitam humanum genus incolume eſſe nequeat, hominisque animus notionum huc inſervientium capax deprehendatur; & vero pateat, non ſolùm genus humanum, uti aliæ creaturæ, originem ſuam DEO debere, ſed & eundem iſtud utcunque jam conſtitutum providentiæ ſuæ moderamine complecti: inde conſequitur, DEum velle, ut homo iis viribus, quas ſibi præ brutis peculiares ineſſe ſentit, ad naturæ ſuæ incolumitatem utatur, utque adeo à brutorum exlege vita, humana vita ſit diſtincta. Id quod cùm aliter, quam ſervata Lege Naturali, obtineri nequeat; intelligitur quoque, à DEO obligatum hominem ad iſthanc ſervandam, tanquam medium non ex arbitrio hominum inventum, ac ex eorum libidine mutabile, (2) ſed expreſſe ab ipſo DEO huic fini procurando conſtitutum.

§. XI. (1) Neque etiam poſſumus ſolo mentis diſcurſu aſſequi, an primorum hominum conditio alia ac perfectior fuerit; quia hiſtoria Status Integritatis à ſola Revelatione divina dependet.

(2) *Immutabilitas* præcipua *affectio* Juris Naturalis, quatenus *pro lege* accipitur. Nam quatenus *facultatem* denotat à Naturali Jure conceſſam, utique mutari ea poteſt. Ex. gr. *Venandi facultatem*, J. N. omnibus hominibus dedit; magna hic interceſſit mutatio. Quatenus verò *legem* denotat,

tum. Qui enim obligat ad finem, cenſetur quoque eundem obligaſſe ad uſurpanda media fini neceſſaria. Sed & *ſocialem vitam* à DEO hominibus *pro imperio injunctam* eſſe, indicio eſt, quod in nullo præterea animante ſenſus religionis, aut metus Numinis deprehendatur, qui in animali exlege intelligi non poſſe videtur. Abs quo generatur tener admodum ſenſus in animis hominum non plane corruptorum, quô convincuntur, in Legem Naturalem peccando offendi illum, cui in animos hominum imperium eſt, & qui metuendus ſit, etiam ubi ab hominibus metus non impendet.

§. XII. Quod vulgo dicitur, *iſthanc Legem naturâ notam eſſe*, id non ita capiendum videtur, quaſi in animis hominum jam naſcentium inhæreant actuales & diſtinctæ propoſitiones circa agenda & fugienda: * Sed partim quod illa per lumen rationis inveſtigari poſſit, partim, quod ſaltem communia & præcipua capita Legis Naturalis ita plana &

notat, nulla mutatio; (hinc etiam nulla *diſpenſatio*) locum habere poteſt, quia fundamentum, ſalus ſcilicet generis humani, cui ſuperſtructa, immutabile eſt. Et ſi qua mutatio objicitur, ea in *Objecto* non in *Lege*, adeoque *apparens*; non *vera* eſt.

* Jur. Nat. & Gent. L. c. 3. §. 24. pag. 13. ſeqq. Erid. Scand. Apolog. §. 24. p. 40. Epiſt. ad amicos. p. 135. Spicileg. p. 354.

§. XII.

& liquida ſint, ut ſtatim aſſenſum inveniant, & ita animis inoleſcant, ut nunquam inde iterum deleri queant, utut forte homo impius ad ſopiendas conſcientiæ vellicationes eorundem ſenſum plane ſtudeat extinguere. Quo nomine etiam in *Sacris Literis cordibus hominum inſcripta* (1) dicitur. Inde & cum à puero ex vitæ civilis diſciplina eorundem ſenſu imbuamur; & verò recordari non poſſimus id tempus, quando primum eadem hauſerimus, non aliter de ea cognitione cogitamus, ac ſi illa nobis naſcentibus jam adfuiſſet. Id quod cuilibet etiam circa linguam ipſi vernaculam contingit.

§. XIII. *Diviſio Officiorum*, quæ ex Lege Naturali homini incumbunt, commodiſſimè videtur inſtitui *ſecundum objecta*, erga quæ iſta ſunt exercenda. Quo intuitu illa in tres principales partes (1.) diſpeſcuntur; quarum prima

§. XII. (1) Non ſatis commodè hæc explicat Autor, dum *aptitudinem* tantum ad haurienda extrinſecus adventantia J. N. præcepta homini relinquit, & ita notitias eas practicas nobiſcum natas negat. Hôc ſenſu, cum Ariſtotele, *tabulæ raſæ* mentem comparat, cui quidem nihil inſcriptum, omnia tamen inſcribi poſſint, aliud ſobria Philoſophia ſuadet; aliud Scripturæ Sacræ locutio vult, quæ actualiter *inſcripta* cordibus dictamina practica dicit, non *corda ad inſcriptionem recipiendam* tantum *habilia*. Vid. Huberus *Digreſſion. p.* 11. *L.* 2. *c.* 5. §. 5. 6. ubi etiam hanc Pufendorfii ſententiam refellit.

§. XIII. (1) Aut, ſi mavis, *Claſſes*.

(2) Id,

prima tradit, quomodo ex ſolo rectæ rationis dictamine quis ſeſe debeat gerere *adverſus Deum*; altera, quomodo *adverſus ſeipſum*, tertia, quomodo *adverſus alios homines*. Quanquam autem primariò & directè ea præcepta Legis Naturalis, quæ ad alios homines ſpectant, ex Socialitate, quam fundamenti loco ſubſtravimus, deriventur: tamen etiam indirectè Officia hominis erga DEUM, tanquam Creatorem, inde deduci poſſunt, (2) quatenus ultimum firmamentum Officiis erga alios homines à religione & metu Numinis accedit, ſic ut ſociabilis quoque non eſſet homo, ni religione foret imbutus, (3) & quia ſola ratio in religione ulterius progredi nequit, quàm quousque illa inſervit promovendæ tranquillitati & ſocialitati hujus vitæ, (4) nam prout religio ſalutem animarum procurat, ex peculiari revelatione divina provenit. Officia autem hominis erga ſeipſum ex religione & ſocialitate conjunctim promanant. Ideo enim quæ-

(2) Id, quod ſufficit, quia de officiis hominis erga Deum, ſeu de Religione, per modum hypotheſeos in doctrina Juris Naturalis agitur; directè vero ea tractatio ad *Theologiam Naturalem* ſpectat.

(3) Monſtrat hoc egregiè Autor. *Cap ſequ. IV.* §. 9.

(4) i. e. ullum alium uſum atque finem videre nequit, ſcilicet quoad effectum; licet quoad Gentilium intentionem, ſpem & votum ejus obſervatio etiam ad gratiam Dei obtinendam inſervire debuerit.

(5) Non

quædam non pro abſoluto ſuo lubitu homo circa ſeipſum diſponere poteſt, partim ut cultor idoneus divini Numinis; partim ut commodum & utile membrum ſocietatis humanæ eſſe queat: (5)

(5) Non omittenda hic *diviſio* legum Naturalium alia, pariter utilis, & ab Objecto, ſed alio modo deſumta. Nimirum applicantur ea actionibus vel ſingulorum hominum, vel integrarum Gentium! Inde cum Hobbeſio *de Civ: c. XIV.* §: 4. & aliis illud *Jus Naturale hominum*, hoc *Jus Naturale Gentium*, dicere liceat, quæ certè hac ratione principiis non differunt, & per conſequens nec ſpecie, licet ſubindè præceptis. Neque hoc adeo novum vel abſonum videri debeat, cum ipſe Imperator *Jus Naturale* aliquod *Gentium* diſertis verbis ſtatuat, §: 1: *ſeqq: Inſt: de J. N. G. & Civ:* §: 11: *de Rer: Diviſ.* iſti Naturali juri oppoſitum, quod generalibus tantum præceptis abſolvitur. §: 3: *Inſt. de Juſtit: & jur:* Quamvis illa diſtinctio quoad rem ipſam cum noſtra non conveniat, nec in ſe ſpectata rectè ſeſe habeat. Imò Grotius; *Juris Gentium voluntarii* magnô niſu vanus fabricator; noſtram hypotheſin ipſe admittere cogitur. Vid. *J: B. & P. L. II: c.* 1: §. 16: & ſuum fœtum deſtruit, *L: II. c.* 3: §. 5:

CAPUT IV.

DE OFFICIO HOMINIS ERGA DEUM, SEU, DE RELIGIONE NATURALI.

1. Religio Nat. conſtat. præceptis theoreticis & practicis.

2. *Theoretica* ſunt: DEUM exiſtere.

3. Eſſe

3. Eſſe Univerſi Creatorem.
4. Et Rectorem.
5. Eſſe perfectiſſimum.
6. *Practica* injungunt cultum Dei tam internum,
7. Quam externum.
8. Religio Nat. intra hanc vitam terminatur.
9. Eſt vinculum ſocietatis humanæ.

§. I.

Officium hominis erga DEUM, quantum quidem ex naturali ratione inveſtigari poteſt, *duabus partibus* abſolvitur: tum ut de DEO recte ſentiamus, tum ut actiones noſtras ad ipſius voluntatem componamus. Inde religio naturalis (1) conſtat propoſitionibus tum *theoreticis*, tum *practicis*.

§. II. Inter ea, quæ de DEO cuivis homini ſentienda ſunt, (1) primum omnium eſt ut certo perſuaſus ſit, *Deum exiſtere*, i. e. revera dari ſummum aliquod & primum Ens, abs quo hoc univerſum dependeat. Id quod ſapientes ex ſubordinatione cauſarum,

§. I. (1) Ut jam ante monitum, Theologia Naturalis aliàs peculiarem diſciplinam conſtituit, quo etiam directa tractatio Officiorum hominis erga Deum pertinet. Ex illâ quædam per modum hypotheſeos huc transferuntur, indè etiam mirum non eſt, quòd ex convenientia cum ſocialitate non niſi per indirectum demonſtrentur, & eorum neceſſitas inde deducitur, quod aliàs ſocialitas ipſa nulla eſt; utpote cui Religio firmiſſimum præbet fundamentum atque firmamentum.

§. II. (1) Notiones contemplativas vocat Grotius, *J. B. & P. L. II. c.* 20. §. 45. *n.* 3.

(2) Scho-

rum, (2) quæ demum in primo aliquo ſiſti volunt, ex motu, & ex contemplatione machinæ hujus univerſi, & ſimilibus argumentis, liquidiſſimo demonſtrarunt. Quæ ſi quis neget abs ſe capi poſſe, non ideo Atheiſmi ſui excuſationem invenit. (3) Cum enim univerſum genus humanum in perpetua velut poſſeſſione iſtius perſuaſionis fuerit, (4) neceſſum erat, ſi quis eandem oppugnare velit, ut non ſolum omnia argumenta, quibus DEUS eſſe probatur, ſolide deſtruat, ſed & plauſibiliores rationes pro aſſertione ſua proferat. Simulque cum generis humani ſalutem eâ perſuaſione contineri hactenus creditum ſit, oſtendendum ipſi præterea fuerit, generi humano per Atheiſmum (5) melius conſuli, quam retentô

(2) Scholaſtici vocant *viam Cauſalitatis.* Conf. Grotium, *L. II. c.* 20.

(3) Hæc contra Hobbeſium, qui Atheos ſub imperio Dei eſſe negat, quia præcepta ejus non agnoſcant. *De Civ. c. XV.*

(4) Vid. Grotius, *L. II. c.* 20. §. 45. *n.* 4.

(5) Sermo eſt de *Atheiſmo Theoretico*, in ſenſu non Biblico; (quô omnes infideles Athei vocantur) ſed Philoſophico tali, qui cum ſit omnis malitiosè affectatus, & ſocialitatem prorſus evertat, hinc omnino graviſſimis pœnis coërcendus; licet aliàs Religio non velit cogi, &, qui ex Conſcientia erronea in hoc paſſu peccant, lenitate potius, quàm acerbis pœnis tractandi ſint. Neque ergo ferendum in Hobbeſio, quod *Imprudentiæ peccatum ſit* Atheiſmus, in eum ſeverè non animadvertendum ſtatuit. *De Civ. c. XIV.* §. 19.

§. III. (1)

tentô ſanô cultu Numinis. Quod cum fieri nullo modo queat, omnium eorum, qui iſthanc convellere quocunque modo aggrediuntur, impietas maxime eſt deteſtanda, & graviſſimis pœnis coërcenda.

§. III. Alterum eſt, *Deum eſſe univerſi hujus conditorem.* Cum enim ex ratione manifeſtum ſit, iſthæc omnia non extitiſſe à ſe ipſis, oportet ut eadem ſummam aliquam cauſam habeant. Quæ ipſa eſt id, quod DEUM appellamus. Ex quo conſequitur, falli eos, qui ſubinde *Naturam*, tanquam ultimam omnium rerum & effectuum cauſam, credant. (1) Nam ſi per id vocabulum intelligitur efficacia illa & vis agendi, quæ in rebus conſpicitur, illa ipſa utique autorem ſui, i.e. Deum arguit: tantum abeſt, ut ejus vis ad negandum Deum quid valere poſſit. Sin autem per *Naturam* intelligatur ſumma rerum omnium cauſa, ex profano quodam faſtidio defugitur plana & recepta Dei adpellatio. Errant quoque illi, qui cre-

§. III. (1) Vulgo dicuntur *Naturaliſtæ*, quorum præcipuus notus ille ex variis ſcriptis Benedictus Spinoſa, Ex-Judæus ad Chriſtianiſmum malè converſus; Vir aliàs doctus & Mathematicus inſignis, Fratrum Wittiorum Hagiæ Comitum oraculum, ubi etiam in ædibus Sartoris cujusdam ſuperiore ſeculo miſere obiit. Alio tamen ſenſu etiam *Naturaliſtæ* appellantur, qui ſolius Naturalis Religionis ope æternam felicitatem obtineri poſſe ſtatuunt, de quibus infra, §. IIX:

dunt Deum eſſe aliquid eorum, quæ in ſenſus incurrunt, & præcipue *ſidera.* Nam hæc omnia ſubſtantia ipſorum arguit, non eſſe primum aliquod, ſed ab alio ortum. Nec minus indignè de Deo ſentiunt, qui eum *mundi animam* (2) dicunt. Anima enim mundi, qualiscunque illa demum ſit, partem mundi notat: pars autem rei quomodo ejusdem cauſa, i. e. prius aliquid eſſe potuit? Quod ſi autem per animam mundi intelligatur primum illud & inviſibile, à quo omnium rerum vis & motus dependet, pro plano vocabulo obſcurum & figuratum nomen ſubſtituitur. Ex hoc ipſo quoque adparet, *mundum non eſſe æternum.* (3) Id enim abhorret à natura ejus, quod cauſam habet. Et qui mundum æternum aſſerit, aliquam ejus cauſam negat, & ſic ipſum Deum negat.

§. IV. Tertium eſt, ***Deum tum in univerſum mundum, tum in genus humanum regimen exercere.*** Id quod ex admirabili & conſtanti ordine, qui in hoc univerſo cernitur, liquido adparet. Quoad effectum

(2) Ita Stoici ſenſere.

(3) Error iſte fuit Ariſtotelis, qui mundum Deo coævum, & per hoc æternum ſtatuit, & certe error ſatis craſſus. Licet enim Terminum à quo Mundo ſola ratio adſignare nequeat; non poteſt tamen non, quin ut non æternum concipiat.

§. IV. (1)

fectum autem moralem perinde eſt, utrum quis neget, Deum exiſtere, an, ab eodem humana curari; (1) cum utrumque omnem religionem plane tollat. Fruſtra enim metuitur aut colitur, utut in ſe ſit præſtantiſſimus, qui nullâ plane noſtri curâ tangitur, & nihil boni malique in nos vult, aut poteſt conferre.

§. V. Quartum eſt, *nullum attributum in Deum cadere, quod aliquam imperfectionem involvat.* Cum enim ille omnium rerum cauſa ſit & origo, abſurdum foret, creaturam ipſius aliquam ſibi poſſe perfectionem animo concipere, quæ abs Deo abeſſet. Imó cum iſtius perfectio infinitis modis exſuperet captum tantillæ creaturæ, eandem terminis potius negativis, quam poſitivis, exprimere par erit. (1) Inde DEO haut quaquam ſunt tribuenda, quæ *finitum* (2) *aut determinatum* quid notant:

 quia

§. IV. (1) Tribuitur id Epicuro, qui putavit, beatitudini divinæ repugnare, ſi rerum noſtrarum cura Numen afficiatur, ſed Epicurum excuſavit Gaſſendus, in *Syntagmate Philoſophiæ Epicureæ, Part. II. Sect. I. c. 3. Animadverſ. 2. p.* 177. Idem, *in Vita Epicuri, L. IV. c. 1. ſeqq.*

§. V. (1) Hæc *altera via* eſt, quàm Scholaſtici vocant *Negationis.* Addunt etiam *tertiam*, ſcilicet *Eminentiæ*, hoc ſenſu: quod, quicquid perfectionum in Creaturis concipitur, id longe *eminentiore modo* ſit in Creatore.

(2) Scilicet quoad finitatem *extenſionis*, quod omni caret dubiô. Quæſitum tamen fuit, annon DEO ſaltim eô reſpectu, quô eſt *unus*, &, quo à Creaturis omnibus diſcerni-

quia finito majus ſemper attribui poteſt. Et omnis determinatio ac figura terminos ac circumſcriptionem involvit. Quin nec dicendus eſt diſtinctè & plene comprehendi aut *concipi noſtra imaginatione*, vel quacunque facultate animæ noſtræ; quia quicquid animo diſtincte & plene concipere valemus id finitum eſt. (3) Neque vero ideò, quia Deum infinitum dicimus, ejus conceptum plenum animo tenemus: cum infinitum proprie non notet aliquid in ipſa re, ſed impotentiam in animo noſtro; ac ſi diceremus, non capere nos magnitudinem ejus eſſentiæ. Inde nec recte dicitur, quod *partes* habeat, aut ſit *totum* aliquid; quia hæc attributa finitorum ſunt: neque quod *in loco* aliquo contineatur; quia hoc innuit fines & terminos magnitudinis: neque quod *moveatur* aut *quieſcat*; utrumque enim ſupponit, eſſe in loco. Sic nec Deo proprie attribui poſſunt, quæ *dolorem* aliquem aut *paſſionem* notant, (*proprie* dico; nam ubi talia Deo attributa leguntur, id fit *ἀνθρωποπαθῶς* pro effectu, non affectu) ut eſt ira, pœni-

cernitur, fines attribui poſſint, quoad finitatem *ſpecificationis?* Conradus Vorſtius, qui poſteriorem fovit ſententiam, propterea ferè inter Atheos relatus ejusque ſcriptum, quô hoc ſtatuit, in Anglia manu carnificis combuſtum. Refutatus etiam eſt à Joſepho de Voiſin. *Theolog. Judaic. L. II. c. 9. p. 292. ſeqq.*

(3) Finitum vero non eſt capax infiniti.

pœnitentia, miſericordia. Item, quæ *egeſtatem & abſentiam* alicujus boni notant, ut eſt adpetitus, ſpes, concupiſcentia, amor, cupido. Nam hæc involvunt indigentiam adeoque & imperfectionem: cum intelligi non poſſit, ut quis adpetat, ſperet, cupiatve, niſi quibus indiget, caretve. Sic & quando Deo tribuitur *intellectus*, *voluntas*, *ſcientia*, *& actus ſenſuum*, viſio, auditio, illa longe ſublimiori modo ſunt capienda, quam quo nobis inſunt. Nam Voluntas eſt adpetitus rationalis: adpetitus autem præſupponit abſentiam & indigentiam rei congruentis. Et intellectio ac ſenſus in hominibus involvit paſſionem, per objecta in organa corporis potentiæ ab alio dependentis, & conſequenter non perfectiſſimæ. Denique & illud à perfectione divina abhorret, ſi dicantur *plures uno Dii.* Nam præterquam quod admiranda mundi harmonia unum duntaxat ejus moderatorem arguit, etiam finitus tunc foret Deus, ſi plures eſſent paris poteſtatis ab ipſo non dependentes. Sic ut contradictionem involvat, plura dari infinita. Quæ cum ita ſint, maxime rationi congruum eſt, circa attributa DEI utcunque exprimenda uti nominibus vel *negativis*, ut infinitus, incomprehenſibilis, immenſus, æternus, i. e. principio &

fine carens: vel *ſuperlativis*, ut optimus, maximus, potentiſſimus, ſapientiſſimus, &c. vel *indefinitis*, ut bonus, juſtus, creator, rex, dominus, &c. eo ſenſu, ut non tam velimus, quid ſit, diſtinctè dicere, quam noſtram admirationem & obedientiam qualicunque expreſſione profiteri; quod eſt ſignum animi humilis, & animi honorantis, quantum poteſt.

§. VI. Propoſitiones *practicæ* (1) religionis naturalis verſantur partim *circa internum*, partim *circa externum cultum DEI*. *Internus cultus DEI* conſiſtit *in ejus honore*. Honor autem eſt opinio alienæ potentiæ conjunctæ cum bonitate. Debet ſcilicet animus hominis ex conſideratione potentiæ & bonitatis DEI, quantum poteſt, animo venerationem adverſus ipſum concipere. Ex quo fluit, ut eundem debeat *amare*, tanquam omnis boni autorem & datorem; in eum *ſperare*, tanquam abs quo in futurum quoque omnis noſtra felicitas dependeat; ejus voluntati *adquieſcere*, tanquam qui pro ſua bonitate omnia optime faciat, nobisque det, quæ maxime expediunt; eum *timere*, tanquam potentiſſimum, & cujus offenſa maximum ſit malum conciliare apta; ei denique

§. VI. (1) *Activæ notiones* Grotio dicuntur, *J. B. & P. L. II. c.* 20. §. 45. *n.* 3.

nique in omnibus humilime *obſequi*, tanquam creatori, domino ac rectori, optimo maximo.

§. VII. *Externus DEI cultus* in hiſce potiſſimum conſiſtit: ut homo DEO *gratias agat* prò tot bonis ab eo acceptis: ut ipſius voluntatem per actiones ſuas, quantum fieri poteſt, exprimat, ſeu ei *obtemperet*: ut ejus magnitudinem *admiretur* & *celebret*: *ut preces* ad ipſum *fundat* pro obtinendis bonis & averruncandis malis; (1) preces enim ſunt ſigna ſpei, ſpes vero bonitatis & potentiæ divinæ agnitio eſt: ut, ſi res tulerit, per ſolum DEUM *juret*, & juramentum religioſiſſime obſervet: hoc enim poſtulat omniſcientia & potentia DEI: ut de DEO *conſideratè loquatur*, id enim eſt ſignum timoris; timor autem potentiæ confeſſio eſt. Ex quo conſequitur: *non eſſe utendum Dei nomine temerè & fruſtra*; utrumque enim inconſideratum: *non eſſe jurandum, ubi non eſt opus*, eſt enim fruſtra: *non eſſe curioſe & petulanter diſputandum circa naturam & gubernationem DEI*: ex hoc enim nihil aliud ſequitur, quam ut DEUM exigere ve-

E 4 limus

§. VII. (1) Plato impietatem vocavit, ſi quis putet, Deum precibus poſſe flecti; hoc enim modo conſtantiam ejus in dubium vocari ſibi perſuaſit. Error ſane ortus ex perperam intellecta definitione Conſtantiæ; & conceptu de Deo ſibi male formato.

(2) Diſqui-

limus ad modulum noſtræ rationis: item, ut, *quicquid DEO præſtandum eſt, in ſuo genere ſit eximium, & honorem exprimere aptum*: item, ut *homo DEUM non ſolum ſecreto, ſed & palam & publice in conſpectu hominum colat.* (2) Occultare enim aliquid eſt, quaſi quis eo exercendo erubeſceret: contra publicus cultus non ſolum de noſtra devotione teſtatur, ſed & alios exemplo incitat. Denique ut *ſummo conatu Leges Naturales obſervet.* Nam uti imperium DEI parvipendere ſuperat omnes contumelias; ita è contrario omnibus ſacrificiis eſt acceptior obedientia.

§. VIII. Enimverò id certum eſt, effectum hujus religionis naturalis, præciſe & pro præſenti hominum conditione conſideratæ, intra ſphæram hujus vitæ terminari, ad æternam autem ſalutem nanciſcendam nequaquam valere. (1) Ratio quippe humana ſibi

(2) Diſquiſitum hoc meminimus: *an Jus Naturæ inter Officia hominis erga Deum etiam Cultum externum requirat.* Reſponſum fuit diſtinguendo inter *cultum Dei externum ritualem & non-ritualem.* Hic (in precibus quippe, gratiis agendis, laudibus Dei, & exercitio LL. Naturalium conſiſtens) utique neceſſarius; non æque ille (cujus maximam partem *Templa* & *Sacrificia* ex myſtica ratione in Ebræorum gente à Deo inſtituta faciunt) niſi ſi quando ſummi Imperantes forte viderint, eo impietatis prolabi populum, ut citra publici cultus inſtitutionem in officio contineri non poſſit.

§. IIX. (1) Jam ſuprà aliquoties de hoc monitum. Licet enim

ſibi relicta jam ignorat, pravitatem, quæ in facultatibus & inclinationibus hominis cernitur, per culpam humanam proveniſſe, Deique offenſam & æternum exitium mereri. (2) Eoque & neceſſitas Salvatoris, ejusque officium & meritum, nec non promiſſa DEI humano generi facta, & quæ alia inde dependent, eundem latent: per quæ ſola ſalutem æternam hominibus provenire, ex divinis literis conſtat.

§. IX. Operæ pretium porro fuerit paulo diſtinctiùs expendiſſe uſum, quem in vita hu-

 mana

enim probiores Gentilium de animæ immortalitate & felici ejus poſt hanc vitam ſtatu aliquid ſperarint; utriusque tamen non niſi probabilem habuere perſuaſionem, nullam autem veram certitudinem, quippe quæ ſolis Chriſtianis propria eſt. Cæterum Pet. Chauvin A. 1693. Roterodami edidit Librum, de *Religione naturali*, in quo ſtatuit, eam quoque ad æternam ſalutem conſequendam facere. *P. I. c.* 8. imo in Religione Chriſtiana nihil eſſe, quod non ex ratione demonſtrari poſſit. *P. II. c.* 5. *ſeqq.* Similiter ante hunc & Zvvinglius, in *Fidei Chriſtianæ expoſitione*, *fore*, ait, *ut in Beatorum loco ſint quoque Hercules, Theſeus, Socrates, Ariſtides, Antigonus, Numa, Camillus, Catones, Scipiones. Opp. Tom. II. p.* 559. *b.*

(2) *Prius* in hac Propoſitione concedo, dùm *hiſtoria lapſûs* non niſi ex ſacris literis ſcelus innoteſcit: ſed *poſterius* non æque per omnia; Nam *offenſam DEI* omne mereri ratio quidem dictitat; ſed *æterno exitio* id puniri durum nimis videtur, cum, quæ directioni hominis non ſubjacent, ut ſunt motus interni & inclinationes, ſaltim ad pœnam ordinariam & tàm atrocem non imputentur. Interim hic fluctuat miſer, ope verâ deſtitutus, & miſerationi divinæ ſoli ſe committit.

* *Jur.*

mana religio gignit, ut conſtet, *eam revera eſſe ultimum & firmiſſimum humanæ ſocietatis vinculum.* * Nam *in liberate naturali*, ſi metum divini Numinis removeas, ubi quis propriis viribus ſiſus fuerit, quælibet imbecillioribus pro libitu inferet, ac honeſtatem, pudorem, fidem inter inania vocabula reputabit, nec ad rectè faciendum aliter, quàm ſenſu propriæ imbecillitatis, adigetur. (1) Porrò, religione remotâ *Civitatum* firmitas intrinſeca ſemper in incerto foret, ac ad cives in officio continendos haut quidquam ſufficeret metus temporalis pœnæ, fides ſuperioribus data, ejusque ſervandæ gloria, & gratitudo, quod ope ſummi imperii à miſeriis ſtatus naturalis defendantur. Tunc enim reverâ locum haberet: *qui mori ſcit, cogi neſcit*; quippe cum DEUM non metuentibus nihil magis quàm mors metui poſſit. Huic contemnendæ qui ſufficeret, in Imperantes quævis tentare poſſit. Ut autem id *vellet*, vix cauſa defutura foret; puta ut declinaret incommoda, quæ ſibi ab alterius imperio videntur incumbere; aut ut ipſe potiretur commo-

mo.

* *Jur. Nat. & Gent. L. VII. cap.* 4. §. 8. Erid. Scan. §. 6. p. 7. Epiſt. ad Scherzer. p. 84. Appendic. p. 108. ſeq. v. Spicileg. Controverſ. §. 16. p. 350. Exam. Doctrin. §. 2. p. 326. Diſcuſſ. Calumn. Beckmann. p. 169.

§. IX. (1) Apparet id in talibus Rectoribus Civitatum, qui omnia ad Utilitatem privatam, nihil ad Conſcientiam referunt.

modis, quæ imperii poſſeſſorem comitantur. Præſertim cùm facile judicare poſſit, jure ſe id facere, vel quòd, qui in præſens rerum potitur, pravè remp. videatur gerere, vel quod ipſe longè melius imperaturum ſeſe ſperet. *Occaſio* autem ad talia tentanda facilè offerri poſſet, Rege vitam ſuam non ſatis caute circumſpiente, (& quis tali rerum ſtatu cuſtodes ipſos cuſtodiet?) vel multis conſpirantibus, vel, bello externo ingruente adſcitis in partes hoſtibus. Præterea cives ad injurias mutuo inferendas futuri eſſent proniſſimi. Cùm enim in foro civili pronuncietur ſecundùm acta & probata, omnia ſcelera & flagitia, ex quibus lucrum provenire aptum eſt, ſi occultè patrari & ſine arbitris poſſent, pro dexteritate ingenii, in qua placere ſibi quis poſſet, haberentur. Nemo quoque opera miſericordiæ aut amicitiæ foret exerciturus, niſi gloriæ aut emolumenti explorata ſpe. Ex quo & illud conſequeretur, ut, dum nemo in alterius fide, remotis pœnis divinis, ſolidam fiduciam collocare poſſet, ſinguli perpetuo metu & ſuſpicionibus anxii viverent, ne ab aliis deciperentur, aut læderentur. Sed & tam Imperantes, quam Subjecti parum proclives futuri eſſent ad præclara & glorioſa opera patranda. Nam *Imperantes* nullo conſcientiæ vinculô conſtricti, omnia munia, ipſam-

ipſamque juſtitiam venalia eſſent habituri, & in omnibus privatum commodum quæſituri cum oppreſſione civium; à quorum rebellione ut ſibi ſemper metuerent; ita ſuam ſalutem unicè in eo poſitam intelligerent, ut iſtos quam maximè enerves redderent. *Cives* contra, oppreſſionem imperantium formidantes, nunquam non circumſpecturi forent occaſiones rebellandi; nec minus tamen ipſi inter ſe diffiſuri, ſeque mutuo formidaturi erant. Quin & *Conjuges* oborta vel levi querela ſe invicem eſſent ſuſpectaturi, ne veneno, aut alio clandeſtino modo necarentur. Par periculum à *Familia* immineret. Cùm enim ſine religione nulla quoque futura foret conſcientia, non facilè eſſet, occulta ejusmodi ſcelera deprehendere; quippe quæ plerumque per inquietudinem conſcientiæ, & terrores in exteriora indicia erumpentes, produntur. Unde adparet, quantopere interſit generis humani, Atheiſmo omnes vias, ne invaleſcat, præcludere; ſimulque quanta vecordia eos agitet, qui ad opinionem prudentiæ politicæ conciliandam facere autumant, ſi in impietatem proclives videantur.

CAP.

CAPUT V.
DE
OFFICIO HOMINIS ERGA SEIPSUM.

1. Fontes Officiorum Hominis erga ſeipſum.
2. Officia ſunt *alia reſpectu animæ*, & concernunt
3. Religionem.
4. Notitiam ſui ipſius.
5. Exiſtimationis, & opum curam.
6. Delectationes & Affectus.
7. Artium & literarum ſtudia.
8. Alia ſunt Officia *reſpectu corporis*.
9. Obligatio circa vitam.
10. Hinc jus defenſionis.
11. Etiam quæ fit cum alterius cæde.
12. Tentanda tamen prius remedia leniora.
13. Inculpata tutela in ſtatu naturali.
14. In civitatibus.
15. Tempus inculpatæ tutelæ in ſtatu naturali.
16. In Statu civili.
17. Inculpata tutela an detur contra errantem.
18. Perturbatio animi in quantum excuſet in tutela.
19. Defenſio membrorum.
20. Pudicitiæ.
21. Rerum in utroque ſtatu.
22. Aggreſſor quandoque legitimam defenſionem habet.
23. Jus neceſſitatis.
24. Circa membra propria.
25. In Naufragio.
26. In communi vitæ periculo.
27. In caſu, quo alterius vita lædenda.
28. 29. Circa res aliorum.

§. I.

QUanquam hominem *amor ſui* penitus infixus ſubigat, ſolicitam ſui curam agere, ſuaque commoda omnibus modis procurare, ſic ut hoc intuitu aliquam *obligationem* commi-niſci

niſci ſupervacuum videatur; (1) alio tamen reſpectu homo utique certa quædam circa ſeipſum obſervare tenetur. Cum enim non ſibi ſoli ſit natus homo, ſed ideo tam eximiis dotibus à Creatore ſit ornatus, ut & ipſius gloriam celebret, & idoneum ſocietatis humanæ membrum exiſtat: inde ita ſeſe componere homo tenetur, ut ne dona Creatoris inculta perire patiatur, & ad ſocietatem humanam aliquid pro virili conferat. (2) Sic etſi ſua cuique ruditas maximo ſit probro & damno: rectè tamen à magiſtro vapulat diſcipulus, ſi, quarum capax erat, artes addiſcere negligat.

§. II. Porro cum homo conſtet duabus partibus, *anima & corpore*, quarum illa rectoris, hoc miniſtri aut inſtrumenti vicem ſubit, ſic ut animi imperio, corporis ſervitio magis utamur: utriusque quidem cura, ſed illius tamen præcipue agenda. Et *animum*

§. I. (1) Scilicet, quia *inſtinctus* ſeipſum conſervandi adeò validus eſt: inde lege aliquâ, quæ ſtudium conſervationis inculcet, non videtur eſſe opus. Verùm non repugnat, hominem per *inſtinctum* ad aliquid ferri, & tamen etiam *lege obligari*; id quod exemplô propenſionis ad matrimonium, amoris inter Parentes & liberos ac aliis patet.

(2) Hac ratione etiam *Officia hominis erga ſeipſum* ex Generali ſuprà propoſito Principio fluunt. Convenit enim quam maximè cum Socialitate, ſi quodlibet Societatis humanæ membrum culturam Corpori & animæ adhibeat; uti contra non poſſet non eſſe miſerrima ſocietatis conditio, ſi eam omittere omnibus liceret.

§. II. (1)

mum quidem quod attinet, ejus cultura huc potiſſimum redit, ut recte ſeſe habeant ſententiæ de rebus, quæ ad Officium hominis reſpiciunt, ac ut rite formetur judicium ac æſtimatio circa res quæ adpetitum ſtimulare ſolent, ut motus animi ad normam ſanæ rationis revocentur ac temperentur, honeſtis artibus atque ſcientiis opera detur, & verbo: ut ad vitam ſocialem formetur animus, Officiique honeſti ſenſu & amore imbuatur. (1)

§. III. Inter ſententias igitur, quas imbibiſſe omnem hominem oportet, princeps ea eſt, ut ea *de DEO* Creatore & conſervatore hujus univerſi ſciat teneatque, quæ præcedenti capite tradita fuerunt. In hac enim perſuaſione non ſolum præcipuum hominis Officium vertitur, ſed etiam ea firmamentum velut eſt omnis probitatis adverſus alios homines exercendæ, & fundamentum illius adquieſcentiæ; quâ hominum animi intrinſece perfunduntur. Hæc uti nemo ſanus negabit, ita, quæ his repugnant, opiniones ſolicitè excludendæ ſunt. Nec ſolum hîc intelligimus *Atheiſmum* & *Epicureiſmum*; (1) ſed alias quoque opiniones bonis

§. II. (1) Breviter: hæc ſunt ſumma illa capita; ad quæ *cura bonæ mentis* homini cuivis ſummè neceſſaria revocatur.

§. III. (1) In vulgus male audit Epicurus; ſed defenſionem ejus in ſe ſuſcepit inter alios Petr. Gaſſendus, *de vit. & mori-*

nis moribus & ſocietati humanæ exitioſas, & indolem actionum humanarum planè evertentes, quas inter eſt illa de *fato Stoico*, (2) de ſiderum poſitu, actionibus & eventibus humanis indiſpenſabilem neceſſitatem adferente, unde homines non niſi inſtrumenta actionum ſuarum redduntur, quas liberè moderari penes ipſos non ſit. Cognatum huic dogma eſt, quod conſecutiones cauſarum & effectuum, ſeu illa velut catena rerum à Creatore conſtituta tam immobilem habet legem, ut DEUS circa eandem ne in particularibus quidem caſibus libertatis ſibi quid reſervaverit. (3) Perniciosa quoque eſt per-

moribus Epicuri, L. III. c. 1. ſeqq. L. IV. c. 1. L. VI. c. 3. Adde *Syntagm. Philoſ. Epicur. p. II. ſect. I. c. 3. animadverſ.* 1. 2. ubi de inſigni ejus frugalitate ex Diog. Laërtio, & Menagii Obſervationibus multa adducit, & culpam malæ famæ in Stoicos partim, partim in perverſos Epicuri diſcipulos rejicit, qui, cum ille ſummum Bonum in *honeſta voluptate* ſive *animi tranquillitate & Corporis* indolentia conſtituerit, ipſi de *fœdis libidinibus* id perperam ſunt interpretati.

(2) *Fatum* id *duplex* erat Stoicis; unum *εἱμαρμένη* dictum, ſeu concatenata rerum ſeries, ſuo tempore neceſſario eventura; *alterum μοῖρα*, per quod id omne voluerunt, quod cuique boni malique ad usque finem vitæ ſit eventurum, vid. Salmaſius, *ad Solinum p.* 787. *edit. Traject.*

(3) Aliàs ſic exprimitur, *quod Deus ſit alligatus quaſi ad cauſas ſecundas.* Sapit hoc non tantum Spinoſismum; ſed & miracula, imò effectus precum & pœnitentiæ perimit.

(4) Cogi-

perſuaſio, quòd Numen peccata hominum velut nundinetur, & ea redimi patiatur pecuniâ (4) aliisque muneribus, inanibus quibusdam ritibus, (5) aut conceptis verborum formulis, citra emendationem vitæ. Item, quòd Numen capiatur ejusmodi inventis hominum, adſumtisque vitæ inſtitutis, quæ ad ſocietatem humanam & civilem, ad ſanæ rationis & legis naturalis dictamen attemperatam non quadrant. (6) Mala quoque eſt illa perſuaſio, quaſi homini ſolum pietatis exercitium (7) erga Deum ſufficeret, citra reſpectum ad probitatem, & officia erga homines exercenda; aut poſſe hominem non ſolum pro ſe ſuo officio adverſus Deum ſatisfacere, ſed & ipſi ſupereſſe poſſe, quod in alios transfundat. Item, dexteritati & nequitiæ ſcelerum eum indulgere, & quædam peccata habere velut jocularia: (8) Ac denique

(4) Cogitandum hic de famoſo illo Indulgentiarum Nundinatore Tezelio, & ſimilibus.

(5) Ritus ejusmodi Deum non afficiunt; inde etiam per rationem non conſtat de eorum neceſſitate, vel in cultu utilitate. Multò minus ergo idonei, ſi ſunt omninò inanes.

(6) Spectant huc Inſtituta Monaſteriorum & Monachorum, prout à recto uſu deflexerunt.

(7) i. e. Profeſſio fidei ſecundum certas formulas, & ſolius externi cultus obſervatio.

(8) Talium de Diis ſuis commentorum plena ſunt ſcripta Poëtarum Gentilium; inde etiam Plato eorum lectionem prohibuit.

(9) Sic

que Deo placere preces, quas quis fundit, ut alii homines immeritô malo mactentur, quo ipſis lucri aperiatur occaſio. (9)

§. IV. Poſthæc cuique cultura animi circa hoc potiſſimùm occupatur, ut *ſeipſum*, ſuamque naturam probè exploret & *noſſe* diſcat. (1) Ex hac enim cognitione ſui ipſius ritè ſuſcepta homo deducitur ad cognitionem ſuæ conditionis ac muneris, dum primò animadvertit, ſe non à ſe ipſo extitiſſe, ſed ſublimiori principio origines ſuas debere; ſe nobilioribus facultatibus dotatum, quàm quæ circa ſe conſpicit, bruta; ſe denique non ſolùm, nec ſoli ſibi natum, ſed partem eſſe generis humani. Ex qua notitia concludit, ſe imperio divino ſubjectum, ac pro captu donorum ſibi conceſſorum & Deo & ſocietati humanæ obligatum eſſe; Et quidem *intellectus* lumine ideò donatum, ut eo rectè utatur, certum, poſſibilem & licitum finem ſibi proponendo, & tum actiones ſuas, tùm alia media ad eum rectè attemperando; cui conjunctum, ut, quia verum & rectum ſemper

(9) Sic olim in Ducatu Slesvicenſi, in Inſula Nord-Strand DEO publice ſupplicatum fuit: *velle, ut ex* Naufragiorum bonis fiſcus incrementa pariat, GOtt wolle den Strand ſegnen.

§. IV. (1) Ipſi Gentiles hanc inter curas bonæ mentis non pro poſtrema habuerunt, ac proinde illud notiſſimum *γνῶθι σεαυτὸν* aureis literis templo Apollinis inſcripſerunt. (2) Sunt

per uniforme eſt, de ſimilibus ſemper ſimiliter judicet, ſibique, poſtquam rectè judicaverit, ſemper conſtet. *Voluntatem* autem & adpetitum ita compeſcenda eſſe, ut rectum judicium non præcurrant, ſed ſubſequantur, nec ejusdem decretis obluctentur. Deinde ſe probè cognitô homo deprehendit ſuam potentiam finitam, certosque habere limites, adeoque plurima eſſe, quæ dirigere, aut quibus obſiſtere nulla ratione queat; (2) aliqua non quidem abſolutè ſupra ipſius potentiam eſſe, ſed quæ tamen intercurſu & oppoſitione aliarum potentiarum (3) intercipi poſſint; quædam denique ejus potentiæ non aliter cedere, quam ſi eadem dexteritate fulciatur. Et quum videat, nihil tantopere in ipſius poteſtate conſtitutum, quàm liberum arbitrium, ejusque potentia, quatenus circa proprias hominis actiones eliciendas diffunditur; inde in id præcipuè incumbendum ſibi judicat, ut his ſuis facultatibus benè & ad præſcriptum rationis recte utatur. Hoc quippe illud eſt, ex quo cujusque intrinſeca præſtantia & probitas eſt metienda. (4) Denique

(2) Sunt iſti caſus & eventus fortuiti propriè ſic dicti, qui humanis Conſiliis nec prævideri, nec averti poſſunt. Vid. infr. *c. VI.* §. 10.

(3) Earumque tam naturalium, quàm moralium.

(4) Parallelus huic locus occurrit apud Autorem infrà *c. VII.* §. 5. §. V. (1)

nique de cæteris, quæ *extra nos poſita* ſunt, ita cenſet, ut ſi vires ipſius non excedant, ad finem ejus faciant, & digna ſint, propter quæ labor ſumatur, circa ea laboret, & propoſitum quidem rectè formatum urgeat, nec tamen etiam contra torrentem nitatur. Et quia homo, in quantum ſolo rationis lumine regitur, in his terris ad aliam felicitatem adſpirare nequit, quam quæ ex prudenti facultatum ſuarum regimine naſcitur, & ex ſubſidiis à divina Providentia ordinatis, hinc cæcæ velut aleæ nihil committendum exiſtimat, & quum futuros eventus penes hominem non ſit dirigere, iique ſæpe præter ſpem noſtram cadant, indè nec præſentibus nimis ſecurè confidendum, nec futura ſupervacuâ anxietate & curâ præcipienda, ſed ob eandem cauſam ſecundis rebus inſolentiam, adverſis deſperationem procul habendam ſtatuit.

§. V. Sunt quoque quæ adpetitum humanum præcipuè ſtimulare ſolent, (1) quibus ut homo juſtum pretium ponere ſciat, pars quoque hujus culturæ eſt neceſſaria. In his autem ut *Opinio præſtantiæ* & excellentiæ, unde honor & gloria apud alios progignitur ſplendidiſſima, & quæ erectioris indolis homines præcipuè ſollicitare idonea eſt: ita

§. V. (1) Confer *præced. C. I.* §. 11.

(2) De

ita circa hanc ſic formandus animus, ut omnium maximè *Exiſtimationem ſimplicem* (2) ſeu opinionem boni viri acquirere & conſervare etiam adverſus calumnias laboret. *Intenſiva* autem *Exiſtimatio*, honor & gloria eatenus adpetenda quatenus ex præclaris & ad bonum ſocietatis humanæ ſpectantibus factis redundant; & ſedulò cavendum, ne animus arrogantiâ & inſolentiâ infletur. Ubi occaſio, (3) quà præſtantiam ſuam exſerat, deficit, id æquô animô ferat, & quia penes nos non eſt, fortunam pro lubitu fabricare, (4) meliora citra ægritudinem expectet, quum hoc caſu nihil ſit, quod ei poſſit exprobrari. Inter ſtultiſſima autem meritò habetur, de eo velle gloriari, quod inane eſt, aut per malas artes ad famam & honores graſſari. *Opes* etiam & rerum extrinſecarum copia plerumque hominum mentes afficere ſolent. Et indiget quidem iis homo non ſolùm ad ſui conſervationem, ſed & aliis indè proſpicere inter officia eſt; At quia indigentia noſtra non eſt

 infini-

(2) De utraque tam Intenſiva, quàm extenſiva agetur infra pluribus. *L. II. c.* 14.

(3) Quæ ad Occaſionem requirantur, Autor expoſuit *c. I.* §. 22.

(4) Dicitur quidem *quilibet fortunæ ſuæ faber*; ſed hoc cæteris paribus. Et quum vocabulum fortunæ ad τὰ μέσα pertineat, de adverſa potiùs id intelligendum eſt.

§. VI. (4)

infinita, nec natura deſinit eſſe fœcunda in iis producendis, & à morientibus omnia relinquenda ſunt; inde rationis eſt, tùm in parandis, tùm in poſſidendis & erogandis iis modum tenere, ne læſâ honeſtate eas corrodamus, aut avaritia prodigalitatéve peccemus, aut denique vitiorum fomenta faciamus. Et quia variis caſibus perire poſſunt, ita animus adſuefaciendus, ut, ſi ſors ferat, iis amiſſis non velit concidere.

§. VI. Magnam quoque vim movendi animos hominum habent *Voluptates*, quas ſi quis innocentes modicè deguſtet, id crimen non habet. Nam quemadmodum dolor ad deſtructionem corporis tendit, & non neceſſarius fugiendus eſt; ita delectatio corpus æquè ac animum reficit, nec repugnat rationi, eam adpetere; modo caveatur, ne immoderato ejus uſu homo enervetur, corporis juxta ac animi vigor ſupprimatur, opes melius erogandæ diſſipentur, aut aliàs cùm delicto conjuncta periculum, damnum, dedecus & dolorem ea poſt ſe trahat. (1) Tandem & circa id ſollicitè animo cura eſt adhibenda, ut motus ſuos & *Affectus* in poteſtate habeat, quorum plerique non ſolum valetudi-

§. VI. (1) Concluditur jam ex his, poſſe Sapientem utique rectâ ratione indulgente Honores, Opes atque Delectationes honeſtas quærere, neque id, ſi modo juxta præcepta hic propoſita agatur, ipſi DEO diſplicere.

(2) Vide

tudinem corporis, & vigorem animi vehementer profligant; ſed & judicium intellectûs velut obnubilant, & in devia ab Officio inclinant, (2) ſic ut frigus affectuum ſit velut naturale principium prudentiæ & probitatis inter homines. *Lætitia* in ſe naturæ quidem comprimis congruit, ſed cavendum, ne intempeſtivè, aut ex cauſis non idoneis ſe exſerat. *Triſtitia* animum corpusque velut caric quadam exedit; igitur ea, quantum poteſt, exterminanda, niſi quatenus inter Officia humanitatis habetur, calamitatem aut mortem aliorum lugere, aut quatenus pœnitentia ob prava facinora exprimenda requiritur. Interdum ea ex *metu* imminentis mali oritur; verum, quia hoc animo ſumto & circumſpectione prudenti ſæpe averti poteſt, inde, quantum pote, procul iſta formido pellenda. *Amor* humanæ naturæ amicus Affectus, ſed qui ratione hactenus temperandus eſt, ut in objectum dignum & licitum feratur. *Odium* infeſtus Affectus tam habenti, quam illis, in quos fertur; ergo id, quantum

(2) Vide, quæ de Affectibus dicta fuerunt, *c. I.* §. 14. Eleganter Marc. Antoninus eos vocat ὁρμὰς ἀκοινωνήτους, *impetus inſociabiles*; hinc omnino moderandi ſunt & refrenandi, ne lædant ſocialitatem. Exterminari omnes nec poſſunt nec debent, quæ Stoicorum erronea erat opinio, dum Philoſophum ſuum planè ἄπαθον formare volebant, conatu non ſolum vano, ſed & improbo.

(3) Dari

tum poteſt, reſtinguendum; &, ſi quis omnino dignus occurrat, quem averſemur, ne tamen ideo nobis ipſis ægritudinem conciliemus. *Invidia* deformis plane Affectus, dum invidus propriis moribus, ſicut rubigine ferrum, conficitur. *Spes* lenior quantumvis, ita tamen temperanda, ne, dum vana, incerta ac ſuper vires poſita complectitur, animus ſeſe gratis fatiget. *Ira* violentiſſimus juxta ac pernicioſiſſimus, cui omni ſtudio reluctandum, quæ & ipſam fortitudinem, ac in periculis conſtantiam velut occæcat & præcipitat. Huic congrua eſt *libîdo vindictæ*, quæ quatenus excedit legitimam & moderatam defenſionem, & ſuorum jurium aſſertionem, (3) plane in vitio eſt.

§. VII. Datur præterea peculiaris animi cultura in variarum rerum, *Artium* & *Diſciplinarum notitia* conſiſtens, quæ licet non quibusvis adeo neceſſaria ſit ad Officium hominis ritè obeundum; nemo tamen in dubium vocabit, quin neceſſitatibus & commoditatibus humanæ vitæ apprimè ſint utiles. Igitur, ne inutile terræ pondus ſit, ſibi inutilis, aliis moleſtus, quisque eas capeſſet: Et quidem tempeſtivè eligat honeſtum vitæ genus, prout impulſus genii, corporis atque ingenii habi-

(3) Dari enim vindictam, in Statu maximè Naturali, licitam, mox audiemus.

§. IIX.

habilitas, natalium conditio, fortunæ bona, parentum autoritas, Imperántium civilium juſſa, occaſio, aut neceſſitas fert.

§. IIX. Hactenus de animo, & quæ ad culturam illius neceſſaria ſunt. Cùm autem animus fulturis *Corporis* ſuſtineatur, inde vires ejus congruentibus alimentis ac laboribus erunt (1) firmandæ & conſervandæ, nec intemperantiâ cibi potûsque (2) intempeſtivo ac non neceſſario labore, aliave ratione affligendæ. Quo nomine vitanda ingluvies, ebrietas, immodica Venus, & ſimilia. Cùm etiam inordinati & vehementes Affectus, ut modò dictum fuit, non ſolùm ad perturbandam ſocietatem ſtimulos moveant, ſed & ipſi homini plurimum noceant: inde danda opera, ut quis eos, quantum fieri poteſt, compeſcat. Et quia multa pericula repelli poſſunt, ubi animoſè iis obviam eatur, mollities animi ejicienda, idemque contra periculorum terrores obfirmandus.

§. IX. Quia autem nemo ſibi ipſi vitam dedit, ſed illa pro DEI beneficio eſt habenda,

F 5 ad-

§. IIX. (1) Officia ratione Corporis, præſertim in hiſce tribus conſiſtunt. Ut nimirum homo iſtud, (1) nutriat, (2) Sanum conſervet, & (3) contra iniquas læſiones tueatur.

(2) Edimus enim & bibimus, ut vivamus; non vivimus, ut edamus & bibamus, quod inſaciabilium, lurconum atque popinonum eſt.

§. IX.

adparet quoque, homini nequidquam competere poteſtatem in propriam vitam hactenus, ut eandem pro lubitu poſſit abrumpere; (1) ſed exſpectandum utique eſſe, quoad quis evocetur ab eo, qui nos in hacce ſtatione collocavit. (2) Equidem id utique rectè fieri poſſe videtur, cùm homo poſſit & debeat ſuâ operâ aliis inſervire, & verò certum genus laborum, aut eorum intenſio vires hominis ita atterat, ut ſenium vitæque terminus maturius ingruat, quam ſi quis molliter ætatem exegiſſet: (3) ut quis eligat, probabilem occaſionem brevioris vitæ, quo talenti ſui uſum aliis eò largiùs diſpenſet. Sed & cùm ſæpe multorum vita ſervari nequeat, niſi pro iis alii probabili ſeſe vitæ periculo exponant; per imperantem legitimum poſſe civi

§. IX. (1) Hinc etiam eſt, quod nemo pro altero morti ſe offerre poſſit. &, per conſequens Obſides & Sponſores vitam ſuam obligare nequeant, quod quidem veteres putarunt. Grotius, *l. c. Lib. II. cap.* 15. §. 16. *n.* 3. *c.* 21. §. 11. *n.* 2.

(2) Prohibita ergo Jure Naturæ *autochiria*, quam licitam olim docuere Stoici. Vide Senecam, *Ep.* 69. ubi, *exerce te*, inquit, *ut mortem excipias, & ſi ita res ſuadeat, acceſſas. Intereſt nihil an illa ad nos veniat, an nos ad illam.* Et quum multi Ictorum Romanorum Stoicæ ſectæ addicti fuerint, hinc eſt, quod hujus doctrinæ veſtigia quædam in LL Romanis occurrunt. *l.* 11. §. 3. *ff. de his, qui notant, infam. l.* 3. §. *ff.* 3. *de bon. eorum, qui ante ſentent. mort. l.* 9. §. 7. *ff. de pecul.* Conf. Grot. *Lib. II. cap.* 19. §. 5.

(3) Hoc contingit viris egregiis, qui *aliis inſerviendo ipſi conſumuntur.*

(4) Ex-

civi ſub comminatione graviſſimarum pœnarum injungi, ne ejusmodi periculum fugâ declinet. (4) Imo & ultrò tale periculum ſubire licebit, modò graviores cauſæ non retrahant, & ſpes ſit iſthoc in aliorum ſalutem ceſſurum, & hi digni ſint, qui tam carè redimantur. Nam id ſtolidum fuerit, alteri perituro fruſtra ſeſe comitem addere, aut egregium virum pro nauci homine mortem oppetere. De cætero tamen per Legem Naturæ haud quidquam præcipi videtur, ut quivis cujusvis alterius vitam ſuæ vitæ præferat; ſed cæteris paribus ſibi quisque proximus eſſe permittitur. Aſt verò, qui vel tædio moleſtiarum, quæ vitam humanam communiter comitantur, vel indignatione malorum, quæ humanæ ipſos ſocietati erubeſcendos erant redditura, (5) vel metu dolorum, queis fortiter toleratis exemplo ſuo prodeſſe aliis poterant, (6) vel per vanam jactantiam fidei (7) aut fortitudinis vitam ultro abrumpunt & projiciunt, utique in Legem Naturalem peccare ſunt cenſendi. §. X.

(4) Exemplô ſint milites. De hoc Jure Summorum Imperantium videbimus, *L. II. c.* 13. §. 2.

(5) Erant hæ fere cauſæ, propter quas permiſſum ſtatuebant autochiriam Stoici. Vid. Ziegler ad Grotii *L. II. c.* 19. *pag.* 420.

(6) Ut olim in Eccleſiâ primitivâ, & dein etiam Martyres.

(7) Exempla habet Autor, *J. N. & G. Lib. II. c.* 3. §. 14. Tales ſunt, qui ſe pro aliis devoverunt, ut Antinous, pro Hadriano &c. §. X.

§. X. Cæterùm quia ſæpenumero conſervatio ſui, quam & tenerrimus affectus & ratio homini commendat, cum præcepto de Socialitate collidi videtur, (1) dum nempe ſalus noſtra ab alio homine in periculum conjicitur, ſic, ut aut nobis ſit pereundum, vel grave incommodum ſubeundum, aut alter cum læſione propulſandus: igitur quali cum *moderamine defenſio noſtri contra alios homines ſit temperanda*, jam tradendum. Inſtituitur igitur defenſio noſtri vel *ſine læſione* ejus, (2) abs quo malum nobis imminebat, dum efficimus, ut ei anceps aut formidoloſa noſtri invaſiō videatur; vel cum *iſtius læſione* aut pernicie. (3) Prior modus quin ſit licitus, omnique peccato vacet, dubium non habet.

§. XI. Enimvero circa poſteriorem modum ſcrupulus moveri poteſt; quòd parem jactu-

§. X. (1) Dubium hinc naſci poſſit, an illa Officia hominis erga ſeipſum, quæ conſervationem ſui cum læſione vel cæde Socii conjunctam injungunt, ex Principio J. N. ſupra propoſito derivari poſſint. Videtur ſanè, quod non; *quia cum Socialitate non convenit, lædere vel occidere.* Ergò, vel principium non eſt adæquatum; vel ad Officia hominis erga ſeipſum hæc talia non pertinent. Sed reſpondetur; non convenire quidem tales actus, v. gr. *lædere, occidere*, &c. cum Socialitate *tanquam media Ordinaria*; convenire tamen *tanquam extraordinaria*, & non niſi in caſu *extremæ neceſſitatis* locum habentia.

(2) Hæc eſt Defenſio *incruenta*, quæ diſtinctius exponitur in ſequ. §. XV.

(4) Hæc eſt Defenſio *cruenta.* §. XI

jacturam videatur facere genus humanum occiſo invaſore, (1) quàm ſi ipſe peream; & quòd utique perdendus ſit mei ſimilis, quicum ad colendam vitam ſocialem adſtringor; & quòd majores turbas videatur parere violenta defenſio, quàm ſi vel fugam arripiam, vel corpus patienter invaſori præbeam. Verùm iſta hoc defenſionis genus haut quidquam faciunt illicitum. Nam (a) ut adverſus aliquem pacificè & amicè agam, requiritur, ut ipſe ſe talem erga me præbeat, qui ejusmodi officia à me recipere idoneus ſit. Et quia (b) Socialitatis lex ad ſalutem mortalium ſpectat, ideò ejusdem talis eſt facienda interpretatio, quæ ſingulorum ſalutem non peſſundet. Inde (c) ubi alter exitio meo imminet, nulla eſt lex, quæ meam me ſalutem prodere jubeat, ut alterius malitia impune graſſari queat. Et qui (d) ex tali occaſione læditur aut occiditur, habet quod ſuæ pravitati imputet, quæ mihi iſthanc neceſſitatem impoſuit. Alias quippe omnia bona, quæ natura aut induſtria nobis peperit, fruſtra forent conceſſa, ſi alteri injuſte illa invadenti vim non liceret opponere; & parata præda improbis expoſiti forent

§. XI. (1) Breviter, quod ſit contra ſocialitatem. Sed reſpondet Autor quinq; rationibus ſat gravibus, quæ omnes eò tendunt, quod *Socialitati ſtudendum ſit, ubi cætera etiam fuerint paria.* * Grot.

rent probi, ſiquidem hi iſtis nunquam deberent vim opponere. Sic ut violentam ſui defenſionem plane proſcribere, exitio generi humano ſit futurum. * (2)

§. XII. Non tamen ſemper, quando injuria intentatur, ad extrema licet provolare, ſed *tutiora prius remedia tentanda*; puta ut aditum invaſori intercludam, ut intra munita loca me contineam, ut invaſorem moneam à furore deſiſtere. (1) Sicut & hoc prudentis eſt, *levis injuriæ patientia*, ſi commodè fieri poſſit, defungi, & de ſuo jure aliquid remittere potius, quam intempeſtiva violentiæ oppoſitione majori ſeſe periculo exponere; præſertim ubi impetatur id, quod facile reparari aut penſari queat. Verùm ubi hoc aut ſimili modo ſalus mea in tuto locari nequeat, pro eadem expedienda vel extrema tentare licebit. *

§. XIII. Sed, ut liquido judicari poſſit, an quis intra *limites inculpatæ defenſionis* ſubſtiterit, diſpiciendum prius eſt, utrum quis *in naturali libertate* nulli mortalium ſub-

* Grot. *Lib. I. cap. 2. per tot. Lib. II. cap.* 1. §. 3. *ſeqq.*

(2) Hiſce fundamentis etiam innititur *Jus belli publici*. Imò indè concludimus, *duellum ſeu bellum privatum* in ſtatu Naturali non eſſe injuſtum; ſed ſuo modò *licitum*. Conf. §. XIII.

§. XII. (1) Hæc eſt illa *defenſio incruenta*, qua de modò dictum §. X.

* Grot. Lib. II. cap. 24.

§. XIII. (1)

ſubjectus, an vero *Imperio Civili* obnoxius degat? *Priori ſtatu*, ubi alter injuriam inferre pertendat, nec pœnitentiâ pravi conatûs ductus, ad pacem mecum colendam redire velit, (1) hunc vel cum cæde repellere potero. Idque non ſolùm ſi vitam meam impetat, ſed & me vulnerare, (§. 19.) aut lædere duntaxat, aut etiam res (§. 21.) ſalvo corpore, eripere conetur. Nam (a) neque cautum eſt mihi, quod ab iſtis injuriis ad majores non ſit tranſiturus; & (b) qui ſeſe hoſtem profitetur, nullo amplius jure munitur, quo minus quovis modo à me repellatur. Ac (c) revera tunc inſociabilis eſſet hominum vita, ſi contra eum, qui modicas injurias continuare non deſiſtit, extrema non liceret adhibere. Hoc modo enim (d) modeſtiſſimus quisque deterrimo cuique perpetuum ludibrium deberet. (2)

§. XIV. Qui autem *Imperio Civili* ſubjecti degunt, tunc demum violentam ſui defenſionem licite adhibent, quando tempus ac locus non fert, auxilium magiſtratus implorari, ad repellendam eam injuriam, quâ vita, vitæque æquipollens, aut irreparabile bonum

§. XIII. (1) Scilicet poſt remedia tutiora omnia tentata.
(2) Quatuor hæ rationes conjungendæ cum illis, quæ pro juſtitia belli publici & privati in §. XI. allatæ fuerunt.

§. XIV. (1)

bonum in præſentaneum periculum conjicitur. (1)

§. XV. Circa *tempus*, intra quod defenſio recte fieri poteſt, ita habendum eſt. Qui *in naturali libertate* utrinque degunt, etſi poſſint ac debeant præſumere, alios adverſus ſe officia Legis Naturalis obſervaturos: (1) tamen propter malitiam ingenii humani nunquam ita ſecuri eſſe debent, (2) quin ſibi maturè innoxia munimenta circumponant; puta, aditum præſtruendo hoſtilia molientibus, arma viroſque comparando, ſocios adjungendo, aliorum conatus vigilanter obſervando, & quæ ſunt ſimilia. (3) Verum iſta *ſuſpicio*, orta ex communi hominum malitia, non ſufficit, (4) ut ſub obtentu defenſionis meæ alterum ultro armis opprimere poſſim, nequidem ſi *potentiam* ipſius *nimis gliſcere* videam; præſertim ubi ean-

§. XIV. (1) Tales revera perveniunt in Statum Naturalem extraordinarium. *Quotieſcunque enim aliquis deſtitutus eſt ope Imperii Civilis & Civium, tametſi in Media Civitate vivat; toties pervenit in Statum Naturalem Extraordinarium.*

§. XV. (1) Eſt enim Status Naturalis *Status pacis.*

(2) Eſt enim *Pax* iſtius Status Naturalis *non ſatis fida.* Conf. infr. *L. II. c.* 1. § 11.

(3) In his quippe conſiſtit *Defenſio*, quam ſuprà diximus *incruentam.*

(4) Agit hic Autor de *Termino à quô* inculpatæ tutelæ in Statu Naturali, & quidem primo *remotive*; ubi docet, ſolam *ſuſpicionem* ad arma capeſſenda non ſufficere.

* Grot.

eandem innoxia induſtria, aut per benignitatem fati citra aliorum oppreſſionem adauxerit: * Quin ſi quis præter facultatem nocendi etiam *voluntatem* oſtendat, non quidem adverſus me, ſed alium, non ideo ſtatim meo nomine eum invadere ultro poſſum; niſi ad auxilium alteri, qui injuſte à potentiore invaditur, ex fœdere tenear. Quod eo promtius facere expedit, ſi probabile ſit, iſtum altero oppreſſo in me quoque tranſiturum, & priore victoria pro inſtrumento ſequentis uſurum. Aſt (5) ubi liquido adparet, alterum circa inferendam mihi vim jam occupari, licèt conatus ſuos nondum plene expromſerit, ſtatim licebit violentam ſui defenſionem auſpicari, & noxam adparantem occupare; ſiquidem nulla ſpes ſit, fore, ut amicè admonitus hoſtilem animum exuat, aut ejusmodi admonitio rebus noſtris noxia ſit futura. Undè heic pro *Aggreſſore* erit habendus, qui prior voluntatem nocendi alteri concepit, & ad eandem exſequendam ſe comparavit; *defenſionis* autem *favor* illum comitabitur, qui celeritate uſus tardius molientem oppreſſerit. Neque

* Grot. *Lib. II. cap.* 1. §. 17. *&c. cap.* 22. §. 5.

(5) Jam ſecundo *poſitivè* tradit *terminum à quô* tutelæ inculpatæ, rectèque docet, quod in Statu Naturali Conatus hoſtium *occupare* liceat; quod non licet in Statu Civili.

(6) Caroli

quę enim ad defenſionem requiritur primum ictum excipere, (6) aut ictus, qui intentantur, eludere duntaxat & repellere. In hoc porrò ſtatu (7) non ſolùm in præſens intentatum periculum repellere, ſed & hôc depulsö invaſorem eo usque perſequi poſſum, quoad ab illo in futurum ſatis mihi cautum ſit. Super qua *cautione* ita habendum: Si quis, injuria intentatâ, ultrò pœnitentiâ ductus veniam petat, & damni reſtitutionem offerat, in gratiam cum ipſo, fide acceptâ, redire debeo. Nam firmum eſt ſignum animi emendati, ſponte pœnitere, & veniam petere. Aſt qui tunc demum pœnitentiam præ ſe fert, quando reſiſtendi vires deficiunt, ejus nudo promiſſo fidere parùm tutum videtur. Igitur tali vel vires nocendi ſubtrahendæ, vel aliud vinculum injiciendum, (8) ne deinceps nobis exiſtat formidabilis.

§. XVI. Aſt in civitatibus haud quidquam tam laxum ſpatium ad ſui defenſionem indulgetur. Nam heic licet quis intellexerit, (1) civem

(6) Caroli V. Peinl. Halß-Ger. Ordn. Art. 140. Iſt auch mit ſeiner Gegenwehr / biß er geſchlagen wird / zu warten nicht ſchuldig.

(7) In his de *Termino ad quem* legitimæ defenſionis in Statu Nat. agit Autor; ſcilicet hic *proſequi* licet victoriam & vindictam exercere; quod ſecus ſe habet in Statu Civili.

(8) Puta, obſidibus datis, captis pignoribus &c. vid. infr. *L. II. c.* 16. §. 17.

(1) civem ſeſe comparare ad vim ipſi inferendam, aut atroces minas ſpargere, nequaquam *occupare* iſtum licebit; ſed ad commnem Imperantem erit deferendus, & ab eodem cautio petenda. Verùm ubi quis ab altero jam invaditur, & in eas redigitur anguſtias, ut magiſtratus aut aliorum civium implorandi ſubſidium facultas non ſit, (2) tunc demum ad repellendam vim vel extrema invaſori licebit intentare: non quidem ea intentione, ut per cædem vindicta ob injuriam exigatur, ſed quatenus vita citra ejusmodi cædem è præſenti periculo nequit eripi. *Initium* autem temporis illius, quo quis in ſui defenſionem alium impunè poteſt occidere, inde ſumitur, quando Aggreſſor voluntatem impetendi vitam meam præ ſe ferens, & à viribus inſtrumentisque nocendi inſtructus, jam intra illum locum extiterit, ex quo re ipſa nocere poſſit, computato quoque illo ſpatio, quo opus eſt, ſi ego prævenire, quàm præveniri malim. (3) *Perdurat*

§. XVI. (1) *Terminus à quo* inculpatæ Tutelæ in Civitatibus *remotivè*.

(2) *Terminus à quo* inculpatæ tutelæ in Civitatibus *poſitivè*.

(3) Conſiſtit igitur tutela inculpata in hiſce quatuor, ut (1) quis ſit in Statu defenſionis, non aggreſſionis, (2) ut arma, quibus petitur, ſint letifera, (3) neceſſitas defenſionis inevitabilis, & (4) id, quod petitur, ſit irreparabile.

(4) *Ter-*

durat autem (4) *ſpatium inculpatæ tutelæ* quoad Aggreſſor fuerit depulſus, aut ultro receſſerit, vel pœnitentia in ipſo facinoris momento tactus, vel quod conatum ejus eventus deſtituerit; (5) ita ut in præſens nocere amplius nequeat, nobisque ſit facultas in loca tuta nos recipiendi. Nam ultio injuriæ & cautio in futurum ad Imperii Civilis curam & poteſtatem ſpectat. *

§. XVII. Licet autem defenſionem ſuſcipere tam adverſus eum, qui dolo malo, quam qui *per errorem* exitium mihi intentat; puta, ſi quis inſania agitatus me invaſerit, aut quia me alium, quo cum inimicitiæ ipſi intercedunt, crediderit. Nam ſufficit, quod alteri non ſit jus ad me invadendum, aut occidendum, neque in me ſit obligatio ad mortem fruſtra ſubeundam. (1)

§. XVIII. Quanquam autem dictum ſit, non recte ad cædem provolari, ubi comodiore via periculum depelli poteſt: tamen propter *perturbationem animi*, quam imminens periculum parere ſolet, non omnia ad vivum

(4) *Terminus ad quem* inculpatæ tutelæ in Civitatibus.

(5) V. gr. Si telum exciderit, vel pulvis pyrius ignem non conceperit.

* Grot. Lib. II. Cap. I. §. 5.

§. XVII. (1) Adde, quod ex juſtâ ratione Error regulariter magis noceat erranti, quàm cuivis alteri.

vivum reſecari ſolent; (1) cum in tali periculo trepidanti non ita accuratè omnes evadendi vias liceat circumſpicere, ſicut ei, qui tranquillo animo rem conſiderat. (2) Inde uti ex loco tuto ad provocantem ultro deſcendere temerarium eſt; ita ſi in aperto me loco conſtitutum alter invadat, non præciſe ad *fugam* obligor, niſi forte in propinquo ſit tale ſuffugium, in quod me citra periculum poſſim recipere; neque ſemper ceſſim ire teneor. Nam & ibi nudum tergum oſtendendum, & utrinque periculum lapsûs imminet, ac ubi ſemel gradu ſis depulſus, eundem iterum componere haut facile eſt. (3) Uti autem aliquis favore defenſionis non excluditur, quod ultro in publicum ad ſua negotia obeunda prodiit, cum, ſi domi manſiſſet, à periculo immunis erat futurus: ita eodem non fruitur, qui ab altero in *duellum* provocatus, ubi comparuerit, ita premitur, ut, ni illum transfodiat, ipſi ſit pereundum. Nam cum leges id periculum

 ſubire

§. XIIX. (1) In moralibus non dari punctum ſine aliqua latitudine, eleganter Grotius, *J. B. & P. L. II. c.* 1. §. 5. Conf. ſupra *L. I. c.* 1. §. 18. 20.

(2) Omnes, dum valemus, recta ægrotis conſilia dare poſſumus. Tu, ſi hic eſſes, aliter ſentires.

(3) Aliud exemplum facti ex animi perturbatione procedentis vid. Cap. ſequ. §. *IX. circa fin.*

* Grot.

ſubire vetent, ejus quoque ad excuſandam cædem nulla habetur ratio. * (4)

§. XIX. Quod pro defenſione vitæ, idem & pro *defenſione membrorum* conceditur, ſic, ut & ille innocens habeatur, qui violentum invaſorem occidit, cui fortaſſe intentio fuit membro eum duntaxat mutilandi, aut grave vulnus infligendi. Nam & naturâ à mutilatione & gravi læſione maxime abhorremus; & mutilatio membri, præcipue nobilioris, quandoque non multo minoris, quam ipſa vita, æſtimatur. Quin in anteceſſum non conſtat, (1) an non ex mutilatione ac vulnere mors ſit ſecutura: ac talis patientia communem hominum conſtantiam ſuperat, ad quam leges regulariter non ſolent obligare, in gratiam præſertim hominis malitioſi. *

§. XX. Sed & quod pro vita, id & pro *pudicitia* licere judicatur: quippe cum nulla major contumelia honeſtæ fœminæ inferri queat,

* Grot. Lib. II. cap. 1. §. 15.

(4) Indigni ſunt beneficio legum, qui contra eas delinquunt. *l.* 37. *in fin. de minor. c. ult. X. de immunit. Eccl.* Eſt autem hic ſermo de duellis Civium. Nam ſupra jam fuit monitum, in Statu Naturali duello lites dirimi poſſe.

§ XIX. (1) Perperam ergo D. Alberti diſtinguit: vitæ periculum ſubſit, an non. *Compend. Jur. Nat. Orthodox. Part. II. c.* 3. §. 15. Quis enim de hoc in anteceſſum poteſt eſſe certus?

* Grot. *Lib. II. cap.* 1. §. 6.

* Grot.

queat, quam ſi quis invitæ eripere aggrediatur, cujus integritate ejus ſexûs decus maximè æſtimatur; & efficiat, ut hoſti ex ſuo ſanguine prolem ſuſcitare cogatur. * (1)

§. XXI. *Defenſio* autem *rerum* inter eos quidem, qui in naturali libertate vivunt, etiam *ad cædem usque* invaſoris procedere poteſt; modo res non ſit ejusmodi, ut contemni mereatur. Nam citra res utique vita noſtra ſervari nequit; & æquè hoſtilem animum declarat, qui res, quam qui vitam per injuriam impetit. (1) Verum in Civitatibus, ubi erepta ſubſidio magiſtratus recuperari poſſunt, id regularitèr non conceditur; niſi in eo caſu, ubi, qui res noſtras ereptum venit, in judicium adduci non poteſt. Quo intuitu licitum eſt occidere prædones & fures nocturnos. *

§. XXII. Atque hæc de defenſione ab iis facta, qui ultro ab aliis per injuriam invaduntur.

* Grot. *loc. cit.* §. 7.

§. XX. (1) *Inquis:* deeſt ex requiſitis inculpatæ tutelæ ad §. XVI n. 4. propoſitis *ſecundum* & *quartum*. *Reſpondeo:* Sit ſalva vita naturalis, moraliter tamen per vim ſtuprata moritur. *Inſtas:* Virginitas per vim eripi non poteſt. *Reſp.* Non quidem pudicitia; ſed certè Virginitas. *Urges:* Virginitas poteſt in integrum reſtitui. *Reſp.* Concedo, per fictionem. Res certè irreparabilis eſt ſemel amiſſa Virginitas.

§. XXI. (1) Deus dedit jus ad finem. Ergo etiam jus ad media dediſſe intelligitur.

* loc. cit. §. 11. ſeqq.

§. XXIII.

tur. Qui autem prior alterum læſit, tunc demum recte ſe defendere, eaque defenſione iſtum denuo lædere poteſt, poſtquam pœnitentia tactus reparationem damni dati, & cautionem de non lædendo in poſterum obtulit; & læſus eandem per aſperitatem animi reſpuit, ac manu ſibi vindictam facere pertendit.

§. XXIII. Denique (1) & tanti habetur conſervatio ſui, ut ſi ea obtineri aliter nequeat; in plurimis *caſibus* ab obligatione communium legum eximere (2) cenſeatur. Quo nomine *neceſſitas* lege carere dicitur. (3) Scilicet cum tanto ardore ad ſui conſervationem homo rapiatur, non facile præ-

§ XXIII. (1) Officia hominis ratione vitæ huc præcipuè redeunt, ſcilicet ut eam *conſervet* & *defendat*. Vidimus de utroque, & quidem quatenus *dolo* ab injuſto invaſore læſio intentatur; jam occurrunt exempla, ubi non contra dolum & injuſtum aggreſſorem, ſed *contra caſum* vita conſervanda eſt, etiam cum læſione vel interitu aliorum non aggreſſorum.

(2) Non igitur hic vera colliſio Legum Naturalium oritur, quando *Socialitati ſtudere jubent*, & tamen etiam *permittunt*, *ut ſocium aliquando lædamus*, vel *ejus interitum promoveamus*. Nam prius ad *Regulam*, poſterius ad *Exceptiones* pertinet. Imò læſiones, quæ *directo & dolosè* fiunt, Socialitatis ſtudium prohibet; non æquè eas, quæ per *conſequens & ex neceſſitate*. Jam verò notum eſt, multa licere per Conſequens, quæ directò fieri non poſſunt.

(3) Nimirum quia eximit â regulâ & jure ordinario. Interim tamen, quia Jus Neceſſitatis ad Exceptiones pertinet, pro juſto utique etiam habendum eſt.

(4) Exem-

præſumitur, talem iſti obligationem impoſitam, cui propria ſalus cedere debeat. Quanquam enim non Deus ſolum, ſed &, ubi materiæ gravitas requirit, Imperium Civile tam rigidam nobis obligationem injungere queat, ut mors ſit potius oppetenda, quam latum unguem ab illa diſcedamus: (4) tamen non ſemper tam rigida legum præſumitur obligatio. Has enim qui tulerunt, aut qui inſtituta quædam inter homines introduxerunt, cum utique ſalutem aut commoditatem hominum per ea promovere voluerint, regulariter quoque ob oculos cenſentur habuiſſe conditionem naturæ humanæ, & quàm non poſſit non homo refugere & amoliri illa, quæ ad ſui deſtructionem tendunt. Inde regulariter leges, imprimis poſitivæ, & quævis inſtituta humana, judicantur excipere caſum neceſſitatis, ſeu non obligare, quando ipſarum obſervationem comitaturum eſſet malum humanum naturam deſtruens, aut comuni hominum conſtantiâ ſuperius, (5) niſi expreſſè, (6) aut propter negotii natu-

 ram,

(4) Exemplum præbent milites. Vid. infr. *Lib. II. cap.* 13. §. 2.

(5) In omnibus iis, quæ humani ſunt inſtituti, excepta videtur neceſſitas ſumma. Grotius, *L. II. c.* 6. §. 5. Conf. *Carpzov. Deciſ. XXI.* §. 12. *ſeqq.*

(6) Hæc eſt ſublimitatio. *Regula* erat: Socii vita conſervanda eſt. *Limitatio*: excipitur caſus neceſſitatis, quæ facit, ut vitam Socii aliquando licitè perdam meæ con-

ram, iſte quoque caſus ſit comprehenſus. Unde neceſſitas non id quidem efficit, ut directè lex poſſit violari, & peccatum admitti: ſed ex benevola legislatorum mente, ſimulque naturæ humanæ conſideratione, præſumitur, caſum neceſſitatis ſub lege generaliter concepta non contineri. Exemplô unô & alterô res erit declaranda.

§. XXIV. Quanquam aliàs homini non ſit jus in ſua membra, ut illa pro lubitu mutilet, perdatve; licebit tamen *abſcindere membrum inſanabili* vitio correptum, ne totum corpus pereat, aut partes adhuc ſinceræ trahantur, aut inutili appendice aliorum uſus membrorum impediatur.

§. XXV. Si *in naufragio plures in ſcapham* inſiluerint, quam illa ferre poſſit, neque ad unum peculiari jure ſcapha pertineat, videntur ſorte ducendi, qui projiciantur: & ſi quis ſortis periculum ſubire detrectaverit, tanquam qui omnium interitum quærat, extra ſortem præcipitari poterit.

§. XXVI. Si *duo in præſens vitæ periculum* incidant, in quo utriq; ſit pereundum, uni quid facere licet, ex quo alteri, alias perituro, fata admoveantur, ut ipſe ſalvus ſit. v. gr. Si ego natandi peritus cum altero natandi imperi-

conſervandæ gratiâ *Sublimitatur:* quod hoc non procedat, ubi talis rerum ſtatus, qualem Autor proponit.

perito in profundas aquas incidiſſem, & ille me circumplexus teneret, neque mihi tantæ ſint vires, ut ipſum mecum aquis efferre valeam: potero talem à me violenter amoliri, ne cum ipſo ſimul ſuffocer, etſi is per exiguum tempus à me utcunque ſuſtentari potuerit. Sic in naufragio, ubi ego tabulam occupavi duorum non capacem, ſi quis adnatans eidem quoque ſe velit injicere, me ſimul ſecum perditurus, potero eum quavis violentia à tabula repellere. Sic quando duobus fugientibus hoſtis necem intentans inſtat, unus vel portâ poſt ſe clauſâ, vel ponte dejectô alterum in periculo vitæ deſtituere poteſt, ſi uterque ſimul ſervari nequeat.

§. XXVII. Ex neceſſitate poteſt alteri *periculum mortis aut magnæ læſionis intentari indirectè*, ita ut nobis non ſit propoſitum ipſi nocere, ſed duntaxat pro noſtra conſervatione talem actum ſuſcipere, ex quo probabiliter noxa ipſi poſſit inferri; ut tamen mallemus quâvis potius aliâ ratione neceſſitate noſtrâ defungi, & ipſam læſionem, quantum in nobis, temperemus. Sic ſi robuſtior mortem intentans me perſequatur, ac in anguſta via, qua fugiendum, forte quis occurrat; ubi admonitus non ceſſerit, aut id temporis locive anguſtia non admiſerit, licebit illum proſternere, & per eum jacentem

fugam

fugam perſequi, etſi probabiliter ex eo impulſu vehementer videatur affligendus. Niſi forte illi peculiari obligatione tenear, ut etiam ultrò pro ipſo periculum ſubire debeam. Quod ſi fugæ interpoſitus, admonitus licet, decedere via nequeat, puta ſi infans ſit, aut claudus: ſaltem excuſationem merebitur, qui ſuper eundem ſaltum molitur potius, quam moras nectendo corpus hoſti præbet. At verò ſi quis petulanter vel inhumanè mihi obſtiterit, & viam fugiendi concedere noluerit, etiam directè impelli ac proſterni poteſt. Cæterum quibus per iſtos caſus læſio conciliatur, eam tanquam fatalem calamitatem ferre debent. (1)

§. XXIIX. Si quis (1) præter propriam culpam *in extrema inopia victus, aut veſtium* adverſus frigus neceſſariarum verſetur, neque ab aliis locupletioribus atque abundantibus precibus, pretio, aut oblatâ ſua operâ, ut ultrò ſibi illas concederent, impetrare potuit; citra crimen furti aut rapinæ (2) vi vel clanculum illas ſubducere poterit, præſertim ſi inten-

§. XXVII. (1) Eſt quidem Regula Juris Naturalis: *Socium ne lædas.* Sed omnes iſti caſus, qui in §§. 25. 26. 27. proponuntur, pertinent ad Exceptiones.

§. XXIIX. (1) Regula eſt: *Suum cuique tribuendum & relinquendum.* Sed hic neceſſitas facit Exceptionem.

(2) Definitiones enim furti & rapinæ huc non quadrant; quia *nec doloſè, nec lucri faciendi gratiâ* res aliena contrectatur.

(3) Imo

tentionem habuerit earum æſtimationem præſtandi, quando occaſio oblata fuerit. Nam locuples in ejusmodi neceſſitate conſtituto ex officio humanitatis (3) debebat ſuccurrere. Quanquam autem regulariter, quæ ex humanitate debentur, haut quaquam vi poſſint eripi: tamen extrema neceſſitas efficit, ut talia non minus afferi queant, quam quæ ex obligatione perfecta debentur. Neceſſum tamen eſt, ut egenus omnes prius vias tentet, quô volente dominô neceſſitatibus ſuis ſuccurrere queat, neve dominus pari neceſſitate teneatur, aut mox in eandem ſit devolvendus; Et ut reſtitutio fiat, præſertim ubi alterius fortunæ non ferant, gratis tale quid condonare. *

§. XXIX. Denique videtur & neceſſitas circa res noſtras verſans veniam indulgere *res alienas perdendi*; (1) ita tamen, ut citra noſtram culpam id periculum rei noſtræ extiterit; ut idem commodiore via diſpelli ne-

(3) Imò neceſſitas mutat obligationem divitis alias imperfectam in *perfectam*; & pauperi loco juris, quod aliàs habebat, imperfecti jus *perfectum* tribuit. Poſſet etiam dici, quod in caſu extremæ neceſſitatis *Communio primæva* reviviſcat, de qua infra *c. XII.* §. 2. dicetur. Nota quoque hic Regulam ſuprà propoſitam, de Statu Naturali extraordinario, & ejus juribus. Hujus Capitis §. *XIV. in Not.* (1)

* Grot. *Lib. II. cap.* 2. §. 6. *Lib. III. c.* 17. §. 1. 2. *ſeqq.*

§. XXIX. (1) Regula eſt: *Alterius res non debent perdi.* Sed hic iterum neceſſitas gignit Exceptionem. (2) Le-

nequeat; ut ne pro viliori noſtra re alterius pretioſiorem perdamus; ut æſtimationem ejusdem præſtemus, ſi quidem iſta alias peritura non fuerat, aut in partem damni veniamus, ſi alterius res una cum noſtra aliàs peritura erat, quæ nunc ſua natura noſtram ſervat. Quam æquitatem fere leges nauticæ ſequuntur. (2) Sic & orto incendio, eoque ædibus meis imminente, licebit vicini ædes diruere, ita tamen, ut quorum ædes hoc modo ſervatæ ſunt, pro rata vicini damnum ſarciant. (3)

(2) Lege Rhodiâ cavetur; ut, ſi levandæ navis gratia jactus mercium eſt factus, omnium contributione ſarciatur, quod pro omnibus datum eſt. *l. 1. ff. de leg. Rhod. de jact.* Vid. infra *L. II. c. 15.* §. 4.

(3) Cum quo convenit illud Ulpiani: prodeſſe unus quodq; ſibi, dum alii non nocet, non prohibetur. *l. 1.* §. 11. *ff. de aqua & aqu. pluv. arcend.*

CAPUT VI.

DE OFFICIIS QUORUMLIBET ERGA QUOSLIBET;

& primo quidem: De non lædendis aliis.

1. Officia erga Socios ſunt vel abſoluta, vel hypothetica.

2. Abſolutum *Primum* præceptum, *de non lædendis aliis.*

3. Ob-

3. Objecta hujus officii.
4. Conſequens: ut damna dolô imprimis data reparentur.
5. Quid ſit damnum?
6. Datur etiam in fructibus.
7. Et quidem vel per nosmet ipſos, vel per alios; ab uno vel pluribus.
8. De damni reparatione.
9. Quid ſit *Culpa*, & quatenus ea reparetur?
10. De *caſu* fortuito.
11. Si homo noſter damnum alteri dederit.
12. Si animalia noſtra.
13. De venia & vindicta.

§. I.

SEquuntur *Officia*, quæ homini *adverſus aliòs homines* ſunt exercenda. Eorum aliqua proveniunt *ex communi obligatione*, qua Creator omnes homines, ut tales, inter ſe devinctos voluit: aliqua autem *ex certo inſtituto* per homines introducto aut recepto, vel *ex certo hominum ſtatu adventitio* promanant. Illa cuilibet erga quemlibet exercenda; hæc autem non niſi erga certos, poſitâ certâ conditione aut ſtatu. (1) Inde & illa poſſis vocare *abſoluta*, hæc *hypothetica*. (2)

§. II. Inter Officia abſoluta, ſeu quorumlibet erga quoslibet *primum* locum obtinet:

§. I. (1) De his agitur Cap. IX. & ſeqq. per totum.

(2) Hæc alii etiam *pro certo rerum ſtatu talia* vocant; & huc pertinent pleraque exempla eorum, quæ LL. Romanæ ad Jus Gentium referunt, *uſu ſcilicet exigente, & humanis neceſſitatibus à Gentibus conſtituto; ut jura belli, captivitates, ſervitutes, Contractus.* §. 2. *Inſt. de J. N. G. & C.* imò & *Dominia.* §. 11. *Inſt. de R. D.*

§. II.

net: *ne quis alterum lædat.** Eſt quippe hoc Officium omnium latiſſimum, omnes homines, ut tales, complexum; idemque facillimum, utpote nudâ actionis intermiſſione conſtans, niſi qua obluctantes rationi libidines quandoque compeſcendæ ſunt. Quin & maximè neceſſarium idem eſt, quod citra illud ſocialis hominum vita nullo modo conſiſtere queat. Qui enim nihil boni in me confert, qui ne vulgaria quidem officia mecum miſcet, cum eo tamen tranquillè vivere poſſum, modò nulla ratione me lædat. Imo à maxima parte mortalium nihil amplius quàm iſthoc deſideramus; (1) bona fere inter paucos invicem communicantur. Aſt cum eo, qui me lædit, nullo modo pacifice poſſum vivere, cum natura cuique tam tenerum amorem ſui rerumque ſuarum inſeverit, ut non poſſit non omnibus modis repellere eum, qui iſtis noxam inferre aggreditur.

§. III. Hoc ipſo autem officio velut muniuntur non illa tantùm, quæ per ipſam naturam alicui adſunt, uti eſt vita, corpus, membra, pudicitia, libertas; ſed & quæcunque inſtitutô aliquô atque conventione humanâ ſunt

* *Spectat huc, ex* Grot. *L. II. integrum cap.* 17.

§. II. (1) Inde Regula apud Dd. Prodeſſe alteri nemo cogitur, ſed tantum obeſſe vetatur. argum. *l.* 2. §. 5. *de aqu. & aqu. pluv. arcend. l. ult.* §. 6 *ff. de Publican. & vectigal.*

§. III.

ſunt quæſita. (1) Sic ut, quôcunque legitimô titulô aliquid noſtrum ſit, hôc præceptô idem auferri, corrumpi, lædi, uſibus noſtris ex toto aut parte ſubtrahi vetetur. Unde hôc ipſô interdicta intelliguntur quævis crimina, quibus aliis noxa infertur; uti eſt cædes, vulneratio, verberatio, rapina, furtum, fraus, vis, directè aut indirectè, mediatè aut immediatè illata, & quæ ſunt ſimilia.

§. IV. Ex hoc porrò conſequitur: *Si cui ſit ab altero læſio illata, damnumve datum ullô modô, qui ipſi rectè poteſt imputari, id, quantum fieri poteſt, ab eodem eſſe ſarciendum.* Alias enim vanum erit præceptum, ne quis lædatur, neve cui damnum detur, ſi, ubi de facto læſus fuerit, damnum ipſi gratis devorandum, &, qui læſit, fructu ſuæ injuriæ ſecurè & citra refuſionem gaudere queat. Neque etiam, citra neceſſitatem reſtitutionis, abs ſe invicem lædendis abſtinebit unquam mortalium pravitas; nec ei, qui damnum paſſus eſt, cum altero pacem componere, quamdiu iſtius reparationem non obtinuerit.

§. V. *Damnum* etſi propriè (1) ad rerum

læſio-

§. III. (1) Poteſt igitur Officium *hoc abſolutum* etiam evadere *hypotheticum*, quatenus ex. gr. Dominium in re aliquâ acquiſitum efficit, ut ne in illa me aliqui lædant. Conf. infr. *c. XIII.* §. 1.

§. V. (1) Id eſt, *ſtrictè* & in ſenſu juris Civilis, utpote quô

Damnum,

læſionem pertinere videatur; ita tamen late à nobis heic accipitur, ut notet omnem læſionem, corruptionem, diminutionem, aut ſublationem ejus, quod noſtrum jam eſt, aut interceptionem ejus, quod ex jure perfecto debebamus habere, (2) ſive id datum ſit à natura, ſive accedente facto humano aut lege attributum; aut denique omiſſionem ac denegationem alicujus præſtationis, quam alter nobis ex obligatione perfecta (3) exhibere tenebatur. Aſt ſi intercipiantur, quæ ex obligatione duntaxat imperfecta (4) debebantur, non cenſetur damnum datum, quod penſari debeat. Inconveniens enim fuerit, damni loco ducere, talia non accepiſſe, aut penſationem eorum poſtulare, quæ ab altero non niſi in locum ultronei beneficii expectare poteram, & quæ inter mea, antequam ea accepero, cenſere non poſſum.

§. VI. Sub damni porro nomine venit non modo res noſtra, aut nobis debita, quæ læditur, perditur, aut intercipitur, ſed & *fructus*, qui ex ipſa re proveniunt, (1) ſive jam

Damnum, Injuria, Noxia, & Pauperies differunt. De *damno* enim in peculiari titulo *legis Aquiliæ* agi notiſſimum eſt.

(2) Vid. §. 10. *Inſt. de Leg. Aquil.*

(3) Eſt enim injuria læſio juris perfecti.

(4) Atque adeò ex humanitate tantum, v. gr. Eleemoſynæ.

§. VI. (1) id eſt *naturales*; imò etiam qui occaſione rei pro-

jam ſint percepti, ſive *adhuc ſperentur*, (2) modò dominus eos percepturus fuerat: deductis tamen impenſis, quæ ad fructuum perceptionem fuerunt neceſſaria. (3) Æſtimatio autem fructuum *ſperatorum* intenditur aut remittitur, prout propius aut longius à fine incerti proventus remoti fuerint. Denique & pro uno damno habetur, quicquid ex aliqua læſione velut naturali neceſſitate deinceps profluxit. (4)

§. VII. Poteſt autem quis alteri damnum dare non ſolum immediatè & *per ſe*, ſed & *per alios*. Poteſt & damnum immediatè ab aliquo datum *alteri* imputari, quia ad iſtud factum aliquid contulit vel faciendo, vel non faciendo, quod debebat facere. Quandoque inter plures, qui ad idem factum concurrerunt, unus *principalis* cauſa habetur, alter *acceſſorii* in loco eſt: quandoque omnes *pari* paſſu ambulant. (1) Circa

quos

proveniunt, id eſt *Civiles*. *l.* 5. C. de R. V. Vid. Ziegler. ad Grot. *L. II. c.* 17. §. 4.

(2) Alias *pendentes*.

(3) Quia nemo cum alterius damno debet locupletari. *Grot. L. II. c.* 10. §. 2. *c.* 17. §. 4.

(4) Damnum ex actûs vi conſequens vocat Grotius, *J. B. & P. L. II. c.* 17. §. 12. v. gr. vulnero equum; teneor non ſolum de vulnere, ſed & de lucro ceſſante, quod Dominus equi alias ex eo percepturus fuerat. Item vulnero aliquem; teneor de vulneratione, teneor etiam ad impenſas in Medicos factas.

§. VII. (1) Repete hic Capitis primi §. 27. ubi præcipuè

de

quos obſervandum, illos ita teneri ad reparationem damni, ſi reverà cauſa damni fuerint, & momentum aliquod attulerint ad totum damnum, aut ejus partem. Ubi autem quis ad ipſum actum, quo damnum fuit datum, realis aliquid operæ non contulit, neque, ut iſte ſuſciperetur antecedenter effecit, neque in partem emolumenti venit; is, licet occaſione iſtius actus aliquo peccato obſtringatur, ad reſtitutionem tamen damni non tenebitur; uti ſunt, qui alienis malis lætantur, qui patratum damnum laudant, excuſant; qui, antequam fiat, optant, dum fit, favent, aut aſſentantur. (2)

§. IIX. Ubi *plures* ad unum actum, ex quo damnum profluxerit, concurrerunt, primo loco tenebitur, qui imperio, aut alio modo neceſſitatis quid habente, ad factum alios impulit. Patrator facinoris, cui miniſterium detrectare non licuit, inſtrumenti tantum rationem habebit. (1) Qui citra talem

de Imputatione morali, ſcilicet in præmium & pœnam agebatur.

(2) Huc etiam referri poſſunt, qui furi conſilium ſimplex, ſeu monitorium dant; non autem, qui ſpeciale ſeu inſtructorium. Nam hi poſteriores utique & ad damni reparationem tenentur.

§. IIX. (1) Sermo eſt de reparatione damni, nam quoad pœnam non ſemper immunis diſcedit. Quâ diſtinctione obſervatâ puto ſatisfieri poſſe dubiis, quæ moventur à Zieglero, ad Grot. *L. II. c.* 17. *§.* 11. nec non Dn. Hochſtetero, *Colleg. Pufendorf. p.* 105. (2) Eſſet

talem neceſſitatem ad facinus acceſſit ipſe primô locô tenebitur, tum cæteri, qui ad facinus aliquid contulerunt. Ita tamen, ut ſi à prioribus reparatio damni fuerit facta, (2) poſteriores ab eadem ſint immunes; (quod in pœnis ſecus eſt.) (3) Si plures *per conſpirationem* aliquod facinus patraverint, omnes pro ſingulis, & ſinguli pro omnibus tenentur; ſic, ut, ſi omnes comprehendantur, ſinguli ratam partem ad damnum ſarciendum conferre debeant; ubi reliquis elapſis unus tantùm deprehendatur, hic pro omnibus ſolvere teneatur; ubi autem ex deprehenſis aliqui non ſint ſolvendo, locupletes in ſolidum teneantur. Quod ſi plures *citra conſpirationem* ad idem facinus concurrerint, ac diſcerni liquidò poſſit, quantum quisque ad damnum contulerit, quisque tantum tenebitur ad id penſandum, quod ab ipſo proceſſit. (4) Quod ſi unus

 ſoli-

(2) Eſſet enim incivile, idem bis petere.

(3) Ubi unô punito cæteri non abſolvuntur. Pœnarum enim finis eſt ut publico per exemplum, & ipſi delinquenti quoad emendationem proſpiciatur, id quod non obtineri poteſt per pœnam ab uno ſumtam. Conf. infr. *Lib. II. cap.* 13. §. 8. 9. 10.

(4) Damna ſunt vel *dividua* v. gr. in arboribus cæſis, ubi doceri poteſt, quantum quisque damni dederit; vel ſunt *individua*, ubi id non procedit, v. gr. in incendio à pluribus hic & illic parato, quorum quisque probare non poteſt, quid ſuo fomite damni datum fuerit. Illo in caſu non

fugam perſequi, etſi probabiliter ex eo impulſu vehementer videatur affligendus. Niſi forte illi peculiari obligatione tenear, ut etiam ultrò pro ipſo periculum ſubire debeam. Quod ſi fugæ interpoſitus, admonitus licet, decedere via nequeat, puta ſi infans ſit, aut claudus: ſaltem excuſationem merebitur, qui ſuper eundem ſaltum molitur potius, quam moras nectendo corpus hoſti præbet. At verò ſi quis petulanter vel inhumanè mihi obſtiterit, & viam fugiendi concedere noluerit, etiam directè impelli ac proſterni poteſt. Cæterum quibus per iſtos caſus læſio conciliatur, eam tanquam fatalem calamitatem ferre debent. (1)

§. XXIIX. Si quis (1) præter propriam culpam *in extrema inopia victus, aut veſtium* adverſus frigus neceſſariarum verſetur, neque ab aliis locupletioribus atque abundantibus precibus, pretio, aut oblatâ ſua operâ, ut ultrò ſibi illas concederent, impetrare potuit; citra crimen furti aut rapinæ (2) vi vel clanculum illas ſubducere poterit, præſertim ſi inten-

§. XXVII. (1) Eſt quidem Regula Juris Naturalis: *Socium ne lædas*. Sed omnes iſti caſus, qui in §§. 25. 26. 27. proponuntur, pertinent ad Exceptiones.

§. XXIIX. (1) Regula eſt: *Suum cuique tribuendum & relinquendum*. Sed hic neceſſitas facit Exceptionem.

(2) Definitiones enim furti & rapinæ huc non quadrant; quia *nec doloſè, nec lucri faciendi gratiâ* res aliena contrectatur.

(3) Imo

tentionem habuerit earum æſtimationem præſtandi, quando occaſio oblata fuerit. Nam locuples in ejusmodi neceſſitate conſtituto ex officio humanitatis (3) debebat ſuccurrere. Quanquam autem regulariter, quæ ex humanitate debentur, haut quaquam vi poſſint eripi: tamen extrema neceſſitas efficit, ut talia non minus aſſeri queant, quam quæ ex obligatione perfecta debentur. Neceſſum tamen eſt, ut egenus omnes prius vias tentet, quô volente dominô neceſſitatibus ſuis ſuccurrere queat, neve dominus pari neceſſitate teneatur, aut mox in eandem ſit devolvendus; Et ut reſtitutio fiat, præſertim ubi alterius fortunæ non ferant, gratis tale quid condonare. *

§. XXIX. Denique videtur & neceſſitas circa res noſtras verſans veniam indulgere *res alienas perdendi*; (1) ita tamen, ut citra noſtram culpam id periculum rei noſtræ extiterit; ut idem commodiore via diſpelli ne-

(3) Imò neceſſitas mutat obligationem divitis alias imperfectam in *perfectam*; & pauperi loco juris, quod aliàs habebat, imperfecti jus *perfectum* tribuit. Poſſet etiam dici, quod in caſu extremæ neceſſitatis *Communio primæva* reviviſcat, de qua infra *c. XII.* §. 2. dicetur. Nota quoque hìc Regulam ſuprà propoſitam, de Statu Naturali extraordinario, & ejus juribus. Hujus Capitis §. *XIV. in Not.* (1)

* Grot. *Lib. II. cap.* 2. §. 6. *Lib. III. c.* 17. §. 1. 2. *ſeqq.*

§. XXIX. (1) Regula eſt; *Alterius res non debent perdi.* Sed hic iterum neceſſitas gignit Exceptionem. (2) Le-

nequeat; ut ne pro viliori noſtra re alterius pretioſiorem perdamus; ut æſtimationem ejusdem præſtemus, ſi quidem iſta alias peritura non fuerat, aut in partem damni veniamus, ſi alterius res una cum noſtra aliàs peritura erat, quæ nunc ſua natura noſtram ſervat. Quam æquitatem fere leges nauticæ ſequuntur. (2) Sic & orto incendio, eoque ædibus meis imminente, licebit vicini ædes diruere, ita tamen, ut quorum ædes hoc modo ſervatæ ſunt, pro rata vicini damnum ſarciant. (3)

(2) Lege Rhodiâ cavetur; ut, ſi levandæ navis gratia jactus mercium eſt factus, omnium contributione ſarciatur, quod pro omnibus datum eſt. *l. 1. ff. de leg. Rhod. de jact.* Vid. infra *L. II. c. 15. §. 4.*

(3) Cum quo convenit illud Ulpiani: prodeſſe unus quodq; ſibi, dum alii non nocet, non prohibetur. *l. 1. §. 11. ff. de aqua & aqu. pluv. arcend.*

CAPUT VI.

DE

OFFICIIS QUORUMLIBET ERGA QUOSLIBET;

& primo quidem:

De non lædendis aliis.

1. Officia erga Socios ſunt vel abſoluta, vel hypothetica.

2. Abſolutum *Primum* præceptum, *de non lædendis aliis.*

3. Ob-

3. Objecta hujus officii.
4. Conſequens: ut damna dolô imprimis data reparentur.
5. Quid ſit damnum?
6. Datur etiam in fruſtibus.
7. Etquidem vel per nosmet ipſos, vel per alios; ab uno vel pluribus.
8. De damni reparatione.
9. Quid ſit *Culpa*, & quatenus ea reparetur?
10. De *caſu* fortuito.
11. Si homo noſter damnum alteri dederit.
12. Si animalia noſtra.
13. De venia & vindicta.

§. I.

SEquuntur *Officia*, quæ homini *adverſus aliòs homines* ſunt exercenda. Eorum aliqua proveniunt *ex communi obligatione*, qua Creator omnes homines, ut tales, inter ſe devinctos voluit: aliqua autem *ex certo inſtituto* per homines introducto aut recepto, vel *ex certo hominum ſtatu adventitio* promanant. Illa cuilibet erga quemlibet exercenda; hæc autem non niſi erga certos, poſitâ certâ conditione aut ſtatu. (1) Inde & illa poſſis vocare *abſoluta*, hæc *hypothetica*. (2)

§. II. Inter Officia abſoluta, ſeu quorumlibet erga quoslibet *primum* locum obtinet:

§. I. (1) De his agitur Cap. IX. & ſeqq. per totum.

(2) Hæc alii etiam *pro certo rerum ſtatu talia* vocant; & huc pertinent pleraque exempla eorum, quæ LL. Romanæ ad Jus Gentium referunt, *uſu ſcilicet exigente*, *& humanis neceſſitatibus à Gentibus conſtituto; ut jura belli, captivitates, ſervitutes, Contractus*. §. 2. *Inſt. de J. N. G. & C.* imò & *Dominia*. §. 11. *Inſt. de R. D.*

§. II.

net: *ne quis alterum lædat.** Eſt quippe hoc Officium omnium latiſſimum, omnes homines, ut tales, complexum; idemque facillimum, utpote nudâ actionis intermiſſione conſtans, niſi qua obluctantes rationi libidines quandoque compeſcendæ ſunt. Quin & maximè neceſſarium idem eſt, quod citra illud ſocialis hominum vita nullo modo conſiſtere queat. Qui enim nihil boni in me confert, qui ne vulgaria quidem officia mecum miſcet, cum eo tamen tranquillè vivere poſſum, modò nulla ratione me lædat. Imo à maxima parte mortalium nihil amplius quàm iſthoc deſideramus; (1) bona fere inter paucos invicem communicantur. Aſt cum eo, qui me lædit, nullo modo pacifice poſſum vivere, cum natura cuique tam tenerum amorem ſui rerumque ſuarum inſeverit, ut non poſſit non omnibus modis repellere eum, qui iſtis noxam inferre aggreditur.

§. III. Hoc ipſo autem officio velut muniuntur non illa tantùm, quæ per ipſam naturam alicui adſunt, uti eſt vita, corpus, membra, pudicitia, libertas; ſed & quæcunque inſtitutô aliquô atque conventione humanâ ſunt

* *Spectat huc, ex* Grot. *L. II. integrum cap.* 17.

§. II. (1) Inde Regula apud Dd. Prodeſſe alteri nemo cogitur, ſed tantum obeſſe vetatur. argum. *l. 2. §. 5. de aqu. & aqu. pluv. arcend. l. ult. §. 6 ff. de Publican. & vectigal.*

§. III.

ſunt quæſita. (1) Sic ut, quôcunque legitimô titulô aliquid noſtrum ſit, hôc præceptô idem auferri, corrumpi, lædi, uſibus noſtris ex toto aut parte ſubtrahi vetetur. Unde hôc ipſô interdicta intelliguntur quævis crimina, quibus aliis noxa infertur; uti eſt cædes, vulneratio, verberatio, rapina, furtum, fraus, vis, directè aut indirectè, mediatè aut immediatè illata, & quæ ſunt ſimilia.

§. IV. Ex hoc porrò conſequitur: *Si cui ſit ab altero læſio illata, damnumve datum ullô modô, qui ipſi rectè poteſt imputari, id, quantum fieri poteſt, ab eodem eſſe ſarciendum.* Alias enim vanum erit præceptum, ne quis lædatur, neve cui damnum detur, ſi, ubi de facto læſus fuerit, damnum ipſi gratis devorandum, &, qui læſit, fructu ſuæ injuriæ ſecurè & citra refuſionem gaudere queat. Neque etiam, citra neceſſitatem reſtitutionis, abs ſe invicem lædendis abſtinebit unquam mortalium pravitas; nec ei, qui damnum paſſus eſt, cum altero pacem componere, quamdiu iſtius reparationem non obtinuerit.

§. V. *Damnum* etſi propriè (1) ad rerum

 læſio-

§. III. (1) Poteſt igitur Officium *hoc abſolutum* etiam evadere *hypotheticum*, quatenus ex. gr. Dominium in re aliquâ acquiſitum efficit, ut ne in illa me aliqui lædant. Conf. infr. *c. XIII. §. 1.*

§. V. (1) Id eſt, *ſtrictè* & in ſenſu juris Civilis, utpote quô Damnum,

læſionem pertinere videatur; ita tamen late à nobis heic accipitur, ut notet omnem læſionem, corruptionem, diminutionem, aut ſublationem ejus, quod noſtrum jam eſt, aut interceptionem ejus, quod ex jure perfecto debebamus habere, (2) ſive id datum ſit à natura, ſive accedente facto humano aut lege attributum; aut denique omiſſionem ac denegationem alicujus præſtationis, quam alter nobis ex obligatione perfecta (3) exhibere tenebatur. Aſt ſi intercipiantur, quæ ex obligatione duntaxat imperfecta (4) debebantur, non cenſetur damnum datum, quod penſari debeat. Inconveniens enim fuerit, damni loco ducere, talia non accepiſſe, aut penſationem eorum poſtulare, quæ ab altero non niſi in locum ultronei beneficii expectare poteram, & quæ inter mea, antequam ea accepero, cenſere non poſſum.

§. VI. Sub damni porro nomine venit non modo res noſtra, aut nobis debita, quæ læditur, perditur, aut intercipitur, ſed & *fructus*, qui ex ipſa re proveniunt, (1) ſive jam

Damnum, Injuria, Noxia, & Pauperies differunt. De *damno* enim in peculiari titulo *legis Aquiliæ* agi notiſſimum eſt.

(2) Vid. §. 10. *Inſt. de Leg. Aquil.*

(3) Eſt enim injuria læſio juris perfecti.

(4) Atque adeò ex humanitate tantum, v. gr. Eleemoſynæ.

§. VI. (1) id eſt *naturales*; imò etiam qui occaſione rei pro-

jam ſint percepti, ſive *adhuc ſperentur*,(2) modò dominus eos percepturus fuerat: deductis tamen impenſis, quæ ad fructuum perceptionem fuerunt neceſſaria. (3) Æſtimatio autem fructuum *ſperatorum* intenditur aut remittitur, prout propius aut longius à fine incerti proventus remoti fuerint. Denique & pro uno damno habetur, quicquid ex aliqua læſione velut naturali neceſſitate deinceps profluxit. (4)

§. VII. Poteſt autem quis alteri damnum dare non ſolum immediatè & *per ſe*, ſed & *per alios*. Poteſt & damnum immediatè ab aliquo datum *alteri* imputari, quia ad iſtud factum aliquid contulit vel faciendo, vel non faciendo, quod debebat facere. Quandoque inter plures, qui ad idem factum concurrerunt, unus *principalis* cauſa habetur, alter *acceſſorii* in loco eſt: quandoque omnes *pari* paſſu ambulant. (1) Circa

 quos

proveniunt, id eſt *Civiles*. *l*. 5. C. de R. V. Vid. Ziegler. ad Grot. *L. II. c.* 17. §. 4.

(2) Alias *pendentes*.

(3) Quia nemo cum alterius damno debet locupletari. Grot. *L. II. c.* 10. §. 2. *c.* 17. §. 4.

(4) Damnum ex actûs vi conſequens vocat Grotius, *J. B. & P. L. II. c.* 17. §. 12. v. gr. vulnero equum; teneor non ſolum de vulnere, ſed & de lucro ceſſante, quod Dominus equi alias ex eo percepturus fuerat. Item vulnero aliquem; teneor de vulneratione, teneor etiam ad impenſas in Medicos factas.

§. VII. (1) Repete hic Capitis primi §. 27. ubi præcipuè de

quos obſervandum, illos ita teneri ad reparationem damni, ſi reverà cauſa damni fuerint, & momentum aliquod attulerint ad totum damnum, aut ejus partem. Ubi autem quis ad ipſum actum, quo damnum fuit datum, realis aliquid operæ non contulit, neque, ut iſte ſuſciperetur antecedenter effecit, neque in partem emolumenti venit; is, licet occaſione iſtius actus aliquo peccato obſtringatur, ad reſtitutionem tamen damni non tenebitur; uti ſunt, qui alienis malis lætantur, qui patratum damnum laudant, excuſant; qui, antequam fiat, optant, dum fit, favent, aut aſſentantur. (2)

§. IIX. Ubi *plures* ad unum actum, ex quo damnum profluxerit, concurrerunt, primo loco tenebitur, qui imperio, aut alio modo neceſſitatis quid habente, ad factum alios impulit. Patrator facinoris, cui miniſterium detrectare non licuit, inſtrumenti tantum rationem habebit. (1) Qui citra talem

de Imputatione morali, ſcilicet in præmium & pœnam agebatur.

(2) Huc etiam referri poſſunt, qui furi conſilium ſimplex, ſeu monitorium dant; non autem, qui ſpeciale ſeu inſtructorium. Nam hi poſteriores utique & ad damni reparationem tenentur.

§. IIX. (1) Sermo eſt de reparatione damni, nam quoad pœnam non ſemper immunis diſcedit. Quâ diſtinctione obſervatâ puto ſatisfieri poſſe dubiis, quæ moventur a Zieglero, ad Grot. *L. II. c.* 17. §. 11. nec non Dn. Hochſtetero, *Colleg. Puſendorf. p.* 105. (2) Eſſer

talem neceſſitatem ad facinus acceſſit ipſe primô locô tenebitur, tum cæteri, qui ad facinus aliquid contulerunt. Ita tamen, ut ſi à prioribus reparatio damni fuerit facta, (2) poſteriores ab eadem ſint immunes; (quod in pœnis ſecus eſt.) (3) Si plures *per conſpirationem* aliquod facinus patraverint, omnes pro ſingulis, & ſinguli pro omnibus tenentur; ſic, ut, ſi omnes comprehendantur, ſinguli ratam partem ad damnum ſarciendum conferre debeant; ubi reliquis elapſis unus tantùm deprehendatur, hic pro omnibus ſolvere teneatur; ubi autem ex deprehenſis aliqui non ſint ſolvendo, locupletes in ſolidum teneantur. Quod ſi plures *citra conſpirationem* ad idem facinus concurrerint, ac diſcerni liquidò poſſit, quantum quisque ad damnum contulerit, quisque tantum tenebitur ad id penſandum, quod ab ipſo proceſſit. (4) Quod ſi unus

 ſoli-

(2) Eſſet enim incivile, idem bis petere.

(3) Ubi unô punito cæteri non abſolvuntur. Pœnarum enim finis eſt ut publico per exemplum, & ipſi delinquenti quoad emendationem proſpiciatur, id quod non obtineri poteſt per pœnam ab uno ſumtam. Conf. infr. *Lib. II. cap.* 13. §. 8. 9. 10.

(4) Damna ſunt vel *dividua* v. gr. in arboribus cæſis, ubi doceri poteſt, quantum quisque damni dederit; vel ſunt *individua*, ubi id non procedit, v. gr. in incendio à pluribus hic & illic parato, quorum quisque probare non poteſt, quid ſuo fomite damni datum fuerit. Illo in caſu non

ſolidum ſolverit, reliqui à reparatione damni liberantur.

§. IX. Ad reparationem damni tenetur non ſolùm, qui *dolo malo* alteri nocuit, ſed & qui præter directam intentionem per *negligentiam ſeu Culpam*, (1) quam evitare facilè erat. Hæc enim non minima pars eſt Socialitatis, ita circumſpectè agere, ut noſtra converſatio aliis non fiat formidoloſa, aut intolerabilis. Quin & ſæpe ex peculiari obligatione quis ad *accuratam diligentiam* (2) adhibendam adſtringitur. Imò & *leviſſima culpa* (3) ad reparationis neceſſitatem ſufficere poteſt, ſi modò negotii natura exactiſſimam diligentiam non ultrò velut adſpernetur; aut ejus magis, qui damnum accipit, quam qui dat, culpa verſetur; aut niſi magna perturbatio vel negotii circumſtantia accuratam circumſpectionem non admittat; puta ſi quis in fervore pugnæ; dum

ſu non niſi ſui damni partem quisque reparat; hoc autem tenentur omnes nihilo minus in ſolidum.

§. IX. (1) Intellige *latam*, quæ eſt omiſſio ejus diligentiæ, quam omnes homines ſanæ mentis in rebus & negotiis ſuis adhibere ſolent.

(2) Sive ad *levem culpam* præſtandam, quæ eſt omiſſio ejus diligentiæ, quam diligentes Patres familias in rebus & negotiis ſuis adhibere ſolent.

(3) *Leviſſima Culpa* eſt omiſſio ejus diligentiæ, quam non niſi diligentiſſimi Patresfamilias in rebus & negotiis ſuis adhibere ſolent. De hiſce Culpis notandum, quod *lata* ſemper, *levis* plerumque, *leviſſima* raro præſtetur.

* Grot.

dum arma quatit, proximè ſibi adſtantem lædat. *

§. X. Verum qui per *Caſum fortuitum* (1) & citra ſuam culpam (2) læſit, ad reparationem non tenetur: quia, cum nihil ſit admiſſum, quod imputari ipſi queat, nulla ratio eſt, quare potius is, qui invitus fecit, fatale malum luere debeat, quàm alter, qui paſſus eſt. *

§. XI. Illud quoque naturali æquitati congruum eſt, ut, ſi *homo noſter* (1) citra culpam noſtram (2) alteri damnum (3) dedit, id vel ipſi penſemus, vel iſtum læſo demus. Nam ſervus utique naturaliter reparationi damni à ſe dati eſt obnoxius. Cum autem ipſe non habeat bona, unde reparatio fieri queat, ejusque corpus domini ſit; æquum ſane eſt, ut dominus aut da-

 mnum

* Grot. *Lib. III. cap.* 1. §. 4.

§. X. (1) *Caſus* eſt omnis eventus, vel omne factum, quod humanis conſiliis vel non prævideri, vel certè averti non poteſt.

(2) Quod ſi enim culpa caſum præceſſerit, is non *purus*, ſed *mixtus* eſt; &, qui per talem læſit, utique tenetur.

* Grot. *loc. cit.*

§ XI. (1) Nimirum in acceptione Juris Civilis, ubi *homo noſter* denotat ſervum.

(2) Id eſt, ſi neque mandavimus, neque de noxia participavimus.

(3) Hoc damnum LL. Romanæ in ſpecie vocant *noxiam*, & ſervum *noxam*. Inde *Actio noxalis*, quæ contra dominum ex delicto ſervi datur. Vid. præcedens *Cap. I.* §. 18. & ibi notata.

(4) Alteri

mnum ſarciat, aut iſtum dedat. (4) Aliàs enim ſervo daretur licentia omnes pro libidine lædendi, ſi neque ab ipſo, qui nihil, ac ne ſeipſum quidem habet, neque à domino reparatio damni obtineri poſſet. Nam ſi vel maximè ob læſionem dominus ipſum verberibus aut carcere velit plectere, læſo inde haut quidquam ſatisfieri poteſt.

§. XII. Quin & idem circa *animalia noſtra* æquum eſſe videtur, ut quando illa, etiam citra noſtram culpam, & contra naturam generis ſponte commota alteri damnum (1) dederint, dominus vel damnum ſarciat, vel animal dedat. Nam ſi ab animali, quod in libertate naturali degebat, læſus fuiſſem, poteram utique qualitercunque damnum meum reparare, illud capiendo vel occidendo: quod jus ſanè per alterius dominium tolli non potuiſſe videtur. Et cum dominus ex eo animali lucrum capiat, ego verò damnum ex eodem ſenſerim; reparatio autem damni longe ſit favorabilior, quam lucri adquiſitio: apparet, rectè à domino animalis poſtulari,

(4) Alteri enim per alterum iniqua conditio non debet inferri. *l.* 74. *ff. de Reg. Jur.* Conf. *l.* 8. §. 3. *ff. de negot. geſt.*

§. XII. (1) Leges Romanæ vocant tale damnum *pauperiem.* Inde *Actio* etiam *noxalis*, ſed cum appoſito, *de pauperie*; quæ contra dominum vel poſſeſſorem animalis ex ejus damno datur.

§. XIII. (1)

ſtulari,ut damnum datum reparet,aut,ſi tanti non ſit ipſi animal,illud noxæ dedat.

§. XIII. Sic igitur, qui *damnum* alteri *citra dolum malum* dedit, ultrò reparationem debet offerre, teſtarique, malitiam abs ſe abfuiſſe, ne læſus ipſum pro hoſte habeat, ac viciſſim hoſtilia intentet. Qui autem *per malitiam* alterum læſit, is non ſolum ultrò reparationem damni debet offerre, ſed & pœnitentiam ſui facti oſtendere, veniamque petere. Viciſſim læſus, reparatione obtentâ, pœnitenti ac petenti *veniam dare*, & cum ipſo in gratiam redire tenetur. Nam qui reparatione damni & pœnitentia adquieſcere non vult, ſed vindictam utique manu ſibi quæſitum it, nihil aliud agit, quàm ut acerbitati animi ſui obſequatur, adeoque ex cauſa ſupervacua pacem inter homines abrumpat. Quo nomine damnatur etiam Naturali Lege *vindicta*, (1) quæ nullum alium finem habet propoſitum, quàm ægre facere illis, qui nos læſerunt, eorumque dolore noſtrum animum ſatiare. Eò proniores autem mortales ad condonandas mutuas offenſas eſſe decet, quo frequentius ipſi ſupremi Numinis leges violant, eoque & ipſi veniâ quotidie opus habent.

§. XIII. (1) Intellige *privatam*, & quæ in Civitate quæritur. Conf. ſupra *Cap. præced.* §. *VI.* Nam in Statu Naturali vindictam licitam eſſe ibidem *ad* §. *XV. Not.* 6. dictum fuit.

CAPUT VII.

DE

OFFICIIS QUORUMLIBET ERGA QUOSLIBET,

Et ſecundo quidem; DE Agnoſcenda Naturali hominum æqualitate.

1. Præceptum *Secundum: de agnoſcenda naturali hominum æqualitate.*
2. Fundamenta: æqualitas virium, & juris Nat. communio.
3. Æqualitatis objecta, Perſonæ.
4. Et Res.
5. Oppoſita ſuperbia, quæ vitanda, tàm ſimplex,
6. Quàm quæ cum contemtu aliorum conjuncta.

§. I.

Eſt homo animal non modò ſui conſervandi ſtudioſiſſimum, ſed & cui inſita ſit delicata quædam ſui æſtimatio, cui ſi quid detrahatur, non minus ſæpe commoveri ſolet, quàm illatâ corpori aut rebus noxâ. Quin in ipſo hominis vocabulo judicatur ineſſe aliqua dignatio, ſic ut ultimum ſimul atque efficaciſſimum argumentum,

mentum, quo aliorum inſolens inſultatio retunditur, iſthoc habeatur: *utique non canis ſum, ſed æque homo atque tu.* Cum igitur natura humana omnibus æque competat, (1) & nemo libenter velit aut poſſit illi ſociari, abs quo non ſaltem tanquam æquè homo, & communis naturæ particeps, æſtimatur: ideo *ſecundô* locô inter Officia quorumlibet in quoslibet habetur: *Ut quisque alterum hominem æſtimet atque tractet, tanquam naturaliter ſibi æqualem, ſeu, ut æque hominem.* (2)

§. II. Conſiſtit autem iſthæc hominum æqualitas non in eo ſolum, quod hominum adultorum *vires* ferè ſint æquales, hactenus, ut etiam imbecillior robuſtiori mortem adferre poſſit, per inſidias, aut adjuvante dexteritate, armorumque habilitate; (1) ſed & in eo, quod, licet unus præ altero variis dotibus

§. I. (1) Hinc etiam Gentes hôc Officiô tenentur, in quod peccant, quæ alias ſine ratione pro Barbaris habent, contumelioſis ſcriptis, numiſmatibus, picturis, ſtatuis & ſimilibus traducunt.

(2) Æqualitatem hancce naturalem non tollit inæqualitas Politica, à Civitatibus introductis maximè orta. Nam (1) ut Ordines diſcernantur, & meritis ejusmodi præmia ſtatuantur, Jure Naturæ volente fit. Vid. infra, *Lib. II. cap.* 14. §. 16. *Not.* 1. & (2) hæc inæqualitas cum naturali æqualitate omninò ſtare poteſt.

§. II. (1) Addo, quod omnes in Statum Naturalem, ſeu æqualitatis pervenire posſint.

tibus animi corporisque à natura ſit ornatus, non eò minus tamen Legis Naturalis præcepta adverſus alios ei ſint exercenda, atque ipſe ab aliis idem expectat; nec ideò plus licentiæ ipſi concedatur alios injuriis afficiendi. Sicuti & contra neminem parca in ipſum natura, aut tenuis fortuna, per ſe ad id condemnat, ut deterioris conditionis circa fruitionem communis juris ſit, quàm alii; Sed quæ unus ab altero poſtulare aut expectare poteſt, eadem alii quoque, cæteris paribus, ab eodem debent; & quod juris quis in alios ſtatuit, eo ipſum uti maximè convenit. *Obligatio* quippe *ad colendam cum aliis hominibus vitam ſocialem homines æqualiter ſtringit*; nec uni magis licet Leges Naturales in alio violare, quàm alteri. Etſi nec deſint populares rationes eam æqualitatem illuſtrantes; puta, quod ex eadem ſtirpe omnes deſcendamus, eodem modo naſcamur, nutriamur, moriamur; quodque Deus nemini de ſtabili & inconcuſſa fortuna caverit. Sicut & ſcita religionis Chriſtianæ parando Numinis favori non nobilitatem, potentiam, divitiasve, ſed pietatis ſinceritatem commendant, quæ æque in humilem, quàm illuſtri poſitum loco, cadere poteſt.

§. III. Ex hacce porro æqualitate conſequitur: eum, qui aliorum opera ad commodum

dum ſuum uti vult, viciſſim quoque in eorundem uſus ſeſe diſpenſare debere. Nam qui poſtulat, ut alii quidem ſibi inſerviant, ipſe contra ſemper immunis eſſe cupit, is alios utique ſibi inæquales ducit. Inde uti ad ſocietatem quam maxime ſunt idonei, qui facile eadem omnibus permittunt, quæ ſibi: ita plane inſociabiles ſunt, qui, dum aliis ſuperiores ſeſe exiſtimant, omnia licere ſibi ſolis volunt, & ante cæteros honorem ſibi arrogant, partemque præcipuam ex rebus in medio poſitis, ubi nullô præ reliquis eximiô jure pollent. Unde & id inter communia Legis Naturalis Officia eſt: *Ut ne quis, cui peculiare jus non eſt quæſitum, plus ſibi quam reliquis arroget, ſed alios æquo ſecum jure frui permittat.*

§. IV. Eadem æqualitas quoque oſtendit, quomodo quis ſeſe debeat gerere, ubi *jus inter alios* ipſi ſit *diſtribuendum*; nempe ut tanquam æquales eos tractet, & neutri præter merita cauſæ quid præ altero indulgeat. Secus enim ſi fit, is, qui poſthabetur, contumeliâ ſimul & injuriâ afficitur, & dignatio à natura data eidem detrahitur. Unde conſequitur, *ut res communis æqualibus portionibus inter æquales jure ſit dividenda.* Ubi diviſionem res non admittit, eâdem communiter uti debent, qui æquale jus

habent,

habent,idque,ſi quantitas rei permittat,quantum quisque velit: ſin res iſtud non ferat, ut tunc utantur ea re præfinitô modô, & proportionatè ad numerum utentium. Alius enim modus excogitari non poteſt æqualitatem obſervandi. Quod ſi autem neque dividi res, neque communiter haberi poſſit, uſus ejus ſit vel alternus,vel,ſi ne hoc quidem ſuccedat, aut reliquis æquipollens præſtari nequeat, per *ſortem* uni res erit adjudicanda. Nam in ejusmodi caſibus commodius,quam ſors,remedium inveniri nequit; quippe quæ opinionem contemtus removet, &, cui non favet, de dignatione nihil detrahit.

§. V. Contra hoc Officium peccatur per *ſuperbiam*, (1) quâ quis nulla de cauſa, aut non ſufficiente, aliis ſe præfert, & velut inæquales eosdem præ ſe deſpicit. *Nullâ de cauſa* dicimus. Nam ubi quis ſibi ritè jus quæſivit,quod ipſi præ aliis prælationem dat, rectè illud exercere & tueri poteſt, citra tamen inanem faſtum, aut aliorum contemtum. Sicuti & contra quilibet alteri prælationem, honoremque, qui ipſi debetur, meritò præſtat. De cætero veræ generoſitati ſemper comes

§. V. (1) Intelligitur hic ſuperbia *ſimplex*, peccatum Stultitiæ, non injuriæ propriè ſic dictæ; unde propter hanc nec Actio in foro, nec juſta belli cauſa inter Gentes datur.

(2) De

comes eſt honeſta quædam *humilitas*, quæ conſiſtit in reflexione, quam facimus ſuper infirmitate naturæ, & erroribus, quos olim potuimus commiſiſſe, aut deinceps poſſumus committere, qui non minores ſunt iis, qui ab aliis committi poſſunt. Per quam efficitur, ut nos nemini præferamus, reputantes, cæteros æquè benè ſuô liberô arbitriô, ac nos, uti poſſe, quô æquè pollent; cujus legitimus uſus unicum illud eſt, quod homo pro ſuo reputare poſſit, & quo ſeſe æſtimare aut deſpicere queat. (2) Nullâ autem de cauſa ſeſe efferre, revera ridiculum eſt vitium; quia & per ſe ſtultum, propter nihil ſe magni facere, & quia alios omnes pro ſtultis habet, quaſi ipſum citra rationem eſſent æſtimaturi.

§. VI. Magis adhuc peccatur, ſi quis *contemtum* adverſus alios oſtendat (1) ſignis exterioribus, factis, verbis, vultu, riſu, ac quacunque contumelia. Quod peccatum eò deterius eſt cenſendum, quò aſperius aliorum animi in iras ac ulciſcendi libidinem concitantur. Adeò ut multi deprehendantur,

(2) De hoc aliquoties jam ſuprà locutus eſt Autor; maximè *Cap. V.* §. 4.

§. VI. (1) Hæc eſt Superbia *qualificata*, undè oriuntur *injuriæ* propriè ſic dictæ *verbales* & *reales*; unde in foro Actiones, & inter Gentes juſtæ bellorum cauſæ naſcuntur.

tur, qui vitam malint præſenti periculo exponere, multò magis pacem adverſus alios abrumpere, quàm contumeliam inultam pati. Quippe cum per hanc violetur gloria & exiſtimatio, cujus integritate & vigore omnis animi voluptas conſtat.

CAPUT VIII.

DE OFFICIIS QUORUMLIBET ERGA QUOSLIBET; *& quidem tertio,* De promiſcuis Officiis Humanitatis exercendis.

1. Præceptum *tertium* & diviſio Officiorum hinc orientium.
2. 3. Præſtantur vel *indefinitè*.
4. Vel *definitè*, cum per humanitatem vulgarem, in rebus innoxiæ utilitatis.
5. Tum per ſingularem, ſeu beneficentiam.
6. 7. Beneficentiæ correlatum, Gratitudo.
8. Hujus oppoſitum ingratitudo.

§. I.

Inter Officia quorumlibet erga quoslibet, & quæ propter communem Socialitatem ſunt exercenda, *tertio* loco id ponitur: *ut quilibet alterius utilitatem, quantum* com-

commode poteſt, promoveat. Cum enim cognationem quandam inter homines natura conſtituerit, parùm fuerit, alios non læſiſſe (1) aut contemſiſſe; (2) ſed talia quoque in alios conferenda, aut invicem communicanda, ex quibus mutua inter homines benevolentia alatur. Proſumus autem aliis vel *indefinite*; vel *definite*; & quidem ut vel *nihil* nobis, ſcilicet per Officia innoxiæ utilitatis, vel *aliquid*, nimirum per beneficia alia *decedat*.

§. II. *Indefinitè* aliorum commoda promotum it, qui animam ac corpus ſuum probè excolit, ut utiles abs ſe actiones in alios proficiſci queant; (1) aut ſi per ingenii ſolertiam talia inveniat, quibus vita humana reddatur inſtructior. Unde contra hoc Officium peccare ſunt cenſendi, qui nullam honeſtam artem addiſcunt, vitâque per ſilentium tranſitâ animam pro ſale habent, ne putreſcant, nummos tantum & fruges conſumere nati. Et qui, opibus per majores relictis contenti, ideò impunè abs ſe ignaviæ litari credunt, quod aliorum induſtriâ jam ſit partum, unde victitent. Et *qui divitiis ſoli incubuere repertis, nec partem poſuere ſuis.*

I (2) Idem

§. I. (1) Juxta *Cap. VI.*
(2) Juxta *Cap. VII.*
§. II. (1) Per ea, quæ dicta ſuprà *Cap. V. §. 12. ſeqq.*

(2) Vir-

(2) Item qui ad porcorum inſtar neminem niſi morte ſua exhilarant. Et id farinæ alia otioſa terræ pondera.

§. III. Viciſſim illis, qui de mortalium genere benè mereri inſtituunt, cæteri hoc debent, ut ipſis ne invideant, nec præclaris eorundem conatibus remoram injiciant. Tum ſi alia non ſit via, paria cum iſtis faciendi, ſaltem celebritatem memoriæ famæque eorum, qui præcipuus laborum fructus eſt, promotum eant.

§. IV. *Definitè* quis inſervit, quando certis hominibus indulget, quod ipſis utilitatem quandam adferre, & vel citra ſuum detrimentum, moleſtiamque aut laborem, præſtari poteſt, quale quid non libenter in alios diſpenſare velle, deteſtanda malignitas & inhumanitas habetur. Quæ vocari ſolent *res innoxiæ utilitatis*, ſeu, quæ accipienti proſunt, præſtantem non gravant. (1) Uti ſunt, non prohibere aquam profluentem, pati ab igne ignem capere, conſilium fidele deliberanti dare, erranti comiter monſtrare viam. Sic, ſi quis rem aliquam amplius poſſidere nolit, propter nimiam copiam, aut quia aſſervatio ejus ipſi moleſta eſt; cur non malit eam

(2) Virgil. *Æneid. VI. verſ.* 810. *ſeq.*

§. IV. (1) Quæ ſunt accipienti utilia, danti non moleſtia, ut Cicero deſcribit, *Offic.* I.

(2) De

eam potius integram relinquere, ut aliis non-hoſtibus uſum præbere poſſit, quam eandem corrumpere? Sic non fas, nutrimentum perdere, ubi nos ſalutati ſumus, neque fontem obturare, aut occultare, ubi nos affatim bibimus, neque ſigna navigationis itinerisque abolere, poſtquam iis uſi ſumus. (2) Huc pertinent modicæ ſtipes locupletum in egenos collatæ, item illa humanitas, quæ juſtâ de causâ peregrinantibus exhibetur, præſertim ubi aliqua ipſos calamitas oppreſſerit: & ejus generis alia. * (3)

§. V. Sublimior gradus humanitatis eſt, ex ſingulari benevolentia gratis quid in alterum conferre, impenſa aut opera laborioſa conſtans, quo ipſius neceſſitatibus ſubveniatur, aut eidem inſignis quæpiam utilitas concilietur. Quæ κατ' ἐξοχὴν vocantur *beneficia*, aptiſſima materia inſignem laudem parandi, ſi magnitudo animi & prudentia eadem rite temperaverit. Eorum diſpenſationem ac modum fere conditio dantis atque accipientis moderatur. In quibus id cumprimis obſervandum, ne obſit benigni-

(2) Deprompta hæc ex Plutarcho, *Quæſt. Sympoſ. L. VII. Qu.* 4.

* Grot. *Lib. II. c.* 2. §. 11. 12. *ſeqq.*

(3) Plura exempla rerum innoxiæ utilitatis, imprimis inter Gentes taliuni vid. apud Grotium, *J. B. & P. L. II. c.* 2. §. 11. *ſeqq.*

tas & iis ipſis, quibus benignè videtur fieri, & cæteris: deinde ne major benignitas ſit, quam facultas: tùm ut pro dignitate cuique tribuatur, & quidem ante omnia bene meritis; tum ut quisque noſtræ opis indigeat, obſervatis quoque conjunctionis gradibus inter homines. Videndum quoque, quid cuique maxime neceſſe ſit, & quid quisque nobiſcum aut ſine nobis poſſit conſequi, aut non poſſit. Modus quoque dandi multum gratiæ beneficiis addit, ſi hilari fronte, promte, (1) & cum conteſtatione benevolentiæ demus. *

§. VI. Viciſſim in eo, qui beneficium accepit, exiſtere debet *gratus animus*, quo is oſtendit, iſtud ſibi acceptum fuiſſe, dantique eam ob cauſam favet, & occaſionem quærit paria reponendi, aut amplius, quantum ejus fieri poteſt. Nam id non neceſſarium eſt, ut præcisè tantum reddamus, quanti id fuit, quod datum eſt; (1) ſed ſæpe ſtudium & conatus obligationem explent. Modo tamen nihil ſit, quod ei, qui beneficium ſe de-

§. V. (1) Bis enim dat, qui citò dat. Hinc rectè Auſonius:
Gratia, quæ tarda eſt, ingrata eſt, gratia namque
Dum fieri properat, gratia grata magis.
Epigram. 81.
* Grot. *Lib. II. cap.* 15. §. 10.

§. VI. (1) Sic enim naturam *mutui* indueret. *Non datur beneficium ſpe tantundem recipiendi;* ſed *ſimplici animo, non operâ venali.* Scaliger *Poëtic. L. III. c.* 24.

§. IIX. (1)

dediſſe prætendit, recte opponi poſſit. Nam qui me ex aquis extraxit, ei nihil debeo, ſi me in eas prius conjecerat.

§. VII. Cæterum quo magis ad devinciendos hominum animos apta ſunt beneficia, eò acrius ad gratiam referendam incumbere debet, qui iſta accepit. Saltem ne eum, qui fiducia noſtri prior nobis benefecit, ob eam rem deteriore eſſe conditione patiamur; neve beneficium accipiamus, niſi animo nitendi, ne dantem merito dati pœniteat. Nam ſi certam ob cauſam peculiariter alicui nolimus obligari, licebat oblatum beneficium dextrè recuſare. Et ſanè ſi abſque neceſſitate gratiæ referendæ foret, contra rationem fecerit, ſi quis ſua temere jactaverit, & quod periturum proſpicit, beneficium prior contulerit. Quô modô omnis tolleretur inter homines beneficentia & fiducia, unaque omnis benevolentia, neque eſſet inter eos quidquam gratuitæ opis, nec ullum gratiæ conciliandæ initium.

§. IIX. Quanquam autem *in animo ingrato per ſe nulla ſit injuria*: (1) fœdius

§. IIX. (1) Cùm enim gratitudo ſit debitum humanitatis, &, quæ ex humanitate debentur, debeantur ex obligatione imperfecta, ut dictum in præcedentibus: igitur ingratus *inhumanus* tantùm eſt, non *injurius* propriè. Conf. Tabulam noſtram, Capiti II. circa finem ſubjectam.

(2) Eccle

tamen & magis odioſum ac deteſtabile habetur nomen ingrati, quàm injuſti. Cenſetur enim animi valdè abjecti & degeneris, ſeipſum indignum declarare eô judicio, quod alter de ipſius probitate tulit; ac ne beneficiis quidem, quæ etiam bruta demulcent, moveri poſſe ad concipiendum humanitatis ſenſum. In Foro tamen Civili ob ſimplicem ingratitudinem, ſeu, ubi quis nudi beneficii obliviſcitur, & occaſione datâ id referre negligit, *actio* non ſolet dari. (2) Pars enim optima beneficii perit, ſi actio, uti certæ pecuniæ detur; jam enim creditum eſſe incipiet. Et cum res honeſtiſſima ſit referre gratiam, deſinet eſſe ita ſplendidè honeſta, ſi ſit neceſſaria. Denique huic uni legi vix omnia fora eſſent ſuffectura, ob difficillimam æſtimationem circumſtantiarum, quæ beneficium vel intendunt, vel elevant. Et eam ipſam ob cauſam beneficium dedi, i. e. ejus, quod dedi, refuſionem mihi ſtipulatus non ſum, (3) ut & alteri foret occaſio oſtendendi, ſe honeſti amore, non ex metu pœnæ huma-

(2) Bœclerus, *diſſert. III. ad Grot. L. II. c.* 20. *n.* 20. Actionem ingrati utique dari ſtatuit: Sed rationes, quas adducit, rem non conficiunt; & exempla pleraque ingratorum non de ſimplici, ſed qualificata ingratitudine agunt, contra quam Actionem dari non negatur.

(3) *Contrarium eſt Officio merces*, ait Paulus JCtus, *l.* 1. §. 4. *ff. mandati.*

(4) Hæc

humanæ aut coactionis, gratiam retuliſſe; utque ipſe non ſpe lucri, ſed ob humanitatem exercendam, videar erogaſſe, de quo recipiendo mihi caveri noluerim. Enim verò qui non ſolùm beneficium non rependit, ſed & benefactori inſuper malum reponit, (4) ille ob hocce factum eo graviore pœnâ eſt afficiendus, quò fœdiorem animi malignitatem ſibi ineſſe oſtendit. *

(4) Hæc eſt ingratitudo, quam diximus *qualificatam*.

* Grot. *Lib. II.* *cap.* 20. §. 20.

CAPUT IX.

DE

OFFICIIS PACISCENTIUM.

1. Connexio.
2. Pactorum neceſſitas.
3. Præceptum generale: *fidem pactis datam ſervandam.*
4. Differentia Officiorum ex pactis & citra pacta debitorum.
5. Differentia *Promiſſionum* & *Pactorum*.
6. Promiſſio eſt vel *imperfecta*,
7. Vel *perfecta*.
8. Pactorum Forma conſiſtit in conſenſu mutuo.
9. Qui exprimitur ſignis. Unde Pacta vel *expreſſa*, vel *tacita*.
10. Conſenſus deeſt in impuberibus, amentibus, ebriis.
11. Quouſque in impuberibus deſit.
12. Conſenſui contrarius *Error*;

13. Et *Dolus*,
14. 15. Nec non *Metus*.
16. *Correlatum* promiſſionis *Acceptatio*, unde conſenſus mutuus.
17. *Objectum* pactorum, res poſſibilis.
18. Licita.
19. Noſtra; an & quatenus etiam aliena?
20. Pacta porrò ſunt vel *abſoluta* vel *conditionata*.
21. Et celebrantur vel immediatè vel mediatè.
22. Tranſitio ad *Officia hypothetica*.

§. I.

AB officiis Abſolutis ad Hypothetica fit velut tranſitus per pacta intermedia; quippe cum omnia Officia, præter jam enumerata, pactum expreſſum aut tacitum videantur præſupponere. Igitur hoc loco agendum erit de *natura pactorum*, & quid illa ineuntibus obſervandum ſit. *

§. II. Fuiſſe autem *neceſſarium*, *pacta inter homines iniri* ſatis manifeſtum eſt. Quanquam enim (1) Officia humanitatis latè ſeſe per vitam humanam diffundant; haut quidquam tamen ex eo ſolo fonte deduci omnia poſſunt, quæ hominibus à ſe invicem utiliter percipere licebat. Nam neque

*. *Conferendum cum his integrum cap. XI. ex L. II.* Grotii *de Jure Belli & Pacis.*

§. II. (1) Finis & uſus pactorum quadruplex eſt; Ut (1) Obligationes novæ conſtituantur; (2) bello abruptæ reparentur; (3) conſtitutæ tollantur; (4) imperfectæ & laxiores nonnunquam magis adſtringantur. Autor hic tantum ferè de uſu *primô* & *ultimô* loquitur. De *ſecundo* agitur *L. II. c.* 16. §. 17. de *Tertio L. I. c.* 16. §. 3. 4.

(2) Scili-

que quibusvis ea eſt ingenii bonitas, ut omnia, quibus aliis prodeſſe poſſunt, ex ſola humanitate velint præſtare, citra exploratam ſpem paria recipiendi. Et frequenter illa, quæ ab aliis in nos proficiſci queunt, ejusmodi ſunt, ut gratis eadem nobis exhiberi ſalvâ fronte poſtulare nequeamus. (2) Sæpe quoque noſtram fortunam aut perſonam non decet, alteri tale beneficium debere. Adeoque utplurimum alter dare non poteſt, ſæpè nos accipere nolumus, niſi iſte paria à nobis recipiat. Non raro denique latet, qua ratione commodis noſtris inſervire queant. Igitur ut mutua inter homines Officia, qui fructus eſt Socialitatis, eo crebriùs & ad certas velut regulas exerceantur, neceſſum fuit, homines ipſos inter ſe convenire ſupèr ejusmodi rebus invicem præſtandis, quæ ex ſola humanitatis lege certò ſibi polliceri ab aliis non poterant; Adeoque in anteceſſum determinandum fuit, quid alteri quis præſtare, quidque ab eodem iterum expectare ſuoque jure exigere deberet. Id ipſum autem fit per *promiſſa* & *pacta*.

§. III. Circa iſthæc generale Officium ex Lege Naturali debitum eſt: *ut quilibet fidem datam ſervet*, ſeu promiſſa & pacta expleat. Citra hoc enim ſi eſſet, plurima

(2) Scilicet, quæ magnâ impenſâ operaque laborioſâ conſtant, ut Autor locutus eſt ſuprà *c. IIX.* §. 5.

pars utilitatis (1) periret, quæ humano generi communicatis invicem operis ac rebus enaſci apta eſt. Et ni promiſſa ſervandi neceſſitas foret, haut quidquam liceret rationes ſuas firmiter aliorum hominum ſubſidiis ſuperſtruere. Quin & ex decepta fide juſtiſſimæ querelarum bellique cauſæ pullulare ſunt idoneæ. Nam ubi ego ex pacto aliquid præſtiterim, altero fidem fallente, mea mihi res aut opera fruſtra periit. Sin verò nihil adhuc præſtiti, rationes tamen & deſtinata mea turbari moleſtum eſt; cum alio modô rebus meis potuiſſem conſulere, niſi iſte ſe mihi obtuliſſet. Et indignum eſt, ludibrio haberi, quia alterum cordatum ac bonum virum credidi.

§. IV. Obſervandum autem, ea, quæ ex ſolo humanitatis Officio debentur, in hoc potiſ-

§. III. (1) Hoc igitur Jure pacta nuda animo deliberatô & aliàs recte celebrata producunt & actionem & obligationem ſecus, ac olim Jure Romano; quamvis hoc etiam perfectis Pactis vim *naturaliter* obligandi ineſſe, & eam *ad agendum* efficacem, ſcil. *in theſi*, agnoſcat, *l.* 7. §. 4. *ff. de Pact. l.* 16. §. 4. *ff. de Fidejuſſor.* Indè etiam eſt, quod talibus Pactis, etiamſi vim agendi *ex hypotheſi* denegat, alios tamen inſignes Juris effectus tribuit; & hoc reſpectu *approbata* Doctoribus audiunt, ad differentiam ſcilicet illorum Pactorum nudorum, quibus omnes omninò effectûs à Jure Romano adimuntur, & à Dd. ideò *reprobata* vocantur, qualia ſunt ex. gr. Pupilli ſe obligantis.

(2) De quâ in §. præcedente dictum.

potiſſimum differre ab iis, quæ ex pacto aut promiſſo perfecto debentur, quod iſta quidem rectè petantur & honeſtè præſtentur; ſed ubi alter ea ultrò præſtare neglexerit, de *inhumanitate* duntaxat, (1) feritate, aut duritia ejusdem queri poſſum, non tamen per violentiam propriam, (2) aut ſuperioris (3) eundem ad præſtandum cogere. Id quod tamen licet, ubi ultro non præſtantur, quæ ex promiſſo perfecto, aut pacto debentur. Inde etiam ad illa *jus imperfectum*, ad hæc *jus perfectum* habere: ſicut & ad illa *imperfectè*, ad hæc *perfectè obligari* dicimur. *(4)

§. V. Fidem damus vel *per actum ſolitarium* ſeu μονόπλευρον, vel *per actum reciprocum* ſeu δίπλευρον. Quandoque enim unus ſe duntaxat ad quid præſtandum obſtringit: (1) quan-

§. IV. (1) Non de injuriâ proprie ſic dicta; quia injuria eſt læſio Juris perfecti; quemadmodum de hac diſtinctione in præcedentibus jam aliquoties monitum.

(2) In Statu Naturali.

(3) In Statu Civili.

* Grot, *Lib. I. cap.* 1. §. 4. *ſeqq.*

(4) Præter rationem, quam Autor hic adducit, quare ad aliqua *perfectum*, ad aliqua *imperfectum* jus habeamus, & viciſſim ita obligemur, dum ſcilicet aliqua pacto firmentur, aliqua non dari poteſt adhuc alia; nimirum quia aliqua ſic comparata ſunt, ut ſine iis Socialitas *eſſe plane non* poſſit; aliqua non ad eſſe, ſed tantum ad *bene eſſe* faciunt. Ergò ad illa *perfectum jus*, ad hæc non niſi *imperfectum* habemus; ad illa nobis alii *perfectè*, ad hæc non niſi *imperfectè obligantur*. Vid. Autor, *J. N. & G. L. I.* c. 7. §. 7.

§. V. (1)

(1) quandoque autem duo pluresve mutuò ſe ad quid præſtandum obligant. (2) Prior actus vocatur *promiſſum gratuitum*, poſterior *pactum*.

§. VI. *Promiſſio*, quatenus Pacto opponitur, poteſt dividi in *imperfectam & perfectam*. Illa eſt, (1) quando ipſi quidem, qui promittimus utique obligari volumus; ut tamen alteri jus ad exigendum non demus, ſeu ut nolimus ad promiſſum noſtrum implendum violenter compelli. v. g. Si ita concipiam promiſſum: ego ſerio deſtinavi hoc vel illud tibi præſtare, & peto, ut mihi credas. Sic enim videor obligatus magis ex lege veracitatis, quàm juſtitiæ, maloque videri propriæ conſtantiæ & gravitatis impulſu ferri ad faciendum officium, quàm propter jus alterius. Huc ſpectant *pollicitationes virorum potentum aut gratioſorum*, quibus alicui non per verba honoris, (2) ſed seriò ſuam commendationem, interceſſionem, promotionem, aut ſuffragium ſpondent; quæ tamen haut quaquam velut jure aliquo abs ſe volunt

§. V. (1) v. gr. in donatione, qua non ex conventione, ſed mera liberalitas eſt. Conf. infr. §. *XVI.*

(2) v. gr. in Matrimonio.

§. VI. (1) Breviter: quæ ex ſola humanitate procedit, & adeò *jus tantum imperfectum* tribuit.

(2) Nam hæc magis ex conſuetudine ſunt, quam ex deliberato animo.

§. VII.

volunt exigi, ſed in ſolidum ſuæ humanitati ac veracitati cupiunt imputari: ut Officii ſui gratia eò major ſit, quò longius ab eodem coactio abfuerit.

§. VII. Perfecta autem promiſſio eſt, quando non ſolùm ipſe utique obligari volo, ſed & ſimul jus in alterum confero, ut rem promiſſam velut debitam plenè à me poſcere queat. (1)

§. IIX. Porrò ut promiſſa & pacta nos obligent ad aliquid dandum aut faciendum, quod antea non debebamus, aut omittendum, quod antea jure poteramus facere, maximè requiritur *ultroneus noſter Conſenſus.* (1) Nam cum cujusvis promiſſi & pacti impletio cum aliquo onere ſit conjuncta, nulla proprior ratio eſt, quare ſuper eo conqueri rectè nequeamus, quam quia ultrò in id conſenſimus, quod evitare penes nos erat.

§. IX. Conſenſus etſi regulariter per *ſigna*, puta voces, literas nutusque exprimi ſoleat; (1) aliquando tamen contingit, ut ille citra iſthæc ſigna ex ipſa negotii natura aliisque circumſtantiis liquidò colligatur. (2)

* Sicuti

§. VII. (1) Hæc *perfectum jus* tribuit, & eſt propriè hujus loci.

§. IIX. (1) Isque vel expreſſus, vel tacitus, vel præſumtus. De ſingulis jam ſtatim.

§. IX. (1) Hic in ſpecie eſt *expreſſus*.

(2) Hic in ſpecie eſt *tacitus*.

* Grot.

* Sicuti interdum *ſilentium*, cum certis circumſtantiis conſideratum, loco ſigni conſenſum exprimentis valet. (3) Unde & dantur *pacta tacita*, quando nempe conſenſus noſter non per ejusmodi ſigna, quæ regulariter in commercio hominum recepta ſunt, exprimitur, (4) ſed quando idem ex negotii natura aliisque circumſtantiis liquidò colligitur. Sic & principali pacto ſæpè adhæret *pactum tacitum*, (5) quod ex ipſa negotii natura profluit. Sicut & uſitatiſſimum eſt, ut in pactis tacitæ quædam exceptiones & conditiones neceſſariæ ſint ſubintelligendæ. (6)

§. X.

* Grot. *Lib. II. cap.* 4. §. 4. *Lib. III. cap.* 1. §. 8. *Lib. III. cap.* 24. §. 1. 2.

(3) Quotiescunque enim quis contradicendo actum impedire potuit & debuit; ſi id non facit, habetur pro conſentiente *arg. l.* 18. *ff. Mandati*, *c.* 43. *de R. J. in Sext.*

(4) Id eſt, per verba ore prolata, vel per ſcripturam.

(5) v. gr. Emtioni venditioni *pactum præſtandæ evictionis.*

(6) Cæterum differt proprie conſenſus *tacitus* à *præſumto*. Ille enim (1) *verus* eſt, & in *veris Contractibus* locum habet; v. gr. in ſocietate, *l.* 4. *ff. pro ſocio*. Mandatô, *l.* 6. §. 2. *ff. mandat.* Relocatione tacitâ, *l.* 13. *in fin. l.* 14. *ff. Locati.* &c. Hic *fictus* eſt, dum leges pro homine conſentiunt, etiam ignorante & invito. *vid. l.* 22. *ff. de ritu nuptiar.* inde locum habet in *quaſi-Contractibus*, negotiorum geſtione, tutelæ adminiſtratione &c. Cùm illi, ſcilicet *expreſſus* & *tacitus* in ſolis *veris Contractibus* obtineant. Imò qui nec *expreſſè* nec *tacitè* conſentire poſſunt, ut infantes & furioſi, poſſunt tamen *præſumtivè*. Accedit (4) quod *tacitus* conſenſus *ſigna* requirat, & *præcedentem expreſſum conſenſum præſupponat*, cùm in *præſumto* nec ſigna adſint, nec expreſſus aliquis conſenſus præcedat. Quamvis

§. X. Ut autem aliquis liquido conſentire poſſit, requiritur *uſus rationis* hactenus, ut præſens negotium intelligat, an ſibi conveniat, & abs ſe præſtari queat, eoque perpenſo, conſenſum ſuum ſufficientibus ſignis exprimere poſſit. Unde ſequitur, promiſſa & pacta *infantum*, ut & *amentium* ac *furioſorum*, (niſi ubi dilucidis intervallis furor diſtinguitur) nulla eſſe. Id quod & de promiſſis *ebriorum* eſt pronunciandum, ſi ebrietas jam eò usque proceſſerit, ut ratio ſit planè obruta & ſopita. (1) Nam pro vero & deliberato conſenſu haberi nequit, ſi quis vel maximè momentaneo & inconſulto impetu in aliquid inclinet, aut ſigna quædam edat conſenſum aliàs exprimentia, eò tempore, quando mens velut medicamine quodam loco mota fuerat. Sed & impudens foret, tale promiſſum, præſertim cum magno onere conjunctum, exigere velle. Quin ſi quis ebrietatem eam captavit, & obſervatâ alterius facilitate, promiſſum aſtutè elicuit, ne abs doli quidem fraudisque crimine immunis erit. Aſt qui diſcuſſâ crapulâ per ebrietatem acta rata habuerit, utique obligabitur, non tàm ex eo, quod ebrius, quàm quod ſobrius egit.

§. XI.

vis *in ſenſu latô* ſub tacito conſenſu etiam præſumtus vulgo compreheudatur.

§. X. (1) Id eſt, ſi cum alienatione mentis conjuncta fuerit.

(2) In-

§. XI. Cæterum quouſque in *pueris* duret imbecillitas rationis, contrahendam obligationem impediens, Lege Naturali adeò accuratè definiri nequit, (1) cum in aliis citius, in aliis tardius judicium matureſcat: ſed illud eſt ex cujusvis quotidianis actionibus judicandum. Etſi in pleriſque Civitatibus Leges Civiles certum heic temporis terminum in univerſum conſtituerint. Sicuti & alicubi ſalutariter eſt receptum, ut aliorum prudentiorum autoritatem (2) adhibere neceſſum haberent in contrahendis obligationibus, quouſque inconſultus ille juventæ impetus deferbuiſſet. Quippe cum ea ætas, etiam quando negotium, quod geritur, intelligit, vehementi ferè ac parum providô impetu feratur, ac in promiſſa ſit facilis, ſpei plena, liberalitatis famam captans, in amicitias ambitioſè colendas prona, ac diffidere neſcia. Unde & dolo vix caret, qui iſtius ætatis facilitati imminet, & juniorum diſpendiis locupletari vult, qui iſti per judicii imbecillitatem prævidere aut æſtimare non norunt.

§. XII.

§. XI. (1) Cum enim Jus Naturale conſtet principiis Univerſalibus & generalibus, igitur cum ſpecialibus determinationibus ipſi nihil negotii; ſed relinquit eas Legislatoribus Civilibus, & Juri Poſitivo, uti pluribus docetur infra *Lib. II. cap.* 12.

(2) Intelligit Tutores & Curatores.

§. XII.

§. XII. Conſenſum quoque impedit *Error.* (1) Circa quem hæ regulæ ſunt obſervandæ. I. *Ubi in promiſſione* (2) *aliquid tanquam conditionem* (3) *ſuppoſuerim,* (4) *citra cujus intuitum promiſſurus non fueram, naturaliter* (5) *promiſſionis nulla erit vis.* Nam promiſſor conſenſit non abſolutè, ſed ſub conditione: qua non apparente promiſſio quoque nulla eſt. (6) * II. *Si ex errore ad paciſcendum aut contrahen-*

§. XII. (1) Nihil tàm contrarium Conſenſui eſt, quàm Error. *l. 15. ff. de Jurisdict.* Et licet Romanæ leges illi, cui per Errorem aliquid promiſſum, *Actionem* tribuant, ubi Error non ipſa ſubſtantialia concernat; ea tamen, per oppoſitam *Exceptionem in factum*, ut vocant, ſtatim exſpirat. §. 1. *Inſt. de Except.* Vid. *Not. 6. ad §. XIII. h. II. Cap.*

(2) Procedit Regula in promiſſione unilaterali, v. gr. Donatione, Dote &c. non in Conventionibus & Pactis, ubi pacta omninò ſubſiſtunt, quia iſtis nihil vitii ineſt. Exemplum vid. in proximâ Nota (6.)

(3) v. gr. quia aliquis mea negotia utiliter geſſerit, quod tamen non factum.

(4) *Expreſſè* ſcilicet; quia propoſitum in mente retentum nihil operatur. *l. 7. C. de Condict. ob cauſ. dator.*

(5) Id eſt, ſimplici Juris Naturalis interpretatione. Nàm *Jure Civili* effici poſſe, ut nihilominus talis promiſſio valeat, dubitare non ſinit exemplum Hæredis & Legatarii; quibus licet ex falſa cauſa impulſiva hæreditas relicta vel legatum adſcriptum, tamen ultima voluntas ſubſiſtit.

(6) Sic in dotis promiſſione eſt conditio matrimonii; quâ non eveniente, dos quoque non intelligitur, *l. 9. l. 48. ff. de Jure dot.*

* Grot. *Lib. III. cap.* 23. §. 4.

dum fuerim impulſus, (7) *eumque re integra*, & quando nihil adhuc fuit præſtitum, *deprehendero*, *æquum* (8) ſanè *fuerit*, *ut facultas pœnitendi mihi concedatur*; præſertim ubi præ me tulero, dum ad paciſcendum accedo, quæ me cauſa impellat, nec alter ex mea pœnitentia detrimentum patiatur, aut id penſare ego paratus ſim. (9) Verùm ubi res non amplius eſt integra, & ubi error tunc demum patuerit, quando jam pactum eſt impletum ex toto aut ex parte; (10) qui erravit, à pacto reſilire non poterit, (11) niſi quantum alter ex humanitate velit indulg●e. III. *Ubi error contigerit circa ipſam rem*, (12) *de qua convenitur*, *pactum*

(7) Ex. gr. ſi perſuadear à Tertio, equos meos domi periiſſe, & ex hoc errore alios emero. Cæterum vix procedet Regula hæc; quia Error ipſum pactum non ingreditur, nec eſt in objecto; ſed tantum ut Comes ſe habet ex parte errantis à Tertio hauſtus; quo in caſu erranti potius nocet, quam alteri.

(8) Leges Naturales, utpote non morbidæ, tali medicina non indigent. Ergo nec tale pactum Jure Naturali munitum.

(9) Imò poteſt ſibi errans conſulere, ex. gr. in præſenti caſu, equos iterum divendendo.

(10) Id eſt, ſi vel equi traditi, vel pecunia, vel ſi utrumque factum.

(11) Traditio ad validitatem pacti nihil facit, quia Jure Naturali etiam ſolô conſenſu pacta ſubſiſtunt.

(12) Id eſt, *Corpus rei*, v. gr. venditur mihi fundus Cornelianus pro Semproniano, vid. etiam *Geneſ. XXIX*, 23.

§. XIII.

ctum vitiatur, non tàm ob errorem, quàm quia legibus pacti non fuit ſatisfactum. Nam in pactis ipſa res de qua convenitur, ejusque qualitates debent eſſe cognitæ; citra quam cognitionem liquidus conſenſus intelligi nequit. Unde defectu deprehenſo, qui lædendus fuerat, vel à contractu reſilire poteſt, vel alterum ad defectum ſupplendum adigere, vel etiam ad præſtandum id quod intereſt, ubi ipſius dolus aut culpa intervenit.

§. XIII. Quod ſi quis *Dolo* & malitioſa fraudulentia alterius inductus fuit ad promittendum aut paciſcendum, ita eſt habendum. 1. *Si tertius dolum adhibuerit, non colludente eo, quicum paciſcimur, negotium erit firmum:* ab eo tamen, qui dolum adhibuit, poterimus repetere id, quod intererat; nos non fuiſſe deceptos. (1) * 2. *Qui dolo ſuo malo cauſam dedit, ut ipſi quid promitterem,* cum eove paciſcerer, *ei ex iſthoc actu haudquidquam obligor.* (2) 3. *Si quis*

 ultrò

§. XIII. (1) Applicetur exemplum in *Notâ 6. præcedentis §phi* datum. Et debuiſſet Autor ibidem eodem modô, ut hic, caſum decidere. Nam & ibi Erroris cauſam præbet Tertius.

* Grot. *Lib. II. cap.* 17. §. 17.

(2) Nemo enim debet malitiæ ſuæ præmium conſequi. Jure quidem Civili datur Actio in quibusdam negotiis illi, qui alterum dolô induxit ad contrahendum §. 1. *Inſtit. de Exception. l.* 36. *ff. de Verb. Obl.* ſed fere absque effectu. Datur,

ultrò quidem, & liquida cum deſtinatione animi *ad paciſcendum acceſſerit*, (3) *in ipſo tamen negotio*, puta, circa (4) objectum, ejusve qualitates & æſtimationem, *dolus interceſſerit*; *hactenus pactum erit vitioſum, ut in arbitrio decepti ſit, illud penitus diſſolvere, aut læſionis penſationem exigere. Quæ ad eſſentiam negotii non faciunt*, nec expreſsè fuerunt deſignata, *actum* de cætero ritè conceptum *non vitiant*; licet fortè alter de iis, dum paciſcitur, tacitè cogitavit; aut ejus opinio aſtu fuit

tur, ut Judex alterum in Judicium vocet, & exceptionem audiat, quâ cognita Actio redditur inefficax, Breviter: *datur Actio, ſed non exactio*. Adeoque nihil iniqui hic ſubeſt.

(3) Multum igitur intereſt, an dolus *cauſam dederit* pacto vel contractui, ut in præcedenti, an verò tantum *incidens* fuerit & quaſi comes. *Priore* caſu ipſo Jure nullum eſt negotium (quo cum in Contractibus b. f. etiam Leges Romanæ conſpirant *l. 7. pr. ff. de dol. mal.*) *Poſteriore* vero per ſe ſubſiſtit, ut tamen electionem habeat læſus, de qua in Textu. Aliter hic LL. Romanæ, quibus *non niſi ad intereſſe* agere poteſt deceptus, *l. 13. pr. l. 17. pr. l. 18. pr. & §. 1. ff. de dol. mal.* Id quod propter adhibitam ab altero malitiam, quæ ſtabiliri utique non debebat, durius videri poſſit.

(4) Non ſi doloſe aliud pro alio veniat: quô factô multò magis hic obtineret, quod de ſimili caſu quoad errorem fuit dictum §. præcedente *Not. 11.* ſed ſi circa *qualitates Objecti* dolus commiſſus, adeo hæc verba: *circa Objectum & ejus qualitates* in ſenſu conjuncto, non diviſo, accipienda. Cæterum quoad *Qualitates* hic etiam probè diſtinguendum, an rei *Subſtantiales* ſint, an vero tantum

fuit confirmata, quousque contractus concluſus foret. (5)

§. XIV. *Metus*, qui circa promiſſa & pacta intervenit, *dupliciter* ſumitur, vel pro *ſuſpicione* probabili, fore, ut ab altero decipiamur, idque vel quia ejusmodi vitium in animo ipſius hæret, aut quia malignam ſuam voluntatem ſat perſpicuè ſignificavit: vel pro *vehementi animi terrore*, orto ex intentato gravi malo, ni promiſſum aut pactum inire velimus. Circa *priorem* ſpeciem metûs (1) ita habendum: 1. *Qui confidit illius promiſſis & pactis, cui fidei religio in univerſum nihil ſit, imprudenter* quidem *facit, ſed eam* ſolam *ob cauſam pactum non redditur irritum.* 2. *Ubi pactum jam ſit initum, ac nulla nova emergant indicia intentatæ deceptionis, non licebit à pacto reſilire*, ex obtentu vitio-

 rum,

tum *Accidentales.* Si dolus circa priores inciderit (v. gr. ſi quæ pro virgine ſe geſſerit, talis non ſit) promiſſum (& hoc in caſu matrimonium) eſt ipſo jure nullum. Secus ſi dolus, quoad poſteriores, ubi dicta Autòris locum habent.

(5) Ita enim læſus ſeipſum decepit, ut eleganter Ulpianus loquitur, *l.* 1. §. 6. *ff. quod falſò Tutore autore geſtum*, dum rem putavit meliorem, utiliorem &c. quàm deinde deprehendit.

§. XIV. (1) Quemadmodum etiam ſupra *c. V.* §. 15. dictum fuit, quod ſola illa ſuſpicio ex ingenii humani malitia oborta non ſufficiat ad pacem abrumpendam, & inter Gentes non pariat juſtam belli cauſam.

§. XV. (1)

rum, quæ antè pactum erant cognita. Nam quæ cauſa aliquem non prohibuit, quo minus paciſceretur, eadem quoque prohibere non debet, ne pactum impleat. 3. *Ubi poſt pactum initum* certiſſima *emergant indicia, alterum id agere, ut mihi, quando meum priore loco præſtitero, illudat, non prius ad præſtandum adigi poterò, quam contra eam deceptionem mihi cautum ſit.*

§. XV. Circa *alteram* ſpeciem metus hæ regulæ obſervandæ. 1. *Pacta, quæ ineuntur propter metum à tertio incuſſum, valida ſunt.* (1) Nam in hoc utique nullum reſidet vitium, quo minus jus ex pacto ſibi adverſus me adquirere queat; & metum ab altero intentatum diſcuſſiſſe, penſatione utique dignum eſt. 2. *Quæ pacta ex metu* aut reverentia *imperii legitimi ineuntur, aut ob auctoritatem eorum, quibus magnoperè devincti ſumus, valida ſunt.* (2) 3. *Pacta, ad quæ ab illo ipſo, cui promittit,*

§. XV. (1) Ex. gr. ſi cum aliquibus *paciſcor de metu* ab hoſtibus imminente diſpellendo. Huc pertinent Fœdera cum in fidem erecta. Imo etiam *Aſſecuratio* quodammodo huc referenda, de qua infr. *Cap. XV.* §. 13. Cæterum repete, quæ in præcedentibus de *Errore* & *Dolo*, quorum Tertius cauſa extitit, dicta fuerunt.

(2) Eſt hic metus *reverentialis*, & ratione inferentis *juſtus*, v. gr. quando filia, etiam invita & à patre coacta nubit; modo metus iſte ſit absque ſævitia. *l. 12. ff. de ſponſal. l. 22. ff. de rit. nuptiar.*

(3) Nihil

tit, aut quicum paciſcitur, injuſtâ ejusdem vi quis compellitur, invalida ſunt. (3) Nam injuria, quam alter, incuſſo metu injuſtô mihi infert, incapacem eum reddit, ut jus ſibi adverſus me ex illo actu quærere poſſit. Et cum quis aliàs teneatur penſare damnum abs ſeſe datum, per compenſationem velut tolli obligatio intelligitur, ſi non ſolvitur id, quod ſtatim reſtitui debebat.

§. XVI. Præterea oportet *conſenſum* non in pactis ſolum, ſed & promiſſis, eſſe *mutuum*; (1) ſic ut conſentire debeat non ſolùm qui promittit, ſed & cui promittitur. Quando enim hujus conſenſus abeſt, ſeu quando is oblatum promiſſum acceptare detrectaverit, res promiſſa penes promiſſorem manet. Nam qui alteri rem ſuam offert, neque invito eam vult impingere, neque

 pro

(3) Nihil conſenſui tàm contrarium eſt, quàm vis atque metus, *l. 116. ff. de verb. ſignifio.* Et quamvis Jure Civili ex promiſſo per metum extorto itidem detur Actio, §. 1. *Inſt. de Except.* res tamen æque ſe habet, ac cum *Actionibus* ex iis, quæ *Errore Doloq;* promiſſa fuerunt. Cæterum & Grotius putat, ex Metu promiſſis naſci Obligationem, *quia Conſenſus* adſit. *L. II. c.* 11. §. 7. *n.* 2. Enimvero quid de tali conſenſu habendum, jam conſtat ex dictis, *Cap. I.* §. 16. & 24. Eſt Conſenſus non liber, ſed coactus. Imò, quicquid ſit de conſenſu, ſufficit, quod qui metum incutit, ad coactum ejusmodi conſenſum impetrandum jus non habeat.

§. XVI. (1) Maxime ad effectum alienationis.

(2) Domi-

pro derelicta habere. Ergo ſi alter non acceptet, juri promittentis in rem oblatam nihil decedit. (2) Quod ſi rogatio anteceſſit, cenſebitur ea durare, niſi expreſſe fuerit revocata; eoque caſu in anteceſſum acceptatio facta intelligitur. Ita tamen ut rogationi reſpondeat oblatio. Nam ſi hæc diſcrepet, expreſſa requiritur acceptatio; quia ſæpè mihi non conſulitur, niſi tantundem, quantum rogavi, accepero. (3)

§. XVII. Circa *materiam* promiſſorum & pactorum requiritur, ut quod promittimus aut paciſcimur, non *ſit ſupra noſtras vires*, neve id patrare lege aliqua prohibeamur: (1) aliàs enim aut ſtolidè aut improbè promittimus. Exinde conſequitur, neminem ſeſe obligare poſſe ad id, quod ipſi eſt impoſſibile. Quod ſi autem res, quæ tempore pacti initi poſſibilis habebatur, poſt impoſſibilis aliquó caſu citra paciſcentis culpam facta ſit, re integrâ pactum erit nullum.

(2) Dominium ejus nihilominus manet, qui dominus eſſe non vult. *l.* 17. §. 1. *ff. de acquir. vel amitt. poſſeſſ. junct. l.* 20. *ex quib. cauſ. Majores.* Et illuſtrari hoc poteſt exemplo Ceſſionis, ubi Regula eſt: *Jus ceſſum, quatenus in Ceſſionarium non tranſit, manet apud cedentem.*

(3) Conf. §. 5. *Inſt. de Inutil. ſtipulation.*

§. XVII. (1) Id eſt, non ſit impoſſibile vel *phyſicè* vel *moraliter*. Conf. ſupra *C.* 1. §. 23. & de *Impoſſibilitate Morali* §. ſequentem *huj. Cap.* nec non de Conditionibus utroque modò talibus §. 20.

(2) V. gr.

lum. (2) Ubi quid præſtitum ab altero jam fuit, id reſtituendum, aut æquipollens reponendum. (3) Si, ne hoc quidem fieri poſſit, ſummus erit conatus adhibendus, ne alter detrimenti quid capiat. Nam in pactis primario reſpicimus ad id, de quo expreſsè fuit conventum; ubi hoc obtinere non poſſumus, ſufficit æquipollens exhiberi: ſaltem ne damnum ſentiamus omni modô cavendum eſt. Qui verò dolô aut gravi culpâ ſibi ipſi vires præſtandi detraxit, non ſolùm ad ſummum conatum tenetur, ſed &, velut in ſupplementi vicem, malo inſuper poterit mactari.

§. XIIX. Patet quoque ad *rem illicitam*

K 5 præ-

(2). V. gr. Si cui ædes locatæ, qui incendio pereunt, antequam Conductor inhabitet.

(3) In præſenti caſu, ubi locator in anteceſſum ſolverit mercedem. Et hoc quidem uti rectè ſe habet, ita Leges Romanæ in quibusdam aliter diſponunt. Ex. gr. in *Emtione venditione:* ubi domus vendita igne caſu conflagrarit, & adeo traditio ſit impoſſibilis, contractus non eſt nullus, ſed Emtor nihilominus ſolvere tenetur. *§. 3. Inſt. de Emt. vendit.* tantum abeſt, ut, ſi quid in anteceſſum ſolvit, idem is repetere poſſit. Quæritur an rectè? Et reſpondetur, quod ſic, etiam ex dictaminibus Juris Naturalis, quia nimirum (1) Hoc Jure, quô nudâ etiam conventione dominia tranſeunt, Emtor jam dominus eſt; res vero ſuo domino perit. (2) Quia, hoc ſuppoſitô, & emtione ſic perfecta omne commodum rei emtæ ad Emtorem pertinet. E. etiam damnum. Supponimus autem, venditorem non fuiſſe in mora tradendi, quô caſu periculum eſt moroſi, & præterea Emtori ad intereſſe tenetur.

§. XIIX.

præſtandam obligari nos non poſſe.(1) Nam nemo valide ſe poteſt obſtringere ulterius, quam ipſi eſt poteſtas. Aſt qui lege actionem prohibet, adimit utique poteſtatem eam ſuſcipiendi, & de eadem præſtanda obligationem admittendi. Contradictorium quippe eſt, ex obligatione per leges confirmata aliquid neceſſario debere facere; quod per easdem leges eſt omittendum. Unde *peccat* quidem, *qui illicità promittit*; *ſed bis peccat, qui eadem præſtat.* Ex quo & hoc colligitur, non ſervari debere promiſſa, quæ illi, cui fiunt, noxæ ſunt futura; cum Naturali Lege prohibitum ſit, ne quis alteri etiam ſtolidè volenti malum inferat. (2) Si igitur pactum circa rem turpem fuerit initum, neuter ad id explendum tenebitur. Quin & ubi turpe facinus ab uno fuit præſtitum, alter ad ſolvendam conventam mercedem non obligatur. (3) Quod tamen illo intuitu jam eſt datum, repeti nequit, (4) niſi forte

§. XIIX. (1) Si flagitii faciendi vel facti cauſa concepta ſit ſtipulatio, ab initio non valet, *l.* 123. *ff. de V. O.*

(2) Injuria quidem volenti non fit; v. gr. conſentienti in ſtuprum fœminæ; facinus tamen turpe, & morali æſtimatione per conſequens pro impoſſibili habendum eſt.

(3) Ut quidem Grotius putat. *L. II. c.* 2. §. 9. Nemo enim debet habere malitiæ præmium.

(4) Quia alleganda eſſet propria turpitudo; & in dubio ſemper melior eſt conditio poſsidentis, quin tamen à Magiſtratu repeti poſsit, & fiſco addici, dubium non habet.

(5) Sed

fortè dolus aut enormis læſio acceſſerit. (5)

§. XIX. Denique & hoc manifeſtum eſt, fruſtra promittere nos aut paciſci circa *res alienas*, in quantum illæ non noſtræ, ſed alterius directioni & arbitrio ſunt ſubjectæ. (1) Quod ſi autem ita promiſero: me operam daturum, ut alter (cui pro imperio me quid imperare non poſſe præſupponitur,) præſtet: tunc teneor omni modo moraliter poſſibili (i.e. quantum alter honeſtè à me poſtulare poteſt, & quantum vitæ civilis ratio fert) laborare, ut ad eandem præſtandam alter permoveatur. (2) Sed & ſuper *rebus aut actionibus noſtris*, in quas jam alteri jus fuit quæſitum, (3) tertio valide promittere non poſſum, niſi fortè in eum caſum, quô alterius jus expiraverit. (4) Nam qui prioribus promiſſis

(5) Sed & hoc in caſu alleganda propria turpitudo, &, ſi per Magiſtratum læſus id repetere vellet, recideret in fiſcum.

§. XIX. (1) Regulariter rerum & factorum alienorum nulla promiſſio, quia nemo ex Contractu alterius obligatur. *l.* 3. *C. ne Uxor pro Marit.* & de ſe quemque, non de alio promittere oportet. *l.* 83. *pr. ff. de V. O.*

(2) Talis enim Promiſſio non tàm factum alienum, quàm proprium continet. §. 3. *Inſt. de Inutil. ſtipulat.*

(3) In *rebus* noſtris per jus Pignoris aut hypothecæ; in *actionibus* noſtris v. gr. ſi cui fidem vel operas noſtras addiximus.

(4) Imô nec hoc licet, ubi priori pacto ſingularis ineſt Sanctitas, de cujus mutatione cogitare impium. Sic conjugi non

miſſis aut pactis jus ſuum in alterum jam tranſtulit, ipſe utique nullum tale jus reliquum amplius habet, quod in tertium poſſit conferre. Ac nullô negotiô omnia promiſſa & pacta poſſent fieri irrita, ſi liceret aliud inire, in quo contraria priori diſponerentur, ac qui cum prius ſimul expleri nequit. In quo fundatur tritum illud: qui *prior tempore, potior jure.*

§. XX. Eſt præterea circa promiſſa potiſſimum obſervandum, illa concipi ſolere vel *purè & abſolutè*, vel ſub *conditione*, ut ſcilicet validitas promiſſionis conferatur in aliquem eventum, à caſu aut arbitrio humano pendentem. (1) Sunt autem *conditiones* vel *poſſibiles* vel *impoſſibiles*. Illæ ſubdividuntur in *caſuales*, ſeu *fortuitas*, quæ ut exiſtant penes nos non eſt: (2) *poteſtativas* ſeu arbitrarias, quæ ut exiſtant, vel non exiſtant, penes eum eſt, cui promittitur: (3) & *mixtas*, quarum impletio partim ab arbitrio

ejus,

non licet vivente conjuge cum alia ſponſalia celebrare. Sic ſubditis non licet Homagium eventuale præſtare alii Principi, ſine conſenſu iſtius, cui hactenus ſubjectus.

§. XX. (1) Huc quoque ſpectat *Stipulatio in diem* ex Jure Romano, v. gr. *decem aureos Calendis Martiis dare ſpondes?* ubi obligatio eſt pura, & promiſſum ſtatim debetur; ſed ante non poteſt exigi quam dies venerit. §. 2. *Inſt. de V. O.*

(2) v. gr. Si cras pluet.

(3) v. gr. Si hodiè domi manſeris.

(4) v. gr.

ejus, in quem confertur; partim à caſu dependet. (4) *Impoſſibiles* autem ſunt vel *phyſicè* tales vel *moraliter*; (5) i.e. quædam per rerum naturam fieri à nobis non poſſunt; quædam per leges & honeſtatem fieri non debent. Et impoſſibiles quidem conditiones, ſi *naturalem* interpretandi ſimplicitatem ſequamur, orationem promittentem faciunt negativam: etſi per leges fieri poſſit, ut, ſi adjectæ ſint negotio alicui ſerio, habeantur pro non adjectis, ne per actus nullum eventum ſortituros hominibus illudatur. (6)

§. XXI. Denique promittimus & paciſcimur non ſolùm per nosmetipſos, ſed etiam aliorum hominum interventu, quos ipſi voluntatis noſtræ *internuncios* atque interpretes conſtituimus. Per quos, ubi bonâ fide egerint, quod à nobis in mandatis habebant, validè obligamur apud eos, qui cum iſtis velut noſtras vices gerentibus egerunt.

§ XXII.

(4) v. gr. Si hanc vel illam uxorem duxeris.

(5) Addunt alii tertiam ſpeciem, ſcil. *facto* tales, v. gr. Si pauper in modicâ hæreditate Hæres inſtituatur eâ lege, ubi aliis pauperibus tot vel tot millia dederit. Verùm poteſt hæc ad conditionem *naturaliter impoſſibilem* ſatis commodè referri.

(6) Ita notiſſimum eſt, velle leges Romanas, ut, licet ſub Impoſſibili conditione alicui vel hæreditas, vel legatum relinquatur; is nihilominus hæreditatem legataque conſequatur, & conditio habeatur pro non adjecta. §. 10. *Inſt. de Hæred. inſtituend. l. 1. 6. & 20. de Condit. Inſtit.*

§. XXII. Atque hæc ſunt Officia hominis abſoluta, ut & per quæ velut tranſitus ad alia fit. Reliqua præſupponunt aliquod *Inſtitutum* humanum generali pacto ſubnixum, & in genus humanum introductum; vel etiam *Statum* aliquem peculiarem. Inſtitutorum iſtorum deprehenduntur potiſſimùm *tria*: *Sermo, Dominium rerum* earundemque *Pretium & Imperium humanum.* De ſingulis, ut & quæ inde reſultant, Officiis deinceps exponendum.

CAPUT X.

DE

OFFICIIS SERMOCINANTIUM.

1. Præceptum generale, *de innoxio ſermonis uſu ſervando.*
2. Declaratur per præceptum ſpeciale *primum* de ſermone juxta uſum communem formando, ut alter intelligere poſſit.
3. Per ſpeciale *ſecundum*, de ſermone ad animi ſenſus exprimendos accommodando, ne alter decipiatur.
4. *Limitatio* horum præceptorum in *Diſſimulatione.*
5. In *Simulatione.*
6. In *Fictione.*
7. Quid ſit *Veritas?*
8. Quid *mendacium?*
9. Differentia inter hoc & ſermones fictos.
10. Variæ mendaciorum ſpecies.

§. I.

§. I.

Quam utile ac plane neceſſarium ſit inſtrumentum ſocietatis humanæ ſermo, (1) nemo eſt qui ignorat: cum multi vel ex eâ ſolâ facultate collegerint, hominem ad agendam vitam ſocialem à natura deſtinatum. Circa hujus ergò legitimum & Societati humanæ proficuum uſum id Officii Lex Naturalis hominibus dictitat: *ut ne quis ſermone, aut aliis ſignis* (2) *ad exprimenda animi ſenſa inſtitutis, alterum decipiat.*

§. II. Sed ut indoles ſermonis penitius intelligatur, ſciendum eſt, circa ſermonem, voce viva aut literis expreſſum, *duplicem obligatio-*

§. I. (1) Sermo an ſit *inſtitutum* hominum indè dubitari poſſit, quod (1) ex ſacra Hiſtoria conſtat. Deum varietatem Linguarum introduxiſſe, *Gen. XI*, 7. (2) Facultas loquendi eſt naturalis. Undè novum dubium, an ſcilicet Officia Sermocinantium ex Pacto naſcantur? Nam ſi ſermo eſt à naturâ, videtur ſequi, quod ſit inſtitutum hominum Pacto ſubnixum. Sed reſpondetur ad (1) A *Confuſione* Linguæ univerſalis ad *infuſionem* novarum non valere Conſequentiam. Imò, quicquid hujus ſit, ab Hiſtoria S. hic abſtrahimus. Ad (2) diſtinguendum eſt inter facultatem loquendi ſeu *loquelam*, & inter Linguam ſeu ſermonem. Illa à natura eſt, non hic. Id quod inde patet, quia vernaculam Linguam uſu, cæteras magna demum cum moleſtia addiſcimus.

(2) Literis ſcilicet atque nutibus. De locutione per ſigna, quibus Monachi certorum Ordinum utuntur, vid. Edmund Martenè, *de antiquis Monachorum ritibus*, *Tom. II. l.* 5. *c.* 18. *p.* 881.

§. II.

gationem occurrere. *Una* eſt, *quâ iſti, qui eadem linguâ utuntur, certæ rei certum vocabulum, prout uſus cujusque linguæ fert, adplicare tenentur.* (1) Cum enim neque voces, neque certi literarum ductus, certam rem naturâ notent: (aliàs enim omnes linguæ aut ſcripturæ genera coincidere deberent (2); inde, ne uſus linguæ foret inanis, ſi quisque, quô vellet, vocabulo quamlibet rem nuncuparet; neceſſum eſt inter eos, qui eadem lingua utuntur, tacitam interceſſiſſe conventionem, (3) ut certam rem certò, & non alio vocabulo denotent. Ni enim in uniformem vocum adplica-

§. II. (1) Poſſet etiam ita exprimi: *Signa, prout recepta: ita quoque rebus & animi ſenſibus exprimendis adplicari debent;* inde v. gr. *menſam* non licet vocare *fornacem*, & vice verſa. Orirerur enim inde confuſio ſocialitati & linguarum fini adverſa.

(2) Quia natura rerum eſt conſtans & ſemper eadem. Quodſi igitur quælibet res nativum ſuum & neceſſarium ſignum haberet, ſequeretur, ut illa variare non posſint; niſi dicere velis: quamlibet rem tot habere nativa ſigna, quot ſunt Linguæ. Sed quid hoc eſſet aliud, quàm Chamæleontis indolem rebus omnibus tribuere.

(3) Quodſi hiſtoriam certam Ortus & Proceſſus Linguarum haberemus, appareret ſanè, primos Linguæ cujusvis Conditores expreſſâ Conventione vocabula recepiſſe. Qui enim aliter id fieri potuit? Et quî hodiè aliter nova Lingua introduci poſſet? Tacitè deinceps, qui iſtis acceſſerunt, conſenſiſſe cenſendi ſunt in eam conventionem; ſicut etiam liberi tacitè conſentiunt in homagium à Parentibus & anteceſſoribus præſtitum.

(4) De

plicationem fuerit conſpiratum, impoſſibile eſſet, ex ſermone alterius ſenſa animi colligere. Unde vi iſtius pacti quilibet tenetur ita adhibere in ſermone communi vocabula, prout receptus ejus linguæ uſus fert. Ex quo etiam hoc conſequitur, ut quanquam ſenſa animi à ſermone diſcrepare queant, id tamen in vita humana quisque voluiſſe cenſeatur, quod verba ejus præ ſe ferunt, etſi fortaſſe intrinſeca mentis deſtinatio ab iſtis diſcedat. (4) De hoc enim cum niſi per ſigna conſtare nequeat, omnis uſus ſermonis redderetur irritus, ſi interna animi cogitatio, quam ſibi quisque pro lubitu fingere poſſet, id, quod ſigna præ ſe ferunt, in communi vita elidere poſſet.

§. III. *Altera* obligatio, quæ in ſermone intervenit, in eo conſiſtit, ut (1) *quis alicui per ſermonem animi ſui ſenſa ita debeat pandere, ut hæc ex illo liquidò cognoſcere queat.* Cum enim non loqui tantum, ſed ta-

 cere

(4) De factô ſcilicet, & contra Officium, puta per ſimulationem, diſſimulationem, quatenus eæ inofficioſæ, & aliis modis, de quibus §. *ſeq.*

§. III. (1) Diſtinctius ita: *ut quis* (1) *alteri, quando ad id jus habet, perfectum vel imperfectum, per ſermonem animi ſenſa pandat;* & (2) *ita quidem pandat, ut alter hæc ex illo liquidò cognoſcere queat.* Poſſet etiam ſic exprimi Regula: *Signa adhibenda ſunt, quoties id officium requirit; & ita quidem adhibenda ſunt, ut ab animi ſenſibus ea non diſcrepent.*

(1) Ex

cere homo queat; & *cum* non ſemper, quod quis in animo volvit, id coram quibusvis aperire teneatur: igitur neceſſum eſt, ut peculiaris exiſtat obligatio, quæ alicui neceſſitatem adferat tùm ad loquendum, tùm ad ita loquendum, ut alter ſenſa animi noſtri intelligat. Oritur autem illa obligatio vel *ex peculiari pacto*, vel *ex communi præcepto Legis Naturalis*, vel *ex præſentis negotii indole*, cui contrahendo ſermo adhibetur. Sæpè enim *expreſſè* cum aliquo *convenitur*, ut quis animi ſui ſenſa ſuper aliquo negotio mihi aperiat; ut, ſi quem informatorem mihi in aliqua diſciplina adſciſcam. Sæpe quoque *præceptum aliquod Legis Naturalis* meam ſcientiam alteri communicare jubet, (2) ut hôc modô ipſi proſim, vel noxam ab eodem avertam, aut ad noxam accipiendam cauſam vel occaſionem non præbeam. Aliquando denique *præſens negotium*, quod cum alio ſuſceptum eſt, aliter expediri nequit, ni judicium meum ſuper eo pandam; ut circa celebrandos Contractus contingit.

§. IV. Quia autem non ſemper uſu venit, ut ex aliquo horum capitum quævis cogitata mea

(2) Exempla vide ſupra *Cap. IIX.* §. 4. ubi inter Officia humanitatis referebatur: *Conſilium fidele deliberanti dare: erranti comiter monſtrare viam.*

§. IV.

mea alteri ſint ſignificanda; (1) patet, me non teneri, alteri ſermone meô indicare alia, quàm ad quæ ex me intelligenda *jus perfectum* (2) *aut imperfectum* (3) *habet.* Adeoque rectè tacendo *diſſimulare* (4) me poſſe, utut maximè interroger, quæ, ut ex me ſciat, alter jus non habet, neque ad id aliqua obligatione ego teneor.

§. V. Imo quia ſermo *non ſolum* eſt inventus *propter alios*, *ſed & propter nos ipſos*: Ideo ubi aliqua mea in eo verſatur utilitas, neque cujusquam alterius jus læditur, licebit mihi ſermonem ita formare, ut diverſum ab eo, quod in animo volvo, exprimat. (1)

§. VI. Denique quia ſæpe iſti, ad quos loquimur, ita ſunt diſpoſiti, ut ſi ſermone

L 2 ſimpli-

§. IV. (1) Regulæ igitur adhuc propoſitæ non ſtringunt, quando in nobis obligatio, in aliis jus quoad iſta ſigna deficit.

(2) Id eſt, *ex pacto vel lege.*

(3) Id eſt, *ex humanitate.*

(4) Diſſimulamus, *quæ ſunt*, & reticemus. Inde patet, Diſſimulationem dari honeſtam, imo Officii aliquando eſſe, ut diſſimulemus; & hoc ſenſu accipiendum Friderici Barbaroſſæ ſymbolum: *qui neſcit diſſimulare, neſcit imperare.* Inepti enim ad imperandum ſunt, qui nihil in ſecretis habere poſſunt: *pleni rimarum, hinc inde diffluunt*, ut Comicus ait.

§. V. (1) Breviter: Simulare licet; imo ſæpè decet. Simulamus autem, *quæ non ſunt.* Quamvis in omni ſimulatione per Conſequens etiam lateat aliqua Diſſimulatio.

§. VI.

ſimplici & aperto rem ipſam perciperent, detrimento hoc ipſis futurum eſſet, nec nobis bonum, quem intendimus, finem adſequi liceret: igitur hiſce in caſibus licebit uti ficto coloratoque ſermone, (1) & qui noſtram ſententiam & intentionem audientibus directè non repræſentet. Nam qui alicui prodeſſe vult & debet, non utique id tenetur facere eô modô, quô finem ſuum non erat obtenturus.

§. VII. Ex hiſce colligitur, in quonam conſiſtat *Veritas*, cujus ſtudiô bòni viri tantopere commendantur: nempè ut verba animi noſtri ſenſa commodè repræſentent alteri, cui eadem intelligendi jus, quæque ut ipſi aperiamus, nobis obligatio perfecta aut imperfecta incumbit, idque eô fine, ut vel idem ex intellectis animi noſtri ſenſis debitum aliquod commodum nanciſcatur, vel non, ubi diverſum fuerit ſignificatum, damnô præter meritum multetur. (1) Ex quo & hoc obiter patet, non ſemper mendacium ad-

§. VI. (1) *Ficti ſermones* à ſimulatione tanquam *medium* à cauſa differunt, ſimulans enim his utitur. Eſt tamen inter argumentum hujus & præcedentis §phi adhuc id diſcriminis, quod in illo de ſimulatione, quatenus nobis utilis; in hoc vero, quatenus aliis proficua eſſe poteſt, agitur.

§. VII. (1) Breviter: *Veritas moralis* conſiſtit in convenientia Verborum cum rebus & ſenſibus animi ex officio manifeſtandis.

(2) Adde:

admitti, quando etiam datâ operâ non dicitur, quod vel cum ipſa re, vel cum cogitatis noſtris ad amuſſim congruit: adeoque *Veritatem* quaſi *Logicam*, quæ in congruentiâ verborum cum rebus (2) conſiſtit, cum Veritate morali non ſemper per omnia coincidere. (3)

§. IIX. *Mendacium* contra eſt, ubi de induſtria ſermo aliam præ ſe fert ſententiam animi noſtri, quam quæ revera eſt, cum tamen hanc ipſam is, ad quem ſermo dirigitur, intelligendi jus haberet, nobisque obligatio incumberet efficiendi, ut ille noſtram ſententiam utique intelligeret. (1)

§. IX. Ex dictis igitur conſtat, (1) *mendacii notam* haut quidquam contrahere, * qui fictis ſermonibus fabulisque utuntur ad-

(2) Adde: & animi ſenſis.

(3) Nam, qui v. gr. ſecreta non manifeſtanda propalat, qui obſcœna, quæ ſcit, effutit, is *Veritatem* quidem *Logicam* dicit; ſed, dum contra Officium facit, cum *morali* ea coincidere, vel pro legitima haberi non poteſt.

§. IIX. (1) Breviter: *Mendacium* conſiſtit in disconvenientia verborum cum rebus animique ſenſis ex Officio manifeſtandis. Indè facilè patet, *omne Mendacium*, dum eſt Officio contrarium, *eſſe doloſum*, & nullam eſſe vulgarem diſtinctionem Mendacii in *Officioſum*, *jocoſum* & *pernicioſum*. Nam duæ priores ſpecies ad *ſimulationes* vel *Falſiloquia* referendæ ſunt. Omne mendacium eſt falſiloquium, ſed non contra.

§. IX. (1) Totus fere hic paragraphus facit ad illuſtrationem præcedentis VI.

* *Confer* Grot. *Lib. III. cap.* 1. *§. 9. ſeqq.*

§. X (1)

verſus pueros aut ſimiles, ad eorum meliorem informationem, quatenus nudæ veritatis non ſunt capaces. Et qui alii fictum ſermonem bonô fine adhibent, quem planô adſequi non licebit; puta, ſi innocens protegendus, iratus placandus, mœſtus demulcendus, meticuloſo animus addendus, faſtidioſus ad medicamenta capienda movendus, pertinacia alicujus frangenda, aut malum propoſitum alterius intervertendum, aut ſi arcana Reipublicæ & conſilia, quæ intereſt aliorum notitiæ ſubtrahi, fictis rumoribus velut obvelanda, & aliorum importuna curioſitas ſit amolienda; aut ſi hoſti, quem aperta ratione lædere poteramus, fabulis in ſtratagematis vicem illudamus.

§. X. Contra ſi aliquis utique tenebatur, alteri ſenſa animi ſui liquido ſignificare, culpam non effugit, ſi vel partem duntaxat veri dicat, aut ambiguô ſermone alteri illudat, (1) aut tacitam quandam reſtrictionem à communi uſu abhorrentem, in mente reſervet. (2)

§. X. (1) Id, quod in Oraculis Gentilium factum.

(2) Damnandæ hinc *Reſervationes mentales*, quarum hiſtoria plena eſt; damnandæ multo magis deceptiones, quæ *mutatione literarum* tam in negotiis privatorum, quâm Illuſtrium ſubinde tentatæ. Cogitandum hic de eo, quod Philippo Magnanimo, Haſſiæ Principi contigit, cui, cum promiſſum fuerit, daß er ohne einige Gefängniß ſolte des Käyſers Gnade erlangen; fides non ſerva-

vata, ſed improbâ Miniſtri manu in locum **einige** vox **ewige** ſubtili literarum ductu ſubſtituta fuit.

CAPUT XI.
DE
OFFICIO JURANTIUM.

§. 1. Juramenti *Definitio*, & *præceptum generale*.
§. 2. Juramentorum *finis* & uſus.
§. 3. *Forma*; Jurandum eſt per DEUM.
§. 4. Juramentum ad religionem jurantis attemperandum.
§. 5. Debet jurari animo deliberato.
§. 6. *Effectus* juramentorum ratione ſui.
§. 7 Intuitu jurantis.
§. 8. *Interpretatio* juramentorum;
§. 9. Ex deferentis mente facienda.
§. 10. *Diviſio* Juramentorum.

§. I.

PEr *Jusjurandum* ſermoni noſtro, (1) omnibusque actibus, circa quos ſermo intervenit, inſigne accedere firmamentum judicatur. * Eſt quippe illud *aſſertio religioſa, quâ divinæ miſericordiæ renunciamus, aut divinam pœnam in nos depoſcimus, niſi verum dicamus.*

L 4

§. I. (1) Connectitur hoc Caput cum præcedente ita, dum Juramenta etiam ad ſermonem referuntur; non quidem ſimplicem, ſed ſuô modô *qualificatum*.
* *Pertinet huc integrum cap.* 13. *ex Lib. II.* Grot.

(2) Quia

mus. Dum autem omniſcius & omnipotens teſtis ſimul & vindex invocatur, præſumtio veritatis ideo excitatur, quod nemo temerè tam impius credatur, ut ita petulanter graviſſimam Numinis indignationem in ſe depoſcere ſit auſurus. Inde Officium jurantium hoc eſſe intelligitur, *ut & ad jurandum cum reverentia accedant*, (2) *&*, *quod juratum eſt, religioſe obſervent.* (3)

§. II. *Finis* porrò & *uſus juramenti* in hoc maxime vertitur, ut homines ad enunciandum verum, (1) aut ſervandum promiſſum pactumve, (2) eò firmius adſtringantur metu divini Numinis omniſcii & omnipotentis, cujus vindictam, ſi ſcientes fallant, per jusjurandum in ſe invocant, ubi aliàs metus ab hominibus imminens non ſatis efficax videbatur; quippe quorum vires contemnere aut declinare, vel ſcientiam fallere ſe poſſe ſperabant.

§. III. Quia verò præter Numen nihil eſt omniſcium, aut omnipotens, inde abſurdè juramentum concipitur *per rem* aliquam, *quæ opinione Divinitatis deſtituitur*, hoc ſenſu, ut ea res teſtis atque ultrix perjurii invocetur. Etſi hoc frequens ſit, ut in juramentis

(2) Quia *DEUS teſtis* invocatur.
(3) Quia *DEUS vindex* invocatur.
§. II. (1) In juramentis *aſſertoriis*, vid. §. *ult.*
(2) In *promiſſoriis*, *ibid.*

ramentis *certa res nominetur*, *per quam juretur*, (1) hoc ſenſu, ut DEUS, ſi jurans fefellerit, vindictam ſuam in iſtam potiſſimùm rem exſerat, tanquam juranti cariſſimam, & maximi æſtimatam.

§. IV. In juramentis *formula* illa, quâ DEUS, dum teſtis & vindex invocatur, deſcribitur, *accommodanda eſt ad perſuaſionem*, ſeu religionem, quam circa DEUM fovet, *qui jurat*. Fruſtra quippe jurando quis adigitur per DEUM, quem non credit, adeoque nec metuit. (1) At nemo per DEUM jurare ſe putat aliâ ſub formula, aut alio ſub nomine, quam quod ſuæ, i. e. ex opinione jurantis veræ religionis præceptis continetur. (2) Inde quoque eſt, quod, qui *per falſos Deos* jurat, quos ipſe tamen pro veris habet, utique obligetur, & ſi fefellerit, reverà perjurium admittat. Quia ſub quocunque ſpeciali conceptu generalem Numinis notionem ante oculos habuit; adeoque, dum ſciens pejeravit, divinæ ma-

 jeſtatis

§. III. (1) Ita Romani per *ſalutem Principis*; Judæi per *Templum*, alii per aliud jurare ſueverunt. Vid. Prideaux, *Marmor. Oxonienſ. p.* 11. *ſeq. p.* 42. *ſeq.*

§. IV. (1) Non enim credit, ſe ſtringi in conſcientia.

(2) Indè Judæi hodie non aliter, quam *per Adonai*, i. e. *Deum Abrahami*, *Iſaaci & Jacobi jurant*. Vide tamen Juden-Eyd / in der Erneuerten Camer-Gerichts-Ordnung / de A. 1538.

(3) Imò

jeſtatis reverentiam, quantum in ſe, violavit. (3)

§. V. Ad juramenti obligationem requiritur ut *animo deliberato* id ſuſceptum ſit. Unde juramento haut quidquam obſtrictus erit, qui ſimpliciter juramentum *recitando* protulerit, aut ejusdem verba concepta in prima perſona alteri prædixerit. Aſt qui ſpeciem ſeriò juraturi præ ſe tulit, is utique obligabitur, quicquid demum in animo ſuo, dum jurat, agitaverit. Nam aliàs omnis uſus juramentorum, imo omnis ratio intervenientibus ſignis ſeſe obligandi ex humana vita tolleretur, ſi quis tacitâ ſuâ intentione poſſet impedire, ne effectus ille actum aliquem ſequatur, cui producendo idem eſt inſtitutus. (1)

§. VI. Juramenta in ſe non producunt novam & peculiarem obligationem; ſed obligationi in ſe validæ velut *acceſſorium quoddam vinculum* ſuperveniunt. (1) Sem-

(3) Imò agit ex Conſcientia erronea, quæ quoad effectum obligationis cum rectâ convenit, quamdiu quis in eô errore hæret; adeoque *Error* etiam hoc ſenſu *jus facit.* Eleganter Grotius: *Qualiacunque, quæ putantur, Numina pejerata à vero Numine vindicantur. L. II. J. B. & P. c.* 20. §. *ult. n.* 2.

§. V. (1) Cum *reſervationes mentales* ſint contra Officia ſermocinantium generaliter, per dicta §. *X. Cap. præcedent.* Igitur multo magis repugnant Officiis jurantium.

§. VI. (1) Vulgo dicitur: *Juramentum eſſe actum non obligatorium, ſed provocatorium.* (2) *In-*

Semper enim, dum juramus, ſupponimus aliquid, quô non præſtitô divinam pœnam in nos provocamus. (2) Quod ineptum eſſet, niſi illicitum foret non præſtare id, (3) quod ſupponitur; adeoque niſi jam antea obligaremur. Ex quo ſequitur, quod actus, quibus in ſe vitium adhæret obligationem impediens, per juramentum accedens obligatorii non fiant. (4) Sicuti nec per ſubſequens juramentum antegreſſa obligatio valida eliditur, aut jus per eandem quæſitum alteri tollitur. Inde fruſtra quis juraverit, ſeſe alteri debitum non ſoluturum. Nec obligabit juramentum, ubi conſtat, eum qui juravit,

(2) *Inquis:* Id quidem in moraliter neceſſariis ita ſe habet: dantur tamen etiam Caſus, ubi quis indifferentia jurejurando confirmat. Ex. gr. in liberis promiſſionibus, votisque, ubi quis promittit, & jurat illa, quæ poterat etiam non promittere. *Reſpondeo:* non eſt hic ſermo de Objecto promiſſionis, quod utique vel neceſſarium vel indifferens eſſe poteſt; ſed per *ſuppoſitum* intelligitur actus factæ promiſſionis. Suppoſito enim, quod promiſſum quid ſit, pœnæ divinæ reus eſſet promiſſor, ſi fidem datam falleret.

(3) Id eſt: ſi licitum eſſet, omittere id negotium, vel non adimplere.

(4) Non enim debent juramenta fieri vincula iniquitatis. Ex. gr. in Tranſactione, tametſi quis beneficio *l. 2. C. de de reſcind. emt. vendit.* juratò renunciaverit, poteſt tamen eô uti, ubi enormiſſima & cum dolo conjuncta læſio apparuerit. Covarruv. *in c. quamvis, de Pactis, in Sext. Part.* 3.

(5) Con-

vit, factum aliquod ſuppoſuiſſe,(5) quod reverà ita ſe non habebat, ac, niſi id crediſſet, non fuiſſe juraturum; inprimis ubi per dolum ejus, cui juratur, in errorem fuerit adductus. Nec, qui injuſtó (6) metu me ad jurandum adigit, ex eo juramento jus ſibi acquirit ad aliquid à me rectè poſtulandum.(7)* Nullas quoque habebit vires jusjurandum, ſuper præſtanda re quapiam illicita; imo & ſuper omittendo aliquo bono, quod legibus divinis aut humanis præcipitur. Denique Juramentum non immutat naturam & ſubſtantiam promiſſi pactive, cui accedit. Inde fruſtra jurantur impoſſibilia. Et promiſſio conditionata per juramentum non mutatur in

(5) Concedo, ſi ſuppoſuit *expreſſe*, & per modum conditionis; obligat tamen, ubi *tacitè* ſuppoſuit; niſi ipſe ille, cui juratur, doloſè juramentum elicuerit. Vid. dicta §. *XII. Cap. IX.* Aliud tamen dicendum eſt, ſi id, quod tacitè etiam ſupponitur, fuerit *de ſubſtantia* negotii, cujus defectus reddit id ipſo jure nullum, v. gr. promittit quis fœminæ ſe pro virgine gerenti matrimonium jurato; deinceps vero alia ea deprehenditur. Conf. *Regul. III. dicti* §. *XII. Cap. IX.*

(6) Tali ſcilicet ratione inferentis, aliàs ratione patientis *juſtus* eſſe debet, in vehementi animi terrore conſiſtens, non vanus & levis. Conf. *Cap. I.* §. 16. 24. *Cap. IX.* §. 15.

(7) Diſſentit Grotius, *L. II. c.* 13. §. 14. *& ſeqq. Etſi*, inquit, *perſonæ jus deficiat, cum DEO tamen negotium eſt.* Quaſi vero Deus ejusmodi facinori faveat, vel nominis ſui cum abuſu concedi velit, ut juramenta fiant vincula iniquitatis.

* Grot. *Lib. III. cap.* 19. §. 5.

(8) Quod

in abſolutam, ſeu puram. (8) Et æque in jurato promiſſo requiritur acceptatio.

§. VII. Hoc autem efficiunt juramenta propter interpoſitam DEI invocationem, quem neque aſtu quis deceperit, & cui nemo impune illuſerit, ut non ſolum *atrocior pœna* cenſeatur manere eum, qui juratam, quam qui injuratam fidem fefellit; ſed & ut à negotiis, quibus adjiciuntur, omnis dolus & *cavillatio* ſit excludenda.

§. IIX. Non tamen ſemper late, (1) *ſed & ſtrictè quandoque* juramenta ſunt interpretanda, ſiquidem ſubjecta materia id requirere videatur; puta ſi juratum ſit in odium alterius,

(8) Quod Juramentum non immutet naturam & ſubſtantiam negotii, cui accedit, oſtendunt Caſus, in toto hoc paragtapho propoſiti. De *Teſtamento* hic quæritur, quia ultimæ voluntates ex ſuâ indole ſunt usque ad mortem ambulatoriæ, *an, ſi quis prius jurejurando firmavit, nihilominus per novum id abolere poſſit?* Communiter reſpondent affirmativè. Diſtinguendum puto, quâ intentione Clauſula juratoria addita: ea ſi verè *bona* fuerit, præferenda utique ſententia Canoniſtarum, *c. quamvis* 2. *de pactis, in ſext. c. cum contingat X. de Jurejurand.* & non mutandæ tabulæ; ſin *mala*, v. gr. ſi in odium alicujus ultima voluntas præter cauſam inique condita, mutanda, non quidem ob rationem Juris Civilis; ſed propter rationem Juris Naturalis, quia Juramenta non debent eſſe vincula iniquitatis.

§. IIX. (1) Regulariter in illius favorem, cui juratur, interpretari decet juramenta, ut plenum effectum conſequantur; ſed habet tamen & id ſuum modum finemque, ut in textu traditur.

(2) Sic

terius,(2) & non tam promiſſioni, quam minis, juramentum ſit adjectum. (3) Quin nec juramentum excludit tacitas conditiones & limitationes, quæ ex ipſa rei natura rite fluunt. Puta, ſi alicui, quidquid velit, petenti optionem jurato conceſſi, ubi iſte iniqua aut abſurda petierit haut quidquam tenebor. (4) Qui enim aliquid indefinite alteri roganti promittit, antequam noverit, quid iſte ſit petiturus, præſupponit, alterum petiturum honeſta, moraliter poſſibilia, non ſibi aut aliis pernicioſa.

§. IX. Id quoque notandum *in Juramentis ſenſum totius orationis valere, prout capere ſe illum profitetur is, qui juramentum defert*, ſeu cui juratur. (1) Hujus enim præcipuè, non jurantis causâ, juramentum præſtatur. Unde ejusdem quoque eſt, concipere verba juramenti, & quidem, quantum fieri

(2) Sic *Jud. XXI*, 1. Iſraelitæ juraverant, ſe filias non daturos in matrimonium Benjamitis. Dabant tamen conſilium, ut Benjamitæ raperent, rapique eas patiebantur. *Ibid.* ℣. 20.

(3) Talia enim Juramenta ferè ex præcipitantia vel fervore quodam procedunt, ubi æquitas, quam maximè temperamentum requirit, ut in illo Poëtæ: *Hos ego! ſed motos præſtat componere fluctus.*

(4) Cogitandum hic de voto Jephtes *Judic. XI.* de promiſſione Herodis, ſaltanti Herodiadis filiæ factâ. *Matth. XIV.*

§. IX. (1) Juramenti formula quidem concipienda ad mentem jurantis; ſed jurandum eſt ad mentem illius, qui defert, vel in cujus gratiam juratur.

§. X. (1)

fieri poteſt, planiſſime; ſic ut ipſe ſignificet, quomodo illa intelligat, & jurans annuat, ſe iſtius ſenſum probè percipere; eaque mox ab hoc liquidò ſunt exprimenda, ſic ut nullâ ratione eadem cavillari, & eludere queat.

§. X. *Diviſio* juramentorum commode deſumitur *ab uſu*, cui illa in vita communi adhibentur. Quædam enim promiſſis pactisque adduntur, ut eo majore cum religione obſerventur: (1) quædam autem adhibentur ad confirmandam alicujus aſſertionem (2) circa factum illiquidum, & ubi veritas aliis rationibus commodius inveſtigari nequit. Quale igitur à teſtibus, ſive qui alieni facti conſcii habentur. Quandoque etiam ipſi, qui inter ſe diſceptant, deferente judice, aut altera parte, ſuo juramento litem ſolvunt.

§. X. (1) Dicuntur inde *promiſſoria*; & huc referuntur (1) Homagium, (2) Juramentum fidelitatis. (3) Renunciatoria (4) Calumniæ & malitiæ, quatenus præſens & futurum reſpiciunt, &c.

(2) Dicuntur indè *Aſſertoria* & ſunt, quæ vel (1) ſuper alieno negotio præſtantur, *Teſtium*; vel (2) ſuper proprio. tam extra Judicium; nimirum *Voluntarium*; quam in Judicio, ubi porro aut Judex defert, & eſt tale juramentum *neceſſarium*; idque quâ purgatorium, quâ ſuppletorium; aut defert pars parti & dicitur *Judiciale* in ſpecie. Spectat etiam ad hanc Claſſem *Juramentum perhorreſcentiæ, in Litem*, & ſi qua ſunt hujus generis alia.

CAPUT

CAPUT XII.

DE

OFFICIO CIRCA ADQUIRENDUM RERUM DOMINIUM.

1. Fundamenta Juris hominum in res.
2. Communionem primævam ſecuta fuit Rerum diviſio.
3. Indeque introducta dominia tàm privata quàm communia.
4. Quædam res intra primævam communionem perſtitere.
5. Modi acquirendi *Originarii.*
6. Quo ſpectat Occupatio.
7. Cum Acceſſionibus.
8. Nec non Servitutibus.
9. Modi acquirendi *Derivativi;*
10. Iique vel *taciti*, in Succeſſionibus ab inteſtato;
11. Quarum ordines.
12. Item in Uſucapione.
13. Vel *expreſſi*, & quidem tum voluntarii, ut Succeſſiones teſtamentariæ.
14. Aliique.
15. Tùm involuntarii ex pœnis & bello.

§. I.

CUm ea ſit conditio corporis humani, ut adſumtis extrinſecus rebus indigeat, queis nutriatur, & contra ea, quæ ipſius compagem deſtructum eunt, muniatur; per complures quoque res iſthæc vita commodior & mollior reddi poſſit: inde tutò colligitur, (1) volente utique ſummo

§. I. (1) Cum enim homini Jus datum ſit ad finem, ſcilicet vitæ

ſummo univerſi Moderatore fieri, quod homo alias creaturas ad uſus ſuos adhibeat, quin quod etiam multas earundem deſtruat. (2) Neque id ſolum obtinet circa vegetabilia, & quæ citra ſenſum corrumpuntur, ſed & circa innoxia animalia: (3) quæ, utut cum dolore moriantur, citra peccatum tamen ab homine cibi cauſâ occiduntur, & conſumuntur. *

§. II. Cæterum ab initio omnes iſtæ res intelliguntur abs DEO *velut in medio hominibus expoſitæ*, ita ut non magis ad hunc quàm ad alterum pertinerent: (1) attamen

M ut

vitæ conſervationem: indè etiam Jus datum intelligitur ad media, ſine quibus finis obtineri nequit. Media verò illa ſunt res creatæ, ad victum & amictum idoneæ.

(2) Quia aliàs utiles eſſe non poſſunt.

(3) Dubium hoc videri poſſit, quia (1) ex pleriſque alia ratione utilitatem v. gr. dum vivunt, lac, lanam, ova, &c. dum moriuntur, pelles & coria percipere poſſumus (2) Neceſſitatibus noſtris conſuli poteſt citra κρεωφαγίαν. (3) quoad animalitatem magna nos inter, & iſta eſt cognatio, & novimus (4) ex Sacris literis, demum poſt diluvium edendorum animalium Jus à DEO conceſſum, *Geneſ. IX, 3.* dum ſine dubio ante illud fideles ſaltim divinæ conceſſionis (quæ non niſi de oleribus, pomis & frugibus loquitur) memores à carnium eſu abſtinuerunt. Et certe firmum, quod convincat licitæ κρεωφαγίας, argumentum ratio vix ſuppeditaverit, ſuppeditant tamen Sacræ Literæ *loc. cit.*

* Grot. *Lib. II. cap. 2. §. 2. ſeqq.*

§. II. (1) Hæc eſt *Communio negativa.* Deus enim dedit *Facultatem* ad introducenda dominia: alias homines juſte id non potuiſſent. Poteſt etiam, ut *generale dominium*, ea

Facul-

ut ſic circa eas diſponerent homines, prout conditio humani generis, & ratio pacis ac tranquillitatis, bonique ordinis in eodem conſervandi, videretur exigere. Inde cum adhuc intra paucos genus mortalium ſubſiſteret, placuit, (2) *ut illa quidem cujusque fierent, nec ab altero ipſi eripi deberent, quæ quis adprehendiſſet* hac intentione, ut eadem ad uſus ſuos adplicaret; ipſa tamen *corpora*, ex quibus illæ res provenirent, in medio ad neminem peculiariter ſpectantia manerent. Sed poſtea multiplicatis hominibus, & cum cultura cœpiſſet adhiberi rebus, ex quibus homini alimenta & tegumenta proveniunt, ad evitandas rixas, & introducendo bono ordini *ipſa* quoque *corpora rerum inter homines diviſa*, (3) & cuilibet ſua portio propria aſſignata, hâc additâ conventione, (4) ut,

Facultas concipi; ſed *ſpecialia* ſeu *ſingularia* ipſi homines conſtituerunt, & hoc ſenſu ad *inſtituta hominum* referuntur.

(2) Scilicet quoad *fructûs*.

(3) Deeſt quidem Hiſtoria introductorum dominiorum, per rationem tamen aliter fieri non potuit, quam ut à Communione diſcederetur per diviſionem. Exemplum elegans de Abrahamo & Lotho vid. *Gen. XIII*, 9.

(4) Conventionis *expreſſæ* ſpecimen præbet locus ex ſacris allegatus. Plura habituri eſſemus, ſi extaret integra Dominiorum introductorum Hiſtoria. Sufficit autem *tacita*, vel *præſumta* cum non poſſint non præſumi homines conſenſiſſe in ea, quæ recta ratio & Jus Naturæ injungit, qualia ſunt præſentia Conventionis Capita.

(5) Duo

ut, (5) *quæ in prima rerum diviſione in medio forent relicta, deinceps ejus poſſent fieri, qui primus eadem ſibi aſſeruiſſet.* Sic igitur volente Numine, prævió conſenſu hominum, pactóque ſaltem tacitó, *proprietas rerum ſive dominium* fuit introductum. *

§. III. Eſt autem *dominium jus, quó alicujus rei velut ſubſtantia ita ad aliquem pertinet, ut eódem modó in ſolidum* (1) *non pertineat ad alium.* Ex quo conſequitur, (2) ut de rebus, quæ tanquam propriæ ad nos pertinent, pro arbitrio noſtro diſponere, & ab earundem uſu quosvis alios arcere poſſimus; niſi quatenus per pacta ſingulare jus à nobis ſibi quæſiverint. Etſi in Civitatibus contingere ſoleat, ut dominium non ſemper penes quosvis ſit illibatum, ſed certis limitibus circumſcriptum per Imperium

(5) Duo potius membra, continere debet hæc Conventio (1) *ut, quæ cuique per diviſionem ceſſerint, in eorum uſu & poſſeſſione ab aliis is non debeat turbari;* quò de pluribus *Cap. ſeq. XIII.* (2) *quæ in primâ* &c.

* Grot. *Lib. II. c.* 3. §. 1.

§. III. (1) *Ex parte* quidem dominium unius etiam ad alterum pertinere poteſt, v. gr. in Feudo, Emphyteuſi &c. Sed *in ſolidum* unius rei domini duo eſſe non poſſunt.

(2) Eſt ergò hic *effectus* dominii; unde vulgaris *definitio* deſumitur, quando dominium deſcribitur, quod ſit *jus de re corporali liberè diſponendi eamque vindicandi.* Præſens autem Pufendorfii definitio magis *Formam* exprimit.

(3) Hæc

rium Civile, aut ex diſpoſitione & conventione hominum inter ſe. Quando autem res una ad plures indiviſim eodem modo pertinet, illa iſtis pluribus vocatur *communis.* (3)

§. IV. Sicuti autem res non ſimul & ſemel in proprietatem iverunt, ſed ſucceſſivè, & prout uſus humani generis poſtulare viſus eſt: ita non neceſſum fuit, ut omnes & ſingulæ res propriæ fierent, ſed ſalvâ pace generis humani *aliquæ potuerunt*, *aliquæ debuerunt intra primævam velut communionem permanere.* Nam quæ utilia licet hominibus, *inexhauſta* tamen ſunt, ſic ut omnium uſibus poſſint patere, nec tamen ſingulus uſus iſte reddatur malignior, ea dividere velle ſupervacuum ſimul ac ineptum foret. Uti eſt lumen calorque Solis, aër, (1) aqua profluens, & ſi quæ ſunt ſimilia. Quô refertur etiam vaſtus Oceanus, magnis continentibus interjectus, quoad partes à littoribus

(3) Hæc eſt *communio poſitiva*, ſeu commune dominium. quale eſt v. gr. Cohæredum in rebus hæreditariis.

§. IV. (1) Spectantur hæc vel *in ſe*, vel *ut ſunt acceſſoria fundorum.* In ſe & prout tanquam Elementa conſiderantur proprietatem non recipiunt, nec ſunt in Commercio; Inde etiam dici ſolent *res nullius*, ſcilicet *negativè* tales, quæ nec ſunt, nec eſſe poſſunt in dominio. Quatenus autem *acceſſoria* fundorum fiunt, eâtenus per conſequens proprietatem recipiunt, & vel augent vel minuunt rerum precia. Hôc locô *priori reſpectu* conſiderantur. *Conf. Cap. XIV.* §. 3.

(2) Hi-

ribus remotiſſimas. (2). Quippè cum ille non ſolum omnium uſibus promiſcuis ſufficientiſſimus, ſed & uni alicui populo ejus *cuſtodia moraliter* (3) *ſit impoſſibilis.* Ubi enim aliqua res ita ſit comparata, ut nullô modô alii ab ejus uſu arceri queant, illam dividi, aut propriam cujuſpiam fieri non ſupervacuum ſolùm eſt, ſed & inanibus litigiis materiam præbere aptum. *

§. V. *Modi adquirendi* dominii ſunt *Originarii* vel *Derivativi.* Per illos ab initiô in rem aliquam proprietas introducitur: per hos dominium jam conſtitutum ab uno in alterum tranſit. Priores modi iterum ſunt vel *ſimpliciter tales*, quibus *dominium in corpus* alicujus rei adquiritur; (1) vel *ſecundum quid*, queis *incrementum* aliquod *ad rem noſtram* adjungitur. (2)

§. VI. Poſt recepta inter homines diviſa rerum dominia ita inter eos conventum; *ut, quæcunque ſub primævam diviſionem*

 non

(2) Hiſtoriam hujus Controverſiæ vid. ap. Bœcler. *Not. ad Grot. L. II. c.* 2. §. 3. Ludolphs Schau-Bühne / *ad An.* 1634. *p.* 330. Item infra in *Appendice Diſput.* 1. *Them.* 28.

(3) Imò & phyſicè. Quis enim, etſi potentisſimus, oſtia vaſti Oceani firmiter claudere, & ab ingreſſu alios arcere velit, aut poſſet?

* Grot. *Lib. II. cap.* 2. §. 3.

§. V. (1) Ut in *Occupatione*, de qua *ſeq.* §. 6.

(2) Ut in *Acceſſionibus*, de quibus §. VII.

§. VI.

non venerunt, ea cederent occupanti, (1) i. e. ei, qui primus eadem corporaliter adprehendiſſet (2) animo ſibi habendi. Sic ut hodiè *Originarius modus* dominium in corpus alicujus rei adquirendi ſit ſola *Occupatio.* Hôc igitur modô adquiruntur (3) regiones deſertæ, quas nullus unquam homo ſibi aſſeruit: quæ fiunt illius, qui primus eas ingreditur, animo ſibi habendi, ita ut culturam eis adhibeat, & certos limites conſtituat, quousque eas ſuas eſſe velit. Ubi autem *cœtus multorum hominum* junctim occupaverit partem quampiam terræ, uſitatiſſimum eſt, ut ſingulis ex eo cœtu aliqua portio adſignetur, (4) quæ ſuperſunt, ad totum cœtum pertinere cenſeantur. Per Occupationem quoque adquiruntur feræ beſtiæ, aves, piſces in mari, fluminibus, aut lacubus verſantes; * item ſi quæ à mari in littus ſolent ejici: (5) modò tamen per Imperium Civile promiſcua ejusmodi rerum captura non ſit interdicta, aut certo alicui aſſignata. Quas

§. VI. (1) Hoc eſt prius membrum conventionis præſumtæ, de quâ dictum *præcedente* §. *II. circa fin.*

(2) Signo enim opus eſt, ut de intentione conſtet.

(3) Loquitur hic de ſingulis.

(4) En *Diviſionem!*

* Grot. *Lib. II. cap.* 2. §. 3.

(5) Hæc omnia Jure Naturali nullius ſunt, & cedunt cuilibet occupanti id quod etiam Jure Romano ita obtinuit, & adhuc in multis Civitatibus ea facultas cuilibet conceditur.

(6) Alias

Quas neceſſum eſt, ſi noſtræ debent fieri, ut corporaliter adprehendamus, & in noſtram poteſtatem redigamus. Occupatione quoque adquiruntur res in quibus dominium, cui ante ſubjectæ fuerant, plane eſt extinctum. (6) Puta, ſi quæ abjiciuntur ea intentione, ne amplius ea ſint noſtra; aut quæ ab initio inviti amittimus, ſed poſt pro derelictis habemus. Quo etiam pertinet theſaurus, (7) * ſeu pecunia, cujus Dominus ignoratur; qui inventori cedit, (8) ubi per Leges Civiles aliter non eſt diſpoſitum.

§. VII. Cæterùm plurimæ res, (1) quæ dominio ſubjectæ ſunt, non in eodem ſemper ſtatu perſiſtunt, ſed variis *auctibus* ſuam

M 4 *ſub-*

(6) Alias dicuntur *res nullius*, ſcilicet *privativè* tales, quæ quidem non ſunt in dominio, eſſe tamen poſſunt.

(7) Eſt enim vetus quædam depoſitio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam dominum non.

* Grot. *Lib. II. cap.* 8. §. 7.

(8) Æquum tamen certè, ut dimidia pars cedat Domino ſoli, uti etiam Leges Romanæ diſponunt, & hoc reſpectu theſaurum ad *Acceſſiones* referunt. §. 39. *Inſt. de Rer. div.*

§. VII. (1) Dum *Acceſſiones* Autor *modis acquirendi Originariis* accenſet, ſaltem de omnibus id non procedit, & ne quidem *ſecundum quid* tales dici poſſunt. Nam ita dicuntur, quod res primum, qualitatem proprietatis per eosdem conſequimur, ſive quod initio in *rem*, quæ noſtra fit, proprietas introducitur, antea eadem qualitate deſtituta. Jam verò in pleriſque Acceſſionibus res aliter ſe habet, & derivatur dominium ab uno in alterum. v. gr. in Coalitione terræ, Specificatione, Commixtione, &c.

(2) V. gr.

ſubſtantiam dilatant; quibusdam extrinſeca *incrementa* accedunt, (2) aliæ *fructus* proferunt, multis per *formam* induſtriâ humana ſuperinductam pretium accreſcit. (3) Quæ omnia vocabulo *Acceſſionum* comprehendi poſſunt, & in duas claſſes dividuntur. Quædam enim citra factum hominis *ex ſola natura* iſtarum rerum proveniunt: (4) quædam facto & induſtria hominum in *ſolidum*, (5) aut *ex parte* (6) procurantur. Circa quas iſta eſt regula: ut, *qui eſt Dominus rei*, (7) *ad eundem quoque pertineant Acceſſiones, & quævis emolumenta*; *&, qui ex ſuâ materia ſpeciem fecit, ejus ſpeciei ſit Dominus.* *

§. IIX. Frequenter tamen contingit, ut alii ex Contractu, aut alia via, jus ſibi quæſiverint, ex re noſtra certum commodum percipiendi, aut etiam impediendi, ne noſtrâ re omni modo utamur. Quæ jura ſolent vocari *Servitutes.* (1) Ac dividuntur in *per-*

(2) V. gr. in Alluvionibus.

(3) V. gr. in Specificationibus.

(4) Scil. Acceſſiones *naturales*, fructus arborum, fætus animalium.

(5) Scil. *Induſtriales*, ſpecificationes, ædificatio, Scriptura, pictura.

(6) Scil. *Mixta*, Implantatio, Satio, Fructuum perceptio.

(7) Nimirum *Principalis.*

* Grot. *Lib. II. cap.* 8.

§. IIX. (1) Idem hic monendum quod ad §phum præcedentem,

perſonales, ubi utilitas ex re aliena ipſi perſonæ immediatè obvenit; & *reales*, ubi ex re aliena mediante re noſtra utilitas capitur. Inter *illas* numerantur *uſusfructus*, *uſus*, *habitatio*, *operæ ſervorum*. *Reales* iterum dividuntur in *Servitutes prædiorum urbanorum*, *&* *ruſticorum*. *Illæ* ſunt v. gr. *Servitus oneris ferendi*, (2) luminum, (3) ne luminibus officiatur, (4) proſpectus, (5) ſtillicidii (6) recipiendi, &c. Hæ ſunt v. g. *iter*, (7) *actus*, (8) *via*, (9) *aquæ ductus*, (10) *aquæ hauſtus*, *pecoris ad aquam ap-*

M 5 *pul-*

dentem, Not. (1) Nam & ſervitutes potius ad *derivativos modos* pertinent. Acquiruntur enim vel actibus inter vivos, v. gr. Contractibus; vel per ultimas voluntates, vel etiam Præſcriptione.

(2) Eſt jus, quô paries vel columna vicini onus ædium noſtrarum ferre tenetur.

(3) Eſt jus, quô vicinus pati tenetur, ut in *ſuo* vel *communi pariete* feneſtras habeam, quod aliàs poterat prohibere. Um das Tages-Licht zu bekommen.

(4) Eſt jus prohibendi, ne vicinus lumina *in noſtro pariete* facta obſcuret, quod aliàs in ſuo contra-ædificando facere poterat.

(5) Eſt jus, quo vicinus pati tenetur, ut in fundum vel aream ſuam proſpiciam, neque contra-ædificando id impedire poteſt, quod alias in ſuo poterat. Um die freye Außſicht zu haben.

(6) Eſt jus, quô Vicinus pati tenetur, ut pluvia mea in ſuam aream derivetur, das Trauff-Recht.

(7) Der Fuß-Steig.

(8) Der Vieh-Trieb.

(9) Fahr-Weg.

(10) Die Waſſer-Leitung durch Gräben ꝛc.

(11) Die

pulſus, (11) *jus paſcendi*, &c. Quæ omnes ferè ex occaſione viciniæ introductæ ſunt.

§. IX Inter modos acquirendi *derivativos* alii ſunt, quibus res devolvitur in alium ex *diſpoſitione legis*; alii, quibus *facto prioris domini.* (1) Et quidem ut (2) vel *bonorum* alicujus *univerſitas*, vel certa eorundem *portio* transferatur.

§. X. Univerſitas bonorum lege tranſit per mortem prioris domini in *Succeſſionibus ab inteſtato.* (1) * Cum enim & communi hominum inclinationi repugnet, & ad pacem generis humani minime omnium conducat bona, quæ quis tanto cum labore, dum viveret, quæſiviſſet, à domini morte haberi pro derelictis, & cuivis occupanti patere; inde, ſuadente ratione, apud omnes populos receptum, ut, ſi quis de ſuis bonis ipſe nihil diſpoſuiſſet, ejus bona devolvantur ad eos, quos pro communi hominum affectu cariſſimos habere judicatur. Quales ſunt

(11) Die Vieh-Träncke.

§. IX. (1) Vid. §. *XIII.*

(2) Utroque ſcilicet modo.

§. X. (1) Jus *ſuccedendi ab inteſtato* quando Leges Romanæ ſibi tribuunt & pro modo acquirendi *Civili*, Gentium Juri contradiſtincto venditant. §. 6. *Inſt. de Uſu & Habit.* id non de *re ipſâ*, ſed tantum de *rei modô* accipiendum eſt. *Illa* ex dictamine rationis procedit; hic vero Civitatum Rectoribus relinquitur.

* Grot. *Lib. II. cap. 7. §. 3. ſeqq.*

(2) Ex

ſunt regulariter, qui ex nobis deſcendunt, & juxta hos alii ſanguine nobis juncti, pro gradu quisque propinquitatis. Et licet aliqui homines dentur, qui vel propter accepta beneficia, vel ob peculiarem affectum alienos quosdam magis ament, quàm ſuos conſanguineos: tamen pacis interfuit, non conſideratô paucorum quorundam affectu, communem potius mortalium inclinationem ſequi, (2) modumque ſuccedendi obſervare planiſſimum, & nullis impeditis diſceptationibus obnoxium. Quæ emerſuræ erant, ſi benefactores & amici cum iis, qui ſanguinis jure nituntur, poſſent concurrere. Et ſi quis omninò benefactores aut amicos cognatis volebat præferre, debebat expreſsè ſuper ea re diſpoſuiſſe.

§. XI. Ex his conſequitur, proximos cuique hæredes eſſe ſuos *liberos*, (1) quos & natura parentibus alendos educandosque ſolicitè commendavit, & quibus quisque parentum cenſetur quàm lautiſſimè voluiſſe proſpicere, ac, quæ ſibi ſuperſunt, ipſis potiſſimùm relinquere. Per liberos autem intelliguntur

(2) Ex eô, quod ἐπὶ τὸ πλεῖστον accidit, non, quod ἐκ τοῦ παραλόγου, jura conſtitui oportet, *l.* 3. *ſeqq. ff. de Leg. l.* 64. *ff. de Regg. Jur.*

§. XI. (1) Si quis inteſtatus moriatur, prima cauſa eſt in ſucceſſione liberorum. §. 2. *Inſt. de hæred. qualitat. & different.*

(2) Qui-

liguntur præcipuè, qui ex legitimo matrimonio nati ſunt. His enim & ipſa ratio, & decor vitæ civilis, & leges populorum cultiorum præ naturalibus (2) favent. Iſta tamen ita demum obtinent, niſi pater aliquem pro ſuo filio ob ſufficientes rationes noluerit agnoſcere, aut niſi ob atrociſſimam malitiam eundem abdicaverit. (3) Sub liberis etiam comprehenduntur ii, qui ſunt ulteriorum graduum, quos uti alere, ipſorum parentibus defunctis, avus tenetur: ita, ut & ipſi cum patruis & avunculis ad hæreditatem avi concurrant, (4) æquiſſimum eſt; ne ſuper calamitatem maturè defuncti patris, etiam avi hæreditate excludantur. Ubi deſcendentes deſunt, par eſt ad *parentes* (5) defunctorum liberorum bona devolvi. Quibus liberi & parentes non ſunt ſuperſtites, iis *fratres* ſuccedent. Ubi & hi deficiunt, hæres erit, prout quisque defunctum ſanguine propius contingit. Etſi ad lites evitandas, quæ heic exoriri poſſunt frequentiſſimè, ſimul-

(2) Quibus tamen alimenta ſaltim neceſſaria debentur.

(3) Id quidem Naturali Jure ſufficeret: ſed Leges Civiles caverunt, ne quis Pater ſolâ præteritione, ſed expreſſa exhæredatione, & quidem, addita ejus cauſa, ſucceſſione privare poſſit liberos.

(4) Jure, quod vocant, *repræſentationis.*

(5) Turbatô licet mortalitatis ordine, ut eleganter Papinianus, *l.* 15. *pr. ff. de inoffic. teſtam.*

mulque ut ea res ad uſum reipublicæ probè attemperetur, in pleriſque Civitatibus ſuper ordine ſucceſſionis accuratè deprehenditur diſpoſitum. Et hunc ordinem ut ſequantur privati tutiſſimum eſt, niſi graves cauſæ peculiariter diſponere ſubigant.

§. XII. Huc quoque referendus peculiaris aliàs adquirendi modus *Uſucapio*; * (1) per quam is, qui bona fide juſtoque titulo rei alicujus poſſeſſionem nactus eſt, eamque diu quietam & non interruptam obtinuit, demum pro perfecto domino ejus rei habetur, ita ut antiquum dominum, ſi poſtea rem eam vindicare velit, repellere queat. (2) Cujus juris introducti ratio fuit, (3) partim quod pro derelicto rem habere judicaretur, qui

* Grot. *Lib. II. cap.* 4. *totô.*

§. XII. (1) Idem de Uſucapione hic monendum, quod modô de Succeſſione legitima dictum fuit, *Not. 1. ad* §. *X.*

(2) Scilicet Exceptione *Præſcriptionis.*

(3) Juſtùs ergò eſt hic acquirendi modus; Nec obſtat (1) quod nemo cum alterius damno debeat locupletari. *l.* 206. *ff. de Regg. Jur.* Reſpondeo enim, id intelligendum de locupletatione *doloſa* & *illegitimâ*; aliàs etiam Principes non poſſent vectigalia & tributa accipere à ſubditis. Nec obſtat (2) quod ipſe Imperator vocet Uſucapionem *impium præſidium*, & *improbam temporis allegationem Novell. IX. Præfat.* Nam reſpondeo: Non loquitur de præſcriptione in genere, dum expreſſe ibidem conſtituit, ut præſcriptione centum annorum bona Eccleſiæ amittantur; ſed illud tantum damnat, ſi quis in fraudem hujus Conſtitutionis 30. annorum præſcriptione contra Eccleſias uti velit.

(4) Hæ

qui diu eandem vindicare neglexerit, cum longo tempore ad id occaſiones vix deeſſe judicentur: partim quod tranquillitatis & pacis intereſſet, aliquando poſſeſſiones rerum extra controverſiam collocari. Præſertim cum longè gravius videatur, poſt diuturnam poſſeſſionem re bona fide parta privari, quam olim amiſſa, & cujus deſiderium dudum erat digeſtum, in perpetuum carere. (4) Ut tamen in Civitatibus, (5) certi termini, prout ratio

(4) Hæ *duæ rationes* militant etiam pro Præſcriptione inter Gentes, indeque iis etiam hic acquirendi modus legitimus eſt. Leges Civiles addunt *tertiam*, ſcilicet ut negligentia ſubditorum res ſuas non curantium coërceatur; ſed hæc cum pœnalis ſit, nec in præſcriptione Gentium, nec in Præſcriptione ſubditorum erga Principes allegari poteſt.

(5) Quoad Gentes Jus Naturæ nihil determinat, quum ſit id iſtius indoli adverſum. Plerumque tamen Centum anni requiri cenſentur. quum poſt tot annos ferè documenta deficiant & teſtes. *Hoc enim tempus vitæ longævi hominis plerumque finis & eſſe dignoſcitur. Novell.* 9. *præfat.* Rectius ad præſcriptionem inter Gentes validam requiritur (a) *tempus immemoriale*, tale ſcilicet, cujus initii non extat memoria. Cardinal de Luca, *L. III. P.* 1. *Tit.* 1. *de Jud. n.* 64. Cardinal Tuſch. *Lit. T. Concluſ.* 40. *n.* 88. Requiritur (b) ut de derelictione prioris veri Domini expreſſa vel præſumta conſtet. Dico *præſumtâ*, quæ colligitur ex non factis, v. gr. Si, ubi vindicare commodè potuiſſet, id tamen per longiſſima tempora non fecit. Aliàs enim non valenti agere non currit præſcriptio. Solum verò ſilentium inter Gentes amiſſionem juris non operatur. Coccej. *Diſp. de Silentio. Th.* 1. 2. Werlhof. *Diſſ. de Præſcript. inter liberas Gentes.* Requiritur (c) ut poſſeſſio rerum præſcriptarum ſit verè & pro-

prie,

ratio & utilitas civitatis ſuggeſſerit, definiantur, intra quos uſucapio compleatur, tranquillitatis & pacis intereſt.

§. XIII. *Facto domini prioris* univerſitas rerum *mortis cauſa* tranſit per *Teſtamentum.* (1) Nam & illud in qualecunque ſolatium mortalitatis apud pleroſque eſt receptum, ut quis vivus ſua bona transferre poſſet in eventum mortis, in eum, quem maximè amaret. Cæterùm cum antiquiſſimis temporibus uſitatum fuiſſe videatur, ut imminente jam fatô palam ſuos hæredes nuncuparent., & patrimonium de manu in manum ipſis traderent; (2) poſtea graves ob rationes multis populis aliud teſtamenti genus magis arriſit. Ut nempe, quocunque tempore placeret, ultimam ſuam voluntatem vel palam ſignificare, (3) vel literis tacite

prię, non μεταφωρικῶς talis. Licet enim per aliquot mille annos habitum fuerit verum, quod falſum eſt, nihilominus & in æternum manebit falſum. Conring. *Cenſurâ Diplomatis Ludoviciani*, p. 352. Conf. Mabillon, *Re Diplomat. L. III. p.* 239.

§. XIII. (1) Hic etiam modus acquirendi ac transferendi ad Jus Naturale, quoad *ipſam rem*, ſeu facultatem referendus eſt; licet *modum* & ſolennitates Legislatoribus Civilibus libenter & rectè attribuamus. Conf. *l.* 1. *C. de SS. Eccleſ.*

(2) Olim apud Romanos *Calatis Comitiis*. §. 1. Inſtit. de *Teſtam. ordinand.*

(3) Vulgò Teſtamentum *Nuncupativum* vocatur.

(4) Vul-

te conſignare poſſent; (4) quam mutare pro lubitu liceret, (5) & ex qua hæredibus nuncupatis aut ſcriptis tunc demum jus naſceretur, quando teſtator expiraret. (6) Atque tales ultimæ voluntates licet meritò magnum habeant favorem; ita tamen temperandæ erunt, prout neceſſitudinum ratio, & utilitas civitatum requirit. Quæ & inde legibus ſueverunt cavere, quomodo cuique teſtamenta ſint ordinanda. A quorum diſpoſitione qui diſceſſerit, queri non poteſt, ſuæ voluntatis non fuiſſe habitam rationem.

§. XIV. *Inter vivos facto prioris domini* res tranſeunt vel *gratis*, vel *interpoſito contractu*. Prioris generis translationes vocantur *donationes*. (1) De Contractibus infra (2) erit agendum.

§. XV. Quandoque etiam *invito priore domino* (1) res transferuntur; & quidem

(4) Vulgo *Scriptum.*

(5) Voluntas hominis ambulatoria eſt, usque ad vitæ ſupremum exitum. *l. 4. ff. de adimend. & transfer. legat.*

(6) Viventis enim non eſt hæreditas.

§. XIV. (1) Atqui in donationibus perfectis etiam *Conventionem* intercedere ſupra Autor docuit. Dum enim unus *offert*, & alter *acceptat*, evadit inde *Conventio*. vid. *C. IX.* §. 7. & 16.

(2) Cap. XV.

§. XV. (1) Scilicet quoad Conſenſum *expreſſum*; adeſt tamen in utroque caſu propoſito Conſenſus *præſumtus*. Et habemus adeo hic caſus, ubi quis pro conſentiente habetur, ſcil. per leges, tametſi verbis & factis ſummoperè renitatur & reclamet.

(2) Qui

dem in Civitatibus potiſſimum per modum *pœnæ*, dum ob delicta damnatis interdum omnia bona, interdum certa eorum portio, eripiuntur, & vel publico, vel læſo adplicantur. (2) Sic & in *bello* invitis res per hoſtem viribus ſuperiorem eripiuntur (3) raptorique acquiruntur; ad quas tamen recuperandas pari violentia prior dominus jus non amittit, quousque per ſubſequentes pacis tractatus omni prætenſioni ad easdem renunciaverit. (4)

(2) Qui conſentit in delictum, cenſetur etiam conſentire in pœnam, delicto convenientem.

(3) Qui conſentit in bellum, cenſetur quoque conſentire in dubium illius exitum, & per conſequens in jacturam bonorum. Hoc uti certum eſt de ſummo Imperante, ita etiam de ſubditis, quorum voluntas in voluntate illius unita eſt, ut infra audiemus. *Lib. II. c. 6. §. 5.*

(4) Conf. infra *Lib. II. c. 16. §. 13.*

CAPUT XIII.

DE

OFFICIIS, QUÆ EX DOMINIO RERUM PER SE RESULTANT; NEC NON DE BON. FID. POSSESSIONE.

1\. Regula *generalis* I. de non turbandis aliorum dominiis.

2\. II. De re aliena bonâ fide partâ adhuc apud nos exiſtente.

3\. III. De

3. III. De re aliena conſumta.
4. Regulæ *ſpeciales*, in caſibus, ubi res bona fide parta periit.
5. Ubi fructus ſoli extant;
6. Ubi fructus conſumti.
7. Ubi fructus neglecti.
8. Ubi res titulô Lucrativô parta alii donata;
9. Ubi titulô oneroſô parta alienata.
10. Ubi hoc titulo parta adhuc extat;
11. Ubi res inventa.

§. I.

Ex introducto rerum dominio iſta officia inter homines provenerunt * I. *Ut quilibet teneatur alterum* (non hoſtem) *pati rebus ſuis quietè frui, neque vi aut per fraudem illas corrumpere, intervertere, aut ad ſe trahere ſuſtineat.* (1) Quo ipſo furta, rapinæ, & ſimilia crimina, in res alienas tendentia, vetantur.

§. II. *Quando res aliena ad nos pervenit ſine noſtro crimine, & bonâ noſtrâ fide,* (1) *eamque adhuc in noſtra poteſtate habe-*

* *Adhibendum hic Caput X. Lib. II. apud* Grotium *de Jure Belli & Pacis.*

§. I. (1) Fluit hoc ex pacto, de quo dictum præcedent. *Cap. §. III.* & eſt iſtius *membrum primum.* Inquis: hoc officium pertinet ad *abſoluta*, de non lædendis aliis, vid. ſuprà *Cap. VI.* Reſpondeo: Officium *de non lædendis aliis* eſt *abſolutum;* ſed quatenus adplicatur ad res dominio ſubjectas in ſpecie, evadit *hypotheticum.* Poteſt enim Officium *abſolutum* certò reſpectu etiam fieri *hypotheticum.*

§. II. (1) *Bona fides* eſt firma opinio quâ quis putat, rem ſuam eſſe, ſeque poſſidere ex juſtâ cauſâ, *l.* 109. *ff. de verb. Signif.* Indè *bon. fid. Poſſeſſor*, qui juſtum titulum poſſidendi habet à non Domino, quem dominum putavit.

(2) Sci-

habemus, tenemur (2) *efficere, quantum in nobis eſt, ut illa in poteſtatem legitimi ſui domini redeat.* Non tamen tenemur illam rem reſtituere noſtris impenſis; &, ſi quas in eam ſervandam fecimus, rectè poſſumus repetere, aut rem tantiſper, quoad illæ ſolvantur, retinere. (3) Et ad reſtituendum tum demum actu tenemur, quando innotuit nobis, illam rem eſſe alterius. (4) Tunc enim debemus ſignificare, rem eam penes nos eſſe, nec per nos ſtare, quò minus dominus ſuum poſſit recipere. Quod tamen juſtô titulô adquiſivimus, non tenemur ipſi in dubium revocare, & velut publicè denunciare, an quis eam rem ſibi velit vindicare. Atque iſthoc Officium præponderat Contractibus particularibus, iisque exceptionem dat, v. gr. Si fur apud me inſcium furti rem furtivam depoſuerit, & poſt verus ejusdem dominus adparuerit, huic, non furi, eadem erit reſtituenda.

§. III. *Quod ſi autem res aliena, bona*

 fide

(2) Scilicet ex quo innoteſcit, rem eſſe alienam. Alias enim ejus proprietatem ipſi in dubium vocare non tenemur.

(3) Et verum dominum rem vindicaturum *Exceptione doli* removere. Vix enim à dolo immunis eſt, qui rem repetit, nec tamen impenſas in rem factas vult reſtituere. *l.* 8. §. 9. *ff. Mandat.*

(4) Nam poſt ſcientiam rei alienæ deſinit bona fides, *l.* 48. §. 1. *ff. de acquir. rer. domin.*

§. IV.

fide parta, ſit conſumta, Officii eſt, tantum reſtituere domino, quantum facti ſumus locupletiores: ne ex immerito alterius damno lucrum capiamus.

§. IV. Ex hiſce porrò ſequentes Concluſiones deducuntur. (I.) Poſſeſſor bonæ fidei non tenetur ad ullam reſtitutionem, *ſi res periit*; (1) quia nec res ipſa penes eum eſt, nec lucrum ex ea re.

§. V. (II.) Bonæ fidei Poſſeſſor tenetur ad reſtituendam non ſolùm rem, ſed & *fructus adhuc extantes.* (1) Naturaliter enim ad quem pertinet res, ad eundem quoque fructûs pertinent. Licebit tamen Poſſeſſori detrahere omnes impenſas in rem (2) ejusque culturam, (3) quò fructus provenirent, factas. (4)

§. IV. (1) Etiamſi *culpâ ſuâ* pereat. Bona enim fides tantundem præſtat b. f. poſſeſſori, quantum rei veritas, i. e. *dominium* domino *l.* 136. *de Reg. Jur.* Ut igitur dominus, ſi ſuâ culpâ res ſibi perdit, propterea nemini tenetur; ita etiam ſe habet cum b. f. poſſeſſore.

§. V. (1) Et quidem tàm *naturales*, quàm *induſtriales*, quod poſterius Grotius negat, ſed ſine ſolidâ ratione. *L. II. c.* 10. §. 3.

(2) Dicuntur *impenſæ rerum.*

(3) Dicuntur *impenſæ fructuum.*

(4) Impenſæ rerum ſunt vel *neceſſariæ*, vel *utiles*, vel *voluptuariæ*; quarum hæ *voluptatis* gratia, illæ in *utilitatem*, iſtæ in *neceſſariam Conſervationem* rei impenduntur. De prioribus duabus ſpeciebus intelligendus Autor; non de ultima; cum ſæpè id, quo unus delectatur, alteri moleſtum ſit. *Tollere* ergò licet voluptatis gratia facta, ſi commodè fieri poſſit; non impenſas ideò repetere.

§. VI.

§. VI. (III.) B. f. Poſſeſſor tenetur (1) ad reſtitutionem rei & *fructuum conſumtorum*; ſi modò aliàs tantundem conſumturus fuerat, & poſſit rei evictæ pretium ab autore ſuo recúperare. (2) Nam in hoc factus eſt locupletior, dum rem alienam conſumendo ſuæ pepercit. (3)

§. VII. (IV.) B. f. Poſſeſſor non tenetur penſare *fructûs, quos neglexit*. (1) Quia nec rem habet, nec quidquam rei ſucceſſit.

§. IIX. (V.) Si B. f. Poſſeſſor rem alienam ſibi donatam alii *donaverit*, non tenetur; niſi omnino ex officio aliquo tantundem do-

 natu-

§. VI. (1) Regulariter non tenetur; quia inſtar domini ſe gerit, & adeo fructus omnes irrevocabiliter ſuos facit. §. 25. *Inſt. de rer. diviſ. l.* 4. §. 2. *ff. Fin. regund.* Autor hic Exceptionem loco Regulæ proponit.

(2) Imò tametſi recuperare non poſſit, tenetur tamen ad reſtitutionem. Sibi enim imputet, quod ſibi non melius proſpexerit.

(3) Leges Romanæ hic diſtinguunt inter petitionem rerum ſingularium & hæreditatem. In quantum ex *hâc* b. f. Poſſeſſor locupletior factus, in tantum tenetur hæredi *l.*25. §. 11. *ff. de hære.lit. petit. l.* 1. *C. eod.* Aliter ſe res habet cum *illâ*, §. 35. *Inſt. de rer. diviſ.* §. 2. *Inſt. de Offic. Judic. l.* 4. §. 2. *ff. fin. regund.* Mores verò in judicio tàm univerſali, quàm ſingulari ſimplicitatem Juris Nat. ſequuntur, & b. f. Poſſeſſorem, ſi quando locupletior factus, reſtituere jubent. Struv. *Jurisprud. forenſ. L.II. tit.* 1. §. 54. Ziegler. *ad Grot. L. II. c.* 10. §. 5.

§. VII. (1) Id eſt: *percipiendorum.* §. *Inſt. de Offic. Jud.* Repete *Not.* (1) *ad* §. *IV.*

§. IIX. (1)

naturus fuerat. Tunc enim lucrum erit rei ſuæ pepercisse. (1)

§. IX. (VI.) Si B. f. Poſſeſſor rem alienam *oneroſo titulo partam* quocunque modo *alienaverit*, non tenetur, (1) niſi quatenus ex ea lucrum fecit. (2)

§. X. (VII.) B. f. Poſſeſſor etiam *oneroſo partam titulo* rem alienam tenetur reſtituere, neque dominum id, quod erogavit, repoſcere poteſt, ſed illum duntaxat, abs quo eam rem accepit. Niſi quatenus dominus rei ſuæ poſſeſſionem recipere ſine aliquo impendio probabiliter non potuit, (1) aut μήνυτρον (indicii præmium) ultro pollicitus fuerit.

§. XI. Qui rem alienam *invenit*, quam domino invito excidiſſe probabile ſit, non poteſt eam colligere hôc animô, ut eandem domi-

§. IIX. (1) Et in hoc factus eſt locupletior.

§. IX. (1) V. gr. Si rem pro 100. emtam iterum pro totidem vendiderit; non tenetur pecuniam ſolvere domino.

(2) V. gr. ſi, quam pro 100. emerat, rem pro 150. iterum vendiderit, ad quinquaginta tenetur domino.

§. X. (1) Vix illa limitatio de Jure Naturali procedet. Sufficit enim, quod nemo ſuam rem emere teneatur, *l. 3. l. 23. C. de rei vindic.* & imprudentiæ ſuæ imputet talis poſſeſſor, quod à piratis vel prædonibus (nam hunc caſum Autor reſpicit, vid Grot. *L. II. c.* 10. §. 9.) emerit, imò à ſuſpicîone doli vix liber eſt, qui à Prædonibus & piratis emit. Poſſet tamen hæc aſſertio admitti, ſi Autor de repetitione *impenſarum* loquatur, quas in re ſua recuperanda opus habuiſſet facere ipſe dominus; nam earum reſpectu b. f. Poſſeſſor conſiderandus eſt, ut negotiorum geſtor.

§. XI. (1)

domino requirenti ſubtrahat. (1) Ubi autem dominus non adparet, rectè eandem ſibi retinere poteſt. (2)

§. XI. (1) Eſſet enim contra bonam fidem.
(2) Accedente imprimis Præſcriptione; & quia derelinquendi animus in domino præſumitur.

CAPUT XIV.

DE

PRETIO.

1. Pretii poſt permutationes origo.
2. Diviſio in *vulgare*, rerum ſcilicet & actionum; & in *eminens*, nummi.
3. Fundamentum *vulgaris* eſt idoneitas ad uſum.
4. Unde intendatur, & remittatur? Pretium affectionis.
5. Determinatio pretii vulgaris in & extra Civitatem. Eſt vel definitum à Legibus;
6. Vel liberum, ab uſu fori dependens.
7. Pretium *eminens*, ejus neceſſitas & uſus;
8. Pleriſque Gentibus conſtitutum in nummo, ſeu metallo nobiliore.
9. Unde nummi valor in Civitatibus?

§. I.

POſt introducta rerum dominia cum nec omnes res ejusdem eſſent naturæ, nec eundem uſum humanis neceſſitatibus præberent, nec cuivis iſta rerum copia adeſſet, quam ad uſus ſuos deſideraret, maturè inter homines receptum, res invi-

cem *permutare.* (1) Sed quia ſæpiſſimè contingeret, ut res diſparis naturæ aut uſus eſſent transferendæ, ne alteruter ejusmodi permutatione læderetur, neceſſum erat conventione hominum *rebus* aſſignari aliquam quantitatem, juxta quam res invicem comparari exæquarique poſſent. Quod itidem contigit circa *actiones*, quas in aliorum uſum non gratis adplicari placuit. Ea quantitas nomine *pretii* (2) venire ſolet.

§. II. Dividitur pretium in *vulgare* & *eminens*. (1) Illud ſpectatur in *rebus* & *actionibus* ſeu operis in commercium venientibus, quatenus uſum aliquem & delectationem hominibus afferunt. (2) Hoc autem cernitur in *nummo*, quatenus is omnium *rerum* & *operarum* pretium virtualiter continere, & communem iisdem menſuram præbere intelligitur.

§. III. Vulgaris pretii *fundamentum* * in ſe eſt aptitudo illa *rei* vel *operæ*, qua aliquid mediatè aut immediatè conferre poteſt ad vitæ

§. I. (1) Indè permutatio rectè pro antiquiſſimâ Contractuum ſpecie habetur. §. 2. *Inſt. de Emt. vendit.*

(2) Eſt ergò pretium quantitas quædam moralis, ex impoſitione hominum ortum trahens, ſecundum quam res ad invicem comparari poſſunt.

§. II. (1) Illud etiam *virtuale*, hoc *formale* dici poſſet.

(2) Indè igitur pretium in rebus & actionibus, quatenus vel *neceſſitati*, vel *utilitati* vel *delectationi* per eas conſulitur.

* Grot. *Lib. II. cap.* 12. §. 14.

§. III. (1)

vitæ humanæ *neceſſitates*, & ad eandem *comodiorem* aut *jucundiorem* reddendam. (1) Undè & *res* nullum plane uſum præbentes, *nullius pretii* ſolemus vocare. Dantur tamen (2) *res* quædam vitæ humanæ utiliſſimæ, quibus nullum certum pretium impoſitum intelligitur; vel quia dominiò ſunt & debent eſſe vacuæ, vel quia ad permutationem ſunt ineptæ, & inde à commerciis ſepoſitæ, vel quia in commerciis nunquam aliter quàm appendix alterius rei conſiderantur. (3) Sed & dum lex divina aut humana quasdam *actiones* extra commercium removit, ſeu pro mercede obire vetuit, pretium quoque iisdem detraxiſſe intelligitur. Sic quia *ſuperiores partes aëris* (4) *æther*, ac *cæleſtia corpora*, *vaſtusque Oceanus* à dominio humano ſunt exempta, nullum quoque pretium iisdem tribui poteſt. Sic *liberi capitis* nullum eſt pretium, quia liberi homines in commercium non veniunt. Sic *apricum Solis lumen*, *liquidus & pu-*

§. III. (1) Regula eſt; quæcunque res ad neceſſitatem tollendam, ad utilitatem aut delectationem aliquid confert, illa recipit precium.

(2) Exceptiones tàm ratione *rerum* quàm ratione *actionum* hic proponuntur.

(3) Vid. retrò *Cap. XII.* §. 4. & ibid. notata.

(4) Aëri tamen cenſum impoſuit Peſcennius niger, dictum ἀερικὸν. Vid. Caſaubon. *Nott. ad Sueton. in Peſcennio, p. m.* 227. *Edit. Pariſ.*

(5) Huc

rus aër, *amœna facies terræ*, quatenus oculos duntaxat paſcit, *ventus*, *umbra*, & ſimilia in ſe & ſeorſim conſiderata pretium non habent; cum homines talibus ſine uſu terræ frui nequeant. Quibus ipſis tamen magnum momentum ineſt circa augendum aut minuendum pretium regionum, fundorum, atque prædiorum. Sic illicitum eſt pretio addicere *actiones ſacras*, quibus effectus aliquis moralis ex inſtituto divino eſt aſſignatus; (5) quod crimen *Simoniam* vocant. Et improbe *juſtitiam venalem* habet judex. (6)

§. IV. Cauſæ autem, cur unius & ejusdem rei *pretium* (1) *intendatur vel remittatur*, quodque adeo una res alteri præferatur, licet hæc æqualem aut majorem uſum in vita humana videatur obtinere, ſunt variæ. Heic enim usque adeo *neceſſitas* rei aut *nobilitas* uſus primas ſemper non tenent, ut potius viliſſima eſſe cernamus, quibus vita humana minime carere poteſt: ideo quod non ſine ſingulari Dei providentia uberem eorum proventum natura profundat. Ad *intenſionem* igitur *pretii* in-

primis

(5) Huc referendæ v. gr. Indulgentiæ Pontificiæ.

(6) Habent quidem omnes hæ res & actiones pretium *ratione ſui*; ſed *non habent ratione nostri*. Indè etiam diſtinguere poſſes inter *pretioſitatem*, & inter *pretium*; Illam habent, non hoc, ſcil. ratione noſtri.

§. IV. (1) Diſtinctis ſcilicet temporibus.

primis facit *raritas*; quæ non parùm commendatur, ubi ex locis remotis res afferuntur. Inde *ambitioſa hominum luxuria* multis rebus, quibus vita humana commodiſſime carere poterat, enormia pretia poſuit; puta unionibus & gemmis. *Rerum* verò *quotidiani uſus* pretia potiſſimùm intenduntur, quando raritas earundem conjungitur cum *neceſſitate* ſeu indigentia. Pretia *rerum artificialium* præter raritatem maxime ſolent intendere *ſubtilitas* & *elegantia artis*, quam præ ſe ferunt, quandoque & *fama artificis*, nec non *operis difficultas*, *artificum* & operariorum *raritas*, & ſimilia. *Operarum* & *actionum* pretia intendit earundem *difficultas*, *dexteritas*, *utilitas*, *neceſſitas*; *agentium raritas*, *dignitas*, *libertas*; & denique ipſa *artis opinio*, nobilis an ignobilis illa habeatur. Contraria horum *pretium minuere* ſolent. Aliquando denique certa aliqua res, *non in univerſum*, *ſed à ſingulis*, magni æſtimatur *ex peculiari affectu*; puta quod ille, à quo iſta in nos profecta eſt, maximi à nobis fiat, exprimendoque ipſius affectui data ſit: aut quod eidem adſueverimus, aut quia inſignis caſus ſit monumentum, aut ejusdem ope magnum malum declinaverimus, aut quia à nobis metipſis confecta ſit. Quod ſolet vocari *pretium affectionis*.

§. V.

§. V. Aſt circa *definienda ſingularum rerum pretia* alia quoque conſiderari ſueverunt. Et inter eos quidem, qui in *Naturali libertate* invicem vivunt, rerum ſingularium pretia non aliter, quam contrahentium conventione, definiuntur. Quippe cum illis liberum ſit alienare aut adquirere, quæ velint; nec communem habeant dominum, qui eorum commercia moderetur. Aſt *in Civitatibus duplici modo* pretia rerum definiuntur; unô per decretum Superioris aut *per legem:* altero *per* communem *hominum æſtimationem* atque judicium, ſeu uſum fori, accedente conſenſu eorum, qui inter ſe contrahunt. Illud pretium aliqui ſolent vocare *legitimum*, hoc *vulgare.* (1) Ubi pretium legitimum *in gratiam emtorum* fuit conſtitutum, quod frequentius fit, non licebit venditoribus plus exigere; (2) etſi minus accipere, ſi velint, non prohibeantur. Sic ubi *mercès operarum* publicè ſit taxata *in gratiam eorum, qui conducunt*, operario non licet plus exigere, etſi idem non prohibeatur minus exigere.

§. VI.

§. V. (1) Non ſatis commodè; quia & ſupra §. II. alio ſenſu *vulgare* pretium habuimus. Rectius ergò *Pactitium* ſ. *Conventionale.*

(2) Aliquando lex certum rebus pretium ἐν ϛιγμῇ, i. e. in puncto conſtituit, Ariſtot. ap. Grot. *L. II. c.* 12. §. 14.

§. VI. (1)

§. VI. Enim vero vulgare (1) pretium, quod per leges non eſt taxatum, habet aliquam latitudinem intra quam plus minusve dari & accipi poteſt ac ſolet, prout inter contrahentes fuit conventum. (2) Quod tamen ferè ſequitur *uſum fori.* Ubi ſolet haberi ratio laborum & expenſarum, (3) quas mercatores communiter faciunt in mercibus adportandis & tractandis; nec non quö modô ematur aut vendatur, in magna quantitate, an minutatim. Subitò quoque interdum mutatur commune pretium ex copia aut paucitate ementium, pecuniæ, aut mercium. Nam paucitas ementium & pecuniæ (ex peculiari cauſa emergens) (4) & mercium abundantia pretium minuit: contrà emturientium & pecuniæ copia & mercium raritas pretium intendit. (5) Sic & ad minuendum pretium facit, ſi merx quærat emtorem: (6) contra intenditur pretium, ubi

§. VI. (1) Seu *pactitium.*

(2) Indulgendum hic aliquid ſolertiæ mercatoriæ. Conf. ſeq. *Cap. XV.* §§. 3. & 4.

(3) Neceſſariarum ſcilicet & utilium, ſolent autem ferè hodiè plurima in voluptates impendere, quarè in Repuspublicis benè ordinatis omninò coërceri deberent.

(4) V. gr. quando oneribus nimiis exhauriuntur ſubditi.

(5) V. gr. quando bellô compoſitô domum redeunt loculis benè inſtructis milites, pretia prædiorum ſolent ſubitò intendi.

(6) Si Circumforanei merces in domum adportant, & emtores conquirunt.

ubi venditor ultrò rogatur, aliàs non venditurus. Denique & illud ſolet attendi, paratam quis pecuniam offerat, an in diem ſolutionem differat; cum etiam dies ſit pars pretii.

§. VII. Cæterùm poſtquam à primæva ſimplicitate mortales deſciverunt, & varia quæſtus genera introduxerunt; facilè fuit deprehenſum, ſolum illud vulgare pretium non ſufficere expediendis hominum negotiis, & gliſcentibus commerciis. Nam tunc ſola permutatione commercia conſtabant, & operæ aliorum locati aliter, quam mutuâ operâ, aut re tradita, non poterant. Atqui poſtquam tàm varia deſiderare ad commoditatem aut voluptatem cœpimus, non ſane in proclivi fuerat cuivis ejusmodi res poſſidere, quas alter ſuis mutare vellet, aut quæ alterius rebus æquivalerent. Et in Civitatibus cultis, ubi cives variis ſtatibus diſtinguuntur, complura hominum genera dari neceſſum eſt, quæ, ſi ſimplex illa rerum & operarum permutatio vigeat, vitam plane non, aut ægrè, tueri queant. Hinc plerisque Gentibus, queis amplior vitæ cultus arridebat, viſum fuit, conventione quadam *pretium eminens* certæ rei imponere, ad quod cæterarum rerum pretia vulgaria exigerentur, & in quô eadem virtualiter contineren-

nerentur. Adeò ut interveniente illa re, quamlibet rem venalem quis ſibi comparare, & quævis commercia & Contractus commodè poſſet exercere.

§. VIII. Hunc ad finem pleriſque gentibus placuit adhibere *metalla* (1) nobiliora, & non admodum frequentia. Nam & illa ſubſtantiæ ſunt valde compactæ, ſic ut uſu non facile deteri queant, & diviſionem in plurimas minutas particulas admittant. Nec minus cuſtodiæ & tractationi eadem ſunt habilia; & propter raritatem multis aliis rebus æquivalere poſſunt. Etſi quandoque ex neceſſitate, & apud quasdam Gentes ex defectu metallorum, aliæ res (2) in vicem nummorum ſunt adhibitæ.

§. IX. In

§. VIII. (1) *Pretium in numerata pecunia conſiſtere debere*, ait Imperator §. 2. *Inſt. de Emt. vendit.* Disquiſitum fuit apud Romanos, *an eſſet Emtio Venditio, ſi res pro re traderetur?* Affirmabant JCti Sabinus & Caſſius, negabant Nerva & Proculus, docentes: *In ſolutum* quidem dari poſſe res pro rebus, certô prius pretiô conſtitutô; ſed in rebus non conſiſtere precium, ne permutatio cum Emtione Venditione confunderetur. Et hanc poſteriorem ſententiam adprobavit Imperator *d. l.*

(2) Fridericus II. Imperator, cum A. 1217. Faventiam obſideret, & pecuniâ deſtitueretur, coriaceum nummum cudi juſſit, impoſito ei pretio valoris aurei Auguſtalis. Collenut. *L. IV. Hiſtor. Neapol. p.* 138. Ann. Robert. *L. I. Rer. judicat. c.* 16. Sic & Johannis Valeſii, Gall. R. Temporibus, Galliâ propter bella Anglica ad extremam inopiam redactâ, corio, cui modicum argenti infixum, pecuniæ locô uſa eſt. Phil. Cominæus, *Comment. L. X.*

§. IX. (1)

§.IX. In Civitatibus porrò *valorem* (1) *nummi definire* eſt penes Sum̃os Imperantes, & indè publica ſigna eidem ſolent imprimi. Eſt tamen in eo definiendo reſpicienda communis Gentium vicinarum, aut quibus cum nobis commercia exercentur, æſtimatio. Aliàs enim, ſi nimis magnum nummis ſuis valorem poſuerit Civitas, aut ſi materiam eorum ritè non temperaverit, commercia civium ſuorum cum extraneis, quæ quidem ſola rerum permutatione abſolvi non poſſunt, valde ſufflaminabit. Et ob eam ipſam cauſam non temerè in valore nummorum fieri debet mutatio, niſi ſumma reip. neceſſitas id exigat. Etſi, gliſcente auri argentique copia, paulatim nummorum valor in comparatione ad pretium fundorum, & quæ inde dependent, ſoleat velut ultro decreſcere.

§. IX. (1) Scilicet *extrinſecum*, & certo modo etiam *intrinſecum*.

CAPUT

CAPUT XV.

DE CONTRACTIBUS, QUI PRETIA RERUM PRÆSUPPONUNT, ET FLUENTIBUS INDE OFFICIIS.

§. 1. Pactorum & Contractuum diſcrimen.
§. 2. *Diviſio* Contractuum in beneficos & oneroſos.
§. 3. Præcipua in oneroſis lex, ut ſervetur æqualitas.
§. 4. Ea quoque poſt contractum celebratum quærenda.
§. 5. *Benefici* ſunt Mandatum;
§. 6. Commodatum;
§. 7. Depoſitum.
§. 8. *Oneroſi* ſunt Permutatio;
§. 9. Emtio Venditio;
§. 10. Locatio conductio;
§. 11. Mutuum;
§. 12. Societas.
§. 13. Contractus *in alea conſiſtentes*.
§. 14. Contractuum *acceſſiones* Fidejuſſores.
§. 15. Pignora & hypothecæ.
§. 16. De Officiis circa Contractus monitum.

§. I.

Pactum in genere eſt conſenſus & conventio duorum pluriumve in idem placitum. Sed quia frequenter ſimplicia *Pacta Contractibus contradiſtinguuntur*, id *diſcrimen* in hoc potiſſimum videtur conſiſtere, quod *Contractus* vocentur Pacta, *quæ circa res & actiones in commercium venientes verſantur*, adeoque dominia & pretia rerum præſupponunt:

 ſed

ſed quæ circa alia ineuntur conventiones, communi Pactorum vocabulo inſigniuntur. (1) Etſi ex hiſce quibusdam promiſcuè Pactorum & Contractuum nomen tribuatur. *

§. II. Contractus dividi poſſunt in *beneficos & oneroſos.* (1) Illi alteri contrahentium parti gratis commodum aliquod afferunt; uti eſt *Mandatum, Commodatum, Depoſitum.* (2) Hi utramque partem ad æquale

§. I. (1) Ita quidem ſe res habet ex diſpoſitione LL. Civilium, quamvis non perpetuò. Nam objecta *Pactorum Legitimorum*, item *Adjectorum* ſunt etiam *res in commercium venientes*, quin ipſæ *Donationes* LL. Romanis ad Pacta referuntur. Imò quis negaverit, Gentes circa ejusmodi res Pacta erigere poſſe. Diſcrimen igitur inter Pacta & Contractus ſolis Romanis adſcribendum videtur, qui, dum Pactis ſimplicibus detraherent obligationem, ſcil. ad agendum, licet ad excipiendum valida haberint, certas formulas & modos *Contractuum* nomine conſtituerunt, quibus opus eſſet, ſi quis utique firmiter ſe obligare vellet. Indè apparet, foro Romano proprium hoc fuiſſe vocabulum, in ſe non ſatis Latinum; quæ etiam ratio eſt, quod apud Claſſicos Autores non reperitur. Porrò, Contractûs eſſe recentius Romanorum inventum, & indè patet, quia *in ff. & C. Tit. de Pactis* toties dicitur, quod Pacta producant Obligationem & Actionem. Loquuntur enim Textûs de temporibus antiquioribus, antequam ſcilicet diſcrimen inter Pacta & Contractus eſſet cognitum. Conf. Vinnius, *de Pactis c. VII.* §. 3.

* Grot. *toto cap.* 12. *Lib. II.*

§. II. (1) Diviſio Contractuum Juris Civilis in *Reales*, *Verbales*, *Literales*, *Conſenſuales* Juri Naturali incognita eſt, & per hoc omnes ſunt *Conſenſuales*.

(2) Addi poteſt & *donatio*, quam ex hypotheſi Juris Romani

le onus adſtringunt, quippe in quibus eo fine præſtatur aut datur aliquid, ut tantundem recipiatur.

§. III. Habent autem hoc omnes Contractus oneroſi, ut in illis verſari *æqualitas* debeat, ſeu ut uterque contrahentium tantundem nanciſcatur: & ubi inæqualitas intervenerit, alteri, qui minus accepit, naſcatur jus ad poſtulandum, ut ſuppleatur, quod ſibi deeſt, aut ad contractum planè abrumpendum. Id quod tamen in Civitatibus potiſſimum obtinet, ubi uſu fori, aut lege, pretia rerum definiuntur. (1) Ad hanc autem æqualitatem inveniendam & determinandam requiritur, ut utrique contrahentium *res* ipſa, circa quam contrahitur, cum ejus qualitatibus, quæ aliquod momentum heic habent, *ſit cognita*. Unde &, qui per Contractum rem in alterum eſt tranſlaturus, indicare debet non ſolum qualitates rei æſtimabiles, ſed & earundem privationes & vitia. Citra hoc enim juſtum pretium conſtitui nequit. Etſi illas circumſtantias, quæ per ſe rem non contingunt, indicare non ſit neceſſum. Vitia autem utrinque jam nota (2) non opus eſt indicari. Et

O 2 qui

mani, quo non ad Contractus, ſed ad Pacta refertur, omiſit.

§. III. (1) Vid. Cap. præced. §. 5.

(2) Item in ſenſus incurrentia.

§. IV. (1)

qui ſciens vitioſi quid comparat, habet quod ſibi imputet.

§. IV. Eò usque autem in hiſce contractibus æqualitas eſt adhibenda, ut licet nihil diſſimulatum ſit, tamen, ſi poſtea inæqualitas deprehendatur, etiam citra culpam contrahentium, puta, quia vitium latebat, aut in pretio eſt erratum, ea corrigenda ſit, & demendum ei, qui plus habet, addendumque minus habenti. Etſi, ad declinandam multitudinem litium leges civiles vix aliis quàm enormibus læſionibus heic medeantur (1) de cætero quemque rerum ſuarum ſatagere jubeant.

§. V. *Contractus benefici* ſunt præcipue tres, Mandatum, Commodatum, & Depoſitum. *Mandatum* eſt, quando quis gratis (1) alterius negotia ipſo requirente & committente expedienda ſuſcipit. Idque contingit *duplici ratione*; vel ut præſcribatur ipſi modus rei expediendæ (2) vel ut is ejusdem judicio

§. IV. (1) Ita LL. Romanis tum demum, ſi quis *ultra dimidium* fuerit læſus, *l. 2. C. de reſcind. vendit.* id quod non ab re plus juſto indultum nonnullis videtur, dum potuiſſet ad quartam vel tertiam partem læſionis licentia determinari. Interim tamen id ſine fraude fieri volunt LL. Romanæ, & læſionis ex dolo factæ quantumvis minimæ reparationem injungunt.

§. V. (1) Aliàs enim eſſet *Locatio Conductio*. §. *ult. Inſtit. de Mandat.*

(2) Scil. in Mandato *Speciali*.

(3) In

dicio ac dexteritati relinquatur. (3) In hoc Contractu uti ſumma cum fide & induſtria verſandum eſt (4) mandatario, quippè cum nemo fere niſi amico, & de quo optime ſentit, mandet: ita contra mandatarius indemnis præſtari debet à ſumtibus in rem ſibi commiſſam factis: nec non à damnis, in quæ ex cauſa Mandati incidit, & quæ propriè ex ipſa re mandata profluxerunt.

§. VI. *Commodatum* eſt, quo rei noſtræ uſum alicui gratis (1) concedimus. In quo obſervandum, ut quis eandem rem ſolicite & ſumma cum diligentia ſervet, tractetque: (2) neque ipſam ad alios uſus adhibeat, aut ulterius, quam commodans conceſſit: ac illæſam, & prout accepta fuit, reſtituat, niſi quantum per ordinarium uſum eidem deceſſit. Quod ſi res ad certum tempus fuerit conceſſa, & interea dominus eâdem valdè indigere incipiat, ex caſu aliquo tempore commodationis factæ non præviſo, repetenti eadem citra tergiverſationem erit reſtituen-

(3) In Mandato *Generali*, maximè *cum liberâ.*

(4) Conſentiunt LL. Romanæ, quibus Mandatarius regulariter ad *Culpam leviſſimam* tenetur. *l.* 13. *l.* 21. *C. Mandati.*

§. VI. (1) Alias, ſi pro *mercede*, fieret itidem *Locatio Conductio.* Differt tamen à Precario, quia hoc quandocunque revocari poteſt; Commodatum non niſi finitô uſu.

(2) Conſentiunt LL. Romanæ, quippe præſtationem *Culpæ leviſſimæ* exigentes, *l.* 1. §. 4. *ff. de Oblig. & Action.*

(3) Id

tuenda. (3) Quod ſi autem res comodata caſu fortuitô & improviſo citra omnem Commodatarii culpam perierit, ejus æſtimatio non erit ſolvenda, ubi eadem apud dominum quoque peritura fuerat. (4) Aliàs æquum videtur, Commodatarium æſtimationem rei præſtare, quippè quam dominus amiſſurus non fuerat, ni adverſus alterum benignus fuiſſet. Vice verſa; ſi quid utilium aut neceſſariarum impenſarum in rem commodatam factum ſit extra eas, quæ aliàs uſum rei regulariter comitantur, id à domino refundendum erit.

§. VII. *Depoſitum* eſt, quo rem noſtram, aut ad nos quocunque modo ſpectantem, alterius fidei committimus, ut eandem gratis (1) cuſtodiat. In quo requiritur, ut res concredita diligenter cuſtodiatur, (2) &, quan-

(3) Id quidem ſuadet humanitas, Grot. *J. B. & P. Lib. II. c.* 16. §. 27. ſed jure ſtrictô exigere dominus non poteſt, quia Commodatum non niſi finitô demum uſu revocari poteſt, Loquor de Iure Naturali; cum Civili Jure à Doctoribus aliter & in hoc & in Locationis Contractu pronunciari ſoleat. Vid. Lauterbach, Brunneman. & alios, ad *Tit. ff. de Commodat.*

(4) Hæc, & quæ ſequuntur, admitti non poſſunt Res regulariter perit ſuo domino; imò Culpa nulla Commodatarii intervenit; ſed res ad Caſum ſpectat, in quem Commodans conſenſiſſe cenſetur.

§. VII. (1) Nam, acceptâ mercede fit Locatio Conductio.

(2) Leges Romanæ regulariter non niſi *latam culpam* præſtari volunt à Depoſitario. §. 3. *Inſt. quib. mod. re contrah. Oblig.*

quandocunque Deponenti placuerit, reſtituatur; niſi ea reſtitutio domino aut aliis noxia ſit futura, (3) eoque intuitu differenda ſit. Neque licebit re depoſita citra conſenſum domini (4) uti, ſi quidem ea ullô modô per uſum fiat deterior, aut domini interſit, ne ea conſpiciatur. Ac ſi quis hoc auſus fuerit, quævis pericula, in quæ res ob uſum incidit, præſtabit. Sed nec licet rem depoſitam exuere illis vinculis aut receptaculis, quibus à Deponente fuit incluſa. Cum autem valde turpe ſit, & fœdius furtô, depoſitum abnegare; tum id multo eſt turpius, ſi quis inficiatus fuerit *depoſitum miſerabile*, ſeu quod ob periculum incendii, ruinæ, tumultus deponitur. (5) Viciſſim à Deponente ſumtus in rem depoſitam facti ſunt refundendi. (6)

§. IIX. Inter *Contractus oneroſos* antiquiſſimus fere, & quo ſolo ante inventum

 num-

Oblig. Abſtrahendo autem ab hiſce rectius videtur, ſi ſaltim de *levi* etiam *culpâ* eum teneri dicamus. Non enim niſi apud amicum rem noſtram deponimus, ex ſingulari fiduciâ, cui utique etiam apud hunc in re cuſtodiendâ ſingularis cura reſpondere debet.

(3) Ex. gr. Si furioſus gladium depoſitum poſceret.

(4) Quod ferè fieri ſolet in rebus fungibilibus. Doctores tale Depoſitum vocant *irregulare*. Vid. *l.* 24. 25. *ff. Depoſit. l.* 31. *ff. locat.*

(5) Vid §. 17. *Inſt. de Action. l.* 1. §. 1. & 4. *ff. Depoſit.*

(6) Et poteſt tantiſper, donec eos receperit, Depoſitarius rem retinere. Concordat Jus Romanum, *l.* 23. *ff. l. penult. C. depoſit.*

§. IX. (1)

nummum commercia expediebantur, eſt *Permutatio*, qua utrinque res pro re æquivalente datur. Etſi & hodie poſt inventam pecuniam, inter mercatores cumprimis, uſitatum ſit genus permutationis, quo non ſimpliciter res inter ſe comparantur, ſed prius pecunia taxantur, & deindè loco pecuniæ invicem traduntur. Diverſum tamen negotii genus à Contractu Permutationis eſt *reciproca donatio*, in qua, ut æqualitas obſervetur, neceſſum non eſt.

§. IX. *Emtio Venditio* eſt, quâ pro pecunia rei alicujus dominium, aut eidem æquipollens jus, (1) adquiritur. Ejus ſimpliciſſimum genus eſt, ſi, ubi in pretium fuit conſenſum, emtor ſtatim pretium, venditor mercem offerat, tradatque. Frequenter tamen ita convenitur, ut merx quidem ſtatim tradatur, pretium autem poſt certum intervallum ſit ſolvendum. (2) Aliquando ſuper pretio quidem convenitur, ſed ut traditio rei ſeu mercis ad certum terminum debeat fieri. Ubi æquitati conveniens videtur, ut ante elapſum eum terminum res ſit periculô venditoris, (3) ſed ſi poſt eum elapſum, emtor in mora

§. IX. (1) V. gr. bonæ fidei poſſeſſio.

(2) Et interea Venditor Emtoris fidem ſequatur. §. 41. *Inſt. de rer. diviſ.*

(3) Quia Jure Naturali dominia acquiruntur etiam ſine traditione, ſimplicibus pactis; & res regulariter perit ſuo domino;

mora fuerit, quò minus eam ſibi tradi curarit, emtori deinceps res peribit. Solent & Emtionis Venditionis contractui varia pacta adjici, uti eſt, *Addictio in diem*, quâ res ita venditur, ut liceat venditori meliorem conditionem, ab altero intra certum tempus oblatam acceptare. (4) Item *Lex Commiſſoria*, quando ita convenit, ut, ſi ad certum diem pretium non ſolvatur, res ſit inemta: (5) item *Retractus* ſeu *Pactum de retrovendendo*, quod vel ita concipitur, (6) ut, ſi pretium intra certum tempus, aut quandocunque offeratur, Emtor rem teneatur Venditori reſtituere; vel ut, ſi res offeratur, Venditor pretium teneatur reſtituere, (7) vel ut, ſi emtor ultrò ſit iterum venditurus, prior Venditor ad emendum præ cæteris admittatur: quod etiam dicitur *Jus Protimiſeos.* (8) Sic & frequens eſt, ut ex prædiis venditis aliquam ſibi parti-

 culam,

mino; idcirco hoc in caſu aliter pronunciandum, maximè, ſi vi acquiſiti ex pacto dominii etiam omne emolumentum ex re emtá ad Emtorem pertinet. Et ſic decidunt LL. Romanæ §. 3. *Inſt. de emt. vendit. l. 7. ff. de peric. & commod. rei vendit.*

(4) Vid. *tot. tit. ff. de Addict. in diem.*

(5) Vid. *l. 2. & 4. pr. ff. de leg. Commiſſor.* Aliud exemplum legis Commiſſoriæ in Pignore occurret infra, §. 15. *h. Cap.*

(6) In gratiam Venditoris, propriè der Wiederkauff / Conf. *l. 2. C. de Pact. int. Emt. & vendit.*

(7) In gratiam Emtoris.

(8) Hoc iterum in gratiam Venditoris.

(9) Vul-

culam, aut certum ejus uſum *recipiat* Venditor. (9) Eſt quoque Emtionis genus, quod vocant *per averſionem*, (10) quando multæ res diſparis pretii non ſigillatim æſtimatæ, ſed conjunctim & velut confusè taxatæ, emuntur. In eo modo Venditionis, quæ vocatur *Auctio*, res demum illi addicitur, qui ex pluribus licitantibus plurimum obtulerit. Eſt denique & genus emtionis, quô non certa res, ſed probabilis tantum *ſpes* emitur; (11) cui aleæ quid eſt admixtum: ſic ut neque emtor, ſi ſpes feſellerit, neque venditor, ſi ea multum ſupra fuerit, queri debeat.

§. X. *Locatio conductio* eſt, quâ pro mercede alicui uſus rei, aut opera, addicitur. In qua licet regulariter in anteceſſum de mercede conveniri ſoleat; tamen ſi quis citra definitam prius mercedem alteri operam aut uſum ſuæ rei addixerit, cenſetur id expectare, quantum communis uſus, aut conductoris æquitas, (1) tulerit. Circa hunc Contractum obſervandum, ſi res locata planè perierit, ex eô tempore Conductorem ad mercedem ſeu

(9) Vulgo der Vorbehalt/ oder leere Auszug.

(10) Aliàs *Venditio ad corpus*. V. gr. ſi integram Bibliothecam alicui vendo. Huic venditionis modo opponitur *Venditio ad menſuram*.

(11) Talis eſt Emtio fructuum adhuc immaturorum, aliorumque incertorum redituum.

§. X. (1) Aut, in Civitatibus, Lex Civilis determinaverit.

(2) Eſt

ſeu penſionem non amplius teneri. (2) Quod ſi res locata certum ac definitum habeat uſum, uti dominus eam præſtare debet, quô ei uſui ſit idonea: ita ſi illa detrimenti quid ceperit, Conductor de penſione detrahit, quantum uſui rei deceſſerit. (3) Sed ſi rei locatæ proventus ſit incertus, & aliquid aleæ contineat; uti exuberans proventus Conductoris lucro, ita malignus ejusdem damno eſt: nec ſtrictô jure de penſione ob ſterilitatem quidquam detrahendum: præſertim cum unius anni ſterilitas alterius ubertate ſoleat penſari. (4) Niſi caſus, qui proventum interceperint, rariores fuerint, & de quarum alea in ſe ſuſcipienda Conductor non cogitaſſe præſumitur. (5) Hos enim ad penſionem minuendam aut remittendam valere utique æquum eſt. Cæterùm uti, qui rem aliquam alteri locavit, præſtare tenetur, ut ipſa uſui ſit habilis, impenſasque ne-

(2) Eſt enim penſio propter uſum, quô ceſſante ceſſat & penſio.

(3) V. gr. Conduxi duo muſæa; unum corruit; ad penſionem pro eô promiſſam non teneor.

(4) Procedit hoc in Conductione hortorum, agrorum, & ſimilium, ubi proventus incerti.

(5) Intelliguntur Caſus *inſolitiſſimi*, quos eleganter Gajus JCtus *l. 25. §. 6. ff. Locat. Conduct.* per Θεῶ βίαν, per *vim divinam* exprimit, & de iis pronunciat, quod ejusmodi vis major non debeat Conductori damnoſa eſſe, ſi plus quàm tolerabile eſt, fructûs eâ læſi fuerint.

(6) Ergò

neceſſarias tolerare: ita Conductor ad boni patrisfamilias modum eâdem uti, & quæ ipſius culpâ perdita fuerunt, reſtituere debet. Et qui opus faciendum conduxit, (6) quod ſuâ culpâ corruptum eſt, itidem præſtat. Qui momentaneam ſuam operam alicui locavit, ubi eam quocunque caſu præſtare impeditus fuerit, mercedem petere non poteſt. (7) Sed qui continuam alicujus operam conduxit, ubi is morbo aut alio caſu per modicum tempus ad operam inutilis fuerit factus, inhumaniter ipſum vel plane ſua functione dejicit, vel de penſione quid eidem detrahit. (8)

§. XI. In Contractu *Mutui* datur alicui res fungibilis ea lege, ut is poſt intervallum idem genus reddat in eadem quantitate & qualitate. Vocantur autem res, quæ mutuo ſolent dari, *fungibiles*, ſeu quæ functionem in ſuo genere recipiunt, (1) ideo, quia quodlibet ex iſto genere vicem alterius ita ſubire

(6) Ergò objectum hujus Contractûs ſunt non tantum *res*, ſed & *opera* & *operæ*. Poteſt autem fieri, ut in uno eodemque negotio diverſis reſpectibus aliquis ſit & Conductor & Locator, ubi nimirum objectum ſunt *opus* & *Operæ*. V. gr. Sartor à me *conducit opus*, ſcil. veſtem conficiendam, & dum eam conficit, *operas* mihi *locat*.

(7) V. gr. ſi cujus operam conduco ad literas in alium locum perferendas.

(8) Sic iniquum eſſet, ſi famulo mercenario ordinario de mercede aliquid detrahere velimus, ubi per aliquot dies ægrotet.

§. XI. (1) Ita loquitur JCtus, in *l. 2. §. 1. ff. de Reb. credit.*

(2) *Pr.*

ſubire poteſt, ut, qui ex eodem genere, eâdem quantitate & qualitate, receperit, idem, quod dedit, recepiſſe dicatur. Eædem quoque res pondere, numero & menſura determinantur, & ſpecificantur: (2) quo reſpectu etiam *quantitates* ſolent adpellari ſpeciebus contradiſtinctæ. Cæterum datur aliquid mutuo vel gratis, ita ut non plus, quam datum fuit, recipiatur; vel cum aliquo emolumento, quod *uſuræ* vocabulo inſignitur. Quæ nihil habet Naturali Juri repugnans, (3) ſiquidem fuerit modica, & reſpondens lucro, quod alter ex pecunia, aut alia re credita, facit; meoque damno, aut lucro ceſſanti, quod ex abſentia rei meæ capio: & ubi non exigatur ab hominibus tenuibus, apud quos mutuum vicem eleemoſynæ ſubit. (4)

§. XII. In Contractu *Societatis*, duo pluresve inter ſe pecuniam, res, aut operas conferunt eo fine, ut, quod inde redit lucri, inter ſingulos pro rata dividatur; &, ſi quid damni capiatur; id ſimili modo à ſingulis pro

(2) *Pr. Inſtit. Quibus mod. re contrah. obligat.*

(3) Quod quidem etiam novioribus temporibus Theologis nonnullis, præcipuè è Reformatis viſum, deceptis inter alia dictis *Exod. XXII.* 25. *Levit. XXV.* 36. *Deuteron. XXIII.* 19. non rectè intellectis.

(4) Jure Romano regulariter ex Mutuo non debetur, niſi (1) à tempore moræ, & (2) quando expreſsè de uſuris conventum.

§. XII. (1)

pro rata feratur. (1) In qua Societate uti officii eſt fidem & induſtriam adhibere; (2) ita ex illa intempeſtive & in fraudem Socii diſcedi non debet. Cæterum Societate ſoluta quilibet poſt detractum lucrum aut damnum, quantum intulit, recipit. Quod ſi autem unus pecuniam aut rem, alter operam, (3) contulerit, videndum eſt, quomodo facta ſit collatio. Quando enim alterius opera tantum verſatur circa iſtius pecuniam aut rem tractandam aut diſtrahendam, (4) partes lucri ita definiuntur, prout ſeſe pecuniæ aut rei emolumentum ad precium operæ habet, & Sors ſalva eſt ac perit ei, qui contulit.

§. XII. (1) Dicitur hæc ſocietas aliàs *Conventionalis*; cui oppoſita *incidens*, quando duo pluresve incidenter quaſi, & non ſuâ ſponte in ſocietatem ſeu communionem perveniunt, v. gr. Cohæredes, Collegatarii, &c.

(2) Id eſt talem, qualem ſolet diligens paterfamilias; & indè tenetur ad *culpam levem*. Utriusque enim ſociorum gratia contrahitur *l. 5. §. 2. ff. Commodat.* Idcirco, qui parum diligentem ſocium ſibi adſumit, ſibi id imputare debet, *§. fin. Inſt. de Societat.*

(3) Sæpè enim opera pro pecunia valet, ait Imperator, *§. 2. Inſt. de Societ.* quia non raro accidit, ut aliquis res aut pecuniam habeat; ſed commercia non intelligit, quo in caſu commerciorum periti opera tantum vel pluris æſtimanda, quàm res & ſors alterius.

(4) Eſt utique magnum diſcrimen in his, an opera tantum ad tractandam & diſtrahendam rem, an vero etiam ad meliorandam adhibeatur, quos Caſus Autor rectè diſcernit. Poſterior enim opera longe majoris momenti eſt, quàm prior.

(5) Con-

tulit. Quando autem opera impenditur ad meliorandam rem ab altero collatam, iſte pro ratione meliorationis in ipſa quoque re partem habere intelligitur. (5) Aſt ubi *omnium bonorum Societas* eſt inita, (6) ſinguli Socii uti, quæ lucrantur, fideliter conferre debent; ita contra ex communi maſſa pro ratione conditionis ſuæ ſinguli ſuſtentandi. (7) Solutâ autem Societate diviſio bonorum fit pro ratione eorum, quæ ſinguli in Societatem initio intulerunt; non attendendo, per cujus bona Societati lucrum aut damnum provenerit; (8) niſi aliter ſit conventum.

§. XIII. Dantur quoque complures *Contractus, qui aleam continent.* Quos inter referre

(5) Contingit hoc, quando ſocius operam conferens ex rudi materiâ ſpeciem, v. gr. ex lanâ pileos, tibialia &c. conficit, **wenn er eine** Manufactur **anleget**; ubi meritò non tantum in lucro, ſed & in re partem habere intelligitur.

(6) Dicitur hæc *generalis*; & *ſpecialis* huic oppoſita eſt, quando ſocii tantum *certas res* propter ulteriorem quæſtum in ſocietatem conferunt.

(7) Non habetur quidem hic ratio Sortis vel quantitatis in Societatem collatæ; neque tamen etiam cuilibet tantùm pro ratione conditionis petere licet, ſed potius ſingulis ſociis ex lucro & communi maſſa partes æquales porrigendæ ſunt.

(8) Poſſet enim evenire, ut, ſi Titius mille contulit, & totidem Cajus: ſors hujus planè pereat; & illius in lucrando ſit feliciſſima. Hoc tamen non obſtante, ex lucro communi æqua pars Cajo debebitur.

§. XIII. (1)

referre poſſis *Sponſiones*, (1) quando eventûs alicujus nondum utrinq; notorii exiſtentiam alter affirmat, alter negat, certo pretiô utrinque depoſitô, quod illi cedat, cujus aſſertioni eventus congruere deprehenſus fuerit. Huc pertinent omnia *ludorum genera*, in quibus alquô pretiô certatur. Inter quos tamen minus aleæ habent, qui certamen ingenii, dexteritatis, ſolertiæ, aut roboris continent. In quibusdam ingenium & alea pari vigore ſeſe exerit. In aliis denique alea prædominatur. Etſi Rectorum civitatis ſit diſpicere, quousque ex uſu publico aut ſingulorum ſit, ejusmodi Contractus tolerari. Huc ſpectat *Lotaria*, quando plures de re, quam collatitiâ pecuniâ emunt, poſt ſorte decernunt, qui ſoli ea tota (2) debeat cedere. Item *Olla fortunæ*, quando dejectô in urnam certó teſſerarum ſeu ſchedularum inſcriptarum & inanium numero, pretio redimitur facultas easdem extrahendi, ita ut extrahens

id

§. XIII. (1) Alia acceptio Sponſionum occurrit infrà, *L:* 11. *c.* 17. §. 8.

(2) Non ea ſola Lotariæ ſpecies eſt: ſed & aliis modis fieri ſuevit. Ex. gr. Conſentiunt plures in certam quantitatem ſeu ſummam à ſe conferendam; eam deinceps in partes inæquales majores & minores dividunt, non tamen tot, quot erant conferentes; & poſt ſorte decernunt, quibus ſingulæ portiones cedere debeant. Solet etiam interdum de tota Quantitate pars aliqua deſtinari ad publicos usûs, vel ad pias cauſas.

(3) Dici-

id accipiat, quod illarum inſcriptio præ ſe fert. Hiſce Contractibus affinis eſt *Aſſecuratio*, ſeu Contractus periculi avertendi & præſtandi, quô quis certâ pecuniâ acceptâ in (3) ſe ſuſcipit, & præſtat pericula, quæ ſubituræ ſunt merces in alia loca transportandæ; (4) ita ut ſi has interire contigerit, Aſſecurator earundem pretium domino reſtituere teneatur.

§. XIV. Ad majorem firmitatem & ſecuritatem Contractibus frequenter ſolent adjici *Fidejuſſiones & Pignora.* * *In Fidejuſſione* alius homo, qui Creditori idoneus judicatur, principalis Debitoris obligationem, velut in ſubſidium in ſe ſuſcipit, ita ut niſi iſte ſolvat, hic ipſius vices ſubeat; ut tamen, quod erogavit, à principali Debitore ipſi refundi debeat. Etſi autem ad majorem ſummam Fidejuſſor, quam Debitor principalis, teneri non poſſit, non tamen repugnat, iſtum, quam hunc, arctius teneri, (1) quippe cum huic plus, quam illi, fidei fuerit habitum. Naturaliter tamen principalis Debitor prius, quam

P Fide-

(3) Dicitur *periculi precium*, *l.* 5. *ff. de Naut. fœnor.*

(4) Imprimis *trajectitiæ*, ſeu trans mare vehendæ, non tantùm tempeſtatum periculo, ſed & piratarum inſidiis expoſitæ.

* Grot. *Lib. III. c.* 20. §. 59.

§. XIV. (1) Fidejuſſor non tenetur ad *majus* nominaliter: tenetur tamen *magis* adverbialiter.

(2) Novo

Fidejuſſor, eſt appellandus, (2) niſi hic iſtius obligationem plane in ſe receperit; qui *Expromiſſor* (3) vocari ſolet. Quod ſi plures pro uno fidejuſſerint, pro rata duntaxat erunt ſinguli conveniendi. (4) niſi forte quis eorum ſolvendo non ſit, aut ejusdem conveniendi non detur facultas. Tunc enim reliqui hujus portione onerabuntur. (5)

§. XV. Sæpe quoque ſolet Creditori in ſecuritatem crediti tradi aut aſſignari à debitore certa quæpiam res, *Pignoris* aut *Hypothecæ* (1) nomine, quousque iſtud fuerit exſolutum. Cujus finis eſt non ſolum, ut Debitor ad ſolvendum urgeatur, deſiderio rei ſuæ recuperandæ; ſed &, ut in promtu ſit Creditori, unde ſibi ſolvatur. Inde & regulariter Pignora tanti aut majoris eſſe ſolent, quam ipſum debi-

(2) Novo etiam jure LL. Romanarum excutiendus primò debitor principalis. *Novell.* 4. *c.* 1. quod dicitur *Beneficium Ordinis.*

(3) Vulgò ein Selbſt-Schuldner *l. ult. ff. ad SCtum Macedon.* Aliquando tamen in LL. Romanis hæc vox Fidejuſſoris Synonymon eſt. §. 41. *Inſt. de Rer. Diviſ. l.* 53. *ff. de Contrah. emt. l.* 4. §. 3. *ff. de Re Judicat.*

(4) Secus Jure Romano, quo Fidejuſſores, quia ſunt correpromittendi, tenentur ſinguli in ſolidum. §. 4. *Inſt. de Fidejuſſor.* Juvantur tamen per Epiſtolam Divi Hadriani, & inde habent *Beneficium Diviſionis, eôd.*

(5) *Hoc cæteros onerat*, inquit Imperator. *d.* §. 4.

§. XV. (1) Jure Romano Pignus peculiaris Contractuum Species eſt; ſed ſecundum ſimplicitatem Juris Naturalis rectius ad firmamenta Pactorum vel Contractuum refertur.

(2) Vid.

debitum. Cæterum res, quæ pignori opponuntur, ſunt vel *fructuoſæ*, vel *ſteriles*. Circa priores ſæpe adjici ſolet pactum ἀντιχρήσεως, (2) ſeu ut Creditor loco uſuræ fructus iſtius pignoris percipiat; circa poſteriores autem Lex *Commiſſoria*, (3) ut nempe pignus cedat Creditori, ubi intra certum tempus ſolutio non ſit facta. Id quod naturaliter (4) iniquum non eſt, ubi pignus pluris non eſt, quam debitum, & uſuræ intermedii temporis; aut ſi, quod excedit, domino reſtituatur. Uti autem Creditor Pignus ſolutione facta debet reſtituere: ita interea non minorem, quam propriis rebus, illi cuſtodiam debet: (5) & ubi pactum antichreticum non acceſſerit, ſitque talis res, quæ uſu atteratur; aut ſi Debitoris ullo modo interſit, invito hoc eâdem uti non poteſt. Differt hypotheca à Pignore, quod hoc conſtituatur rei traditione; illa autem re non tradita conſtat nuda aſſignatione rei inprimis immobilis, ex qua, ſolutione

(2) Vid. *l. 17. C. de Uſur.*

(3) Alia acceptio legis Commiſſoriæ invenitur §. *praced. IX.*

(4) Jure enim Civili hoc prohibitum, propter metum uſurariæ pravitatis, *l. ult. C. de pactis pignor.* Conf. tamen *l. 24. §. 2. ff. de pignoratit. act.*

(5) Tenetur ad *levem culpam*, quia utriusque gratiâ datur; Debitoris, quò magis pecunia ei credatur; & Creditoris, quò magis ei in tuto ſit Creditum. *§. fin. Inſt. Quib. mod. re contrah. oblig.*

ne non factâ, Creditor ſuo credito potiri queat. (6)

§. XVI. Cæterum quænam Contrahentium ſint Officia, ex fine & natura horum Contractuum liquidò apparet.

(6) Plura præterea ſunt Contractuum & Conventionum Firmamenta v. gr. Jusjurandum, obſides &c. quæ præcipuè in negotiis Gentium adhiberi ſolent. Vid. infra *L.* 11. *c.* 16. §. *fin.* &, quæ dicta ad *L.* 1. *c.* 5. §. 15.

CAPUT XVI.
DE
MODIS, QUIBUS SOLVANTUR OBLIGATIONES, QUÆ EX PACTIS ORIUNTUR.

§. 1. Solvũntur obligationes, Expletione;
§. 2. Compenſatione;
§. 3. Condonatione;
§. 4. Mutuo diſſenſu;
§. 5. Alterius partis perfidia;
§. 6. Status mutatione;
§. 7. Tempore;
§. 8. Morte & rei interitu;
§. 9. Delegatione;

§. I.

INter modos ſolvendi (1) Obligationes ex Pactis oriundas, quibusque adeò Officia inde promanantia plenè expirant, maxime naturalis eſt *Expletio* aut ſolutio *ejus, de quo fuit conventum.* Ubi licet regulariter

§. I (1) Usque adhuc egimus de Pactis *obligatoriis*; jam quoque de *liberatoriis* videndum eſt.

(2) *Nihil*

ter *is qui debet*, ſolvere teneatur; tamen ſi præſtatio fiat ab alio nomine ejus, qui obligationem contraxit, hæc diſſolvitur; (2) ſiquidem aliàs nihil interſit, abs quo expletio fiat: (3) Ita tamen ut, qui pro altero animo non donandi ſolvit, (4) ab hoc quod erogavit, repetere queat. Solvendum præterea *ei*, *cui debetur*, (5) aut quem hic delegavit, ut ipſius nomine debitum recipiat. Et denique *illud ipſum* præſtandum aut ſolvendum, de quo conventum fuit, non aliud ejus loco; integrum, non mutilum; non pars duntaxat, non diviſum, loco itidem & tempore convento. (6) Etſi ſæpe humanitas Creditoris aut impotentia Debitoris ſubigat, terminum ſolu-

(2) *Nihil intereſt; quis ſolvat; utrum ipſe qui debet, an alius pro illo*, inquit Imperator, *pr. Inſt. quib. mod. tollitur obligat.*

(3) Sunt enim Officia, quæ Mandatum non admittunt.

(4) Qui animus indè colligitur, ſiquis v. gr. pro altero invito ſolvit. Inde etiam regreſſum ad eum non habet, ad recuperanda illa, quæ ſolvit. Conſentiunt LL. Romanæ. *l. fin. C. de Negot. geſt. l. 40. ff. Mand. l. 82. ff. de Regg. Jur.*

(5) Dummodo idoneus fuerit, cui ſolvi poſſit. Hinc ſolutio facta v. gr. Pupillis, ubi rem dilapidaverint, rectè pro nullâ habetur.

(6) Et id in promiſſione tàm rerum, quàm factorum Jure Naturali, cum id utique bona fides exigat. Jure Civili id tantum de priori concedere, & facti debitorem præſtando Intereſſe liberari volunt, moti §. 7. *Inſt. de verb. oblig. l. 72. pr. ff. eod. l. 13. §. fin. ff. de Re Judic.* qui tamen textus, ſi rectè inſpiciantur, id vix dicent.

(7) Quan-

ſolutionis prorogare, (7) aut diffindere, vel etiam aliud pro alio accipere.

§. II. Tolluntur quoque obligationes Compenſatione, * quæ eſt crediti & debiti inter ſe Contributio, ſeu, quando Debitor ideò liberatur, quia eidem ipſe Creditor rem ejusdem generis. (1) & quæ tantidem eſt, viciſſim liquidò debet. (2) Cum enim inprimis in rebus fungibilibus, tantundem ſit idem; & verò ubi mutuum eſt debitum, mihi ſtatim tantundem eſſet reddendum, atque ipſe accepi: igitur declinandis inutilibus ſolutionibus commodiſſimum eſt, utrumque ſuum retinendo ſolutione defungi. Patet autem, compenſari propriè poſſe res fungibiles ejusdem generis, quarum ſolvendarum tempus præſens eſt, aut præteriit: non aliæ res, aut præſtationes diverſæ naturæ; niſi fortè illæ utrinque in ſui æſtimationem ſeu in pecuniam, reſolvantur.

§. III. Tollitur quoque Obligatio *Condonatio.*

(7) *Quando dicimus, hæredem debere ſolvere, id cum aliquo temporis temperamento intelligendum eſt. Neque enim cum ſacco adire debet Creditor. l. 105. ff. de Solution.*

* Grot. *Lib. III. cap.* 19. §. 15.

§. II. (1) V. gr. Vinum cum vino, pecunia numerata cum pecuniâ numeratâ. Imò etiam *Species* ejusdem Generis compenſari poſſunt, v. gr. equus in genere cum alio equo ita debito.

(2) Eſt notiſſima Regula: *liquidum cum illiquido non poteſt compenſari. l. fin. §. 1. C. de Compenſat.*

§. III. (1)

natione, ſeu remiſſione ejus, cui quid debebatur, & cujus intereſt obligationem fuiſſe expletam. Ea ſolet fieri *expreſſè*, per adhibita ſigna conſenſum teſtantia: puta, datâ acceptilatione, (1) redditis aut abolitis chirographis; vel *tacitè*, ſi quis ipſe impediat, aut in cauſa ſit, quo minus, quod ſibi debetur, poſſit præſtari. (2)

§. IV. Solent quoque ſolvi Obligationes, quæ utriusque partis præſtatione conſtant, re adhuc integra, *mutuo diſſenſu*; (1) niſi Leges Poſitivæ id prohibuerint. (2) Ubi autem ab altera parte jam quid ſit præſtitum, accedat oportet vel hujus condonatio, vel ut aliâ ratione id ſarciatur.

§. V. Præterea non tam ſolvitur, quam *abrumpitur* Obligatio alterius partis *perfidiâ*. (1) Quando enim unus non præſtat, de

§. III. (1) Acceptilatio, die Schein-Zahlung/ eſt, quando Creditor quibuscunque verbis declarat, ſolutionem ſibi à debitore factam, quæ tamen facta non fuit; inde eleganter Imperatori dicitur *imaginaria ſolutio*. §. 1. *Inſt. Quib. mod. toll. oblig.*

(2) Ex. gr. Si Princeps nimiis exactionibus ita exſugat populum, ut ad præſtationes debitas fiat inidoneus.

§. IV. (1) Conſentit, quoad Contractus Conſenſuales Jus Romanorum, §. 4. *Inſt. Quib. mod. toll. obl.*

(2) Fortè quia plura incommoda & mala inde evenire poſſent; vel quia ſingularis Sanctimonia pactum comitatur; Inde ex. gr. Sponſalia mutuo diſſenſu non poſſunt diſſolvi. Vel etiam, ubi tertio jus aliquod ex obligatione quæſitum,

§. V. (1) Quia autem hic modus in facto iniquo conſiſtit, ad modos legitimos referri nequit.

quo eſt conventum, neque alter tenetur præſtare, quod intuitu iſtius præſtationis in ſe recepit. Nam capita præſtandorum in pactis priora poſterioribus inſunt, per modum conditionis, quaſi ita dictum foret; præſtabo, ſi & tu præſtiteris prius.

§. VI. Expirant quoque Obligationes, quando *ſtatum*, in quo eædem unice fundabantur, *mutaverit* vel ille, (1) qui præſtare, vel is, (2) cui præſtari debebat.

§. VII. Ipſo *Tempore* expirant Obligationes, quarum duratio à puncto aliquo temporis ſuſpenſa fuit: (1) niſi expreſſa aut tacita (2) partium conventione illa prorogata fuerit. Neceſſum eſt tamen, ut intra illud tempus facultas exigendi obligationem extiterit. (3)

§. IIX. *Morte* denique ſolvuntur obligationes in perſona alicujus radicatæ. Subjecto quippe ſublato accidentia quoque extingui neceſſum eſt. Sæpe tamen in ſuperſtitibus defunctorum obligatio continuatur. Idque vel quia ſuperſtes ex officio pietatis, aut

§. VI. (1) V. gr. Si Civis talis eſſe deſinit.
(2) V. gr. Si Conſul à munere diſcedit.

§. VII. (1) V. gr. in Locationibus & Conductionibus.
(2) V. gr. Quando Locator poſt elapſum conductionis tempus Conductorem in re locatâ continuare ſinit, quod vocatur *Relocatio tacita*, Vid. *l.* 13. §. *ult. l.* 14. *ff. Locati.*
(3) Hinc Regula notiſſima: *non valenti agere* (v. gr. pupillo) *non currit Præſcriptio.*

aut alias ob rationes, defuncti obligationes explendas in ſe ſuſcepit; vel quia ex defuncti bonis obligationi erat ſatisfaciendum, (1) quæ cum iſto onere in hæredem tranſierunt.

§. IX. Per *Delegationem* ſubſtituit quis Creditori ſuo conſentienti Debitorem ſuum, ut hic Locô ipſius debitum ſuum exſolvat. Ubi Creditoris quidem conſenſus requiritur, non autem tertii iſtius Debitoris, (1) quem etiam ignarum & invitum alteri volenti delegare poſſum. Nam nihil intereſt, utri quis ſolvat: multum autem, à quo quis debitum exigat.

§. IIX. (1) Hæres enim repræſentat perſonam defuncti activè & paſſivè. Et dum in bonis ſuccedit, res tranſit cum onere.

§. IX. (1) In *Delegatione* ſtrictè ſic dicta utique Debitoris etiam conſenſus requiritur. Scilicet, ut ſciat, quis ſit ſuus Creditor, & ne prior Creditor delegans à Debitore factæ delegationis ignaro debitum adhuc exigere poſſit. Differt igitur per hoc à *Ceſſione*, in qua Debitoris ceſſi conſenſu non eſt opus. Et hæc quidem rectè ex hypotheſi Juris Civilis, unde, quoad hoc Autoris noſtri aſſertio minus rectè ſe habet, dum *Delegationem* cum *Ceſſione* confundit. Cæterum ſi à diſpoſitione Juris Romani abſtrahendo rem conſideres, ferenda videtur ſententia Autoris, factâ adplicatione ad negotia Gentium, quæ ad amuſſim Juris Romani negotia ſua exigi non patiuntur, ſed rectæ rationis dictamina admittunt, quibus utique ratio ab Autore data conveniens eſt. Et ſanè ex tali negotio inter Gentes, ubi Delegatus ſolvere nollet, daretur juſta belli cauſa. Manet tamen nihilominus etiam Naturali Jure aliquod diſcrimen inter *Delegationem* & *Ceſſionem*. Delegat enim ſemper Debitor Creditori; ſed cedimus etiam iis, quibus nihil debemus.

CAPUT XVII.

DE

INTERPRETATIONE.

§. 1. Rectæ interpretationis neceſſitas.

§. 2. Interpretatio *declarativa* verborum Popularium,

§. 3. Technicorum,

§. 4. Ambiguorum, quæ fit per Conjecturas.

§. 5. Conjecturæ petuntur ex Materia.

§. 6. Ex Effectu & Conſequentibus.

§. 7. Ex Conjunctis.

§. 8 Interpretatio declarativa ex ratione legis.

§. 9. Interpretatio declarativa vocum latè & ſtrictè ſignificantium; Item *favorabilium* & *odioſorum*.

§. 10. Interpretatio extenſiva.

§. 11. 12. Reſtrictiva.

§. 13. Interpretatio articulorum colliſivorum.

§. I.

ITa quidem eſt, (1) ut neque in illis, quæ imperio injunguntur, (2) quis ulterius obligetur, quam hic voluit; neque ad quæ quis

§ I (1) Ita eſt, Officium JCti vel maximè in Interpretatione conſiſtit; hinc rectè Autor ad finem *Libr.* 1. de Interpretatione agit, quæ doctrina communiter ferè negligitur. Eſt autem *Interpretatio* collectio mentis ex ſignis & conjecturis maximè certis aut probabilibus. *Officiorum* ſumma circa Interpretationem eò redit, ut rectum ſenſum verborum alterius indagemus. Conf. dicta ad *C. X.* §. 2. & 3. Et quidem conſideratur Interpretatio vel ratione *Cauſſæ Efficientis*; vel ratione *Formæ*. De priore ſuprà, ad *C.* 11. §. 6. Hic de poſteriore, quæ eſt vel *nudè declarativa* §. 2. *ad* 10. vel *Extenſiva*, §. 10. vel denique *Reſtrictiva* §. 11. 12.

(2) i. e. Legibus.

(3 i.e.

quis ultrò ſeſe adſtringit, (3) ulterius teneatur, quam ipſe voluit. Quia tamen de voluntate hominis alter homo judicare non poteſt, niſi ex actibus & ſignis in ſenſus incurrentibus: inde demum *in id quilibet obligari in foro humano cenſetur, quod recta ſignorum interpretatio ſuggerit.* Unde tàm ad Leges, quàm ad Pacta rite intelligenda, & exinde Officio explendo plurimum prodeſt, *regulas bonæ interpretationis circa verba* potiſſimum, tanquam communiſſimum ſignum conſtitui. *

§. II. De *Verbis Popularibus* hæc eſt regula: Verba regulariter intelligenda ſunt in proprio ſuo & famoſo ſignificatu, (1) quem ipſis impoſuit non tàm proprietas aut analogia Grammatica, aut derivationis conformitas, quàm popularis uſus; (2) quem penes arbitrium eſt, & jus, & norma loquendi.

§. III. *Vocabula artium* explicanda ſunt ſecun.

(3) i e. Pactis & Conventionibus; adde etiam ultimis voluntatibus.

* Grot. *Lib. II. cap.* 16. *per tot.*

§. II (1) Ratio eſt, quia quilibet cenſetur ſatisfacere Officio ſermocinantium, juxta *Regul.* 1. *Cap. X.* §. 2.

(2) Hinc, quæ tropicè proponuntur, non propriè; & vice verſâ, quæ propriis verbis traduntur, non tropicè explicanda ſunt. E. gr. propinat mihi quis *vitrum vini*, ſtultus eſſem, ſi vitrum deglutire velim. Item: legat mihi aliquis *ſilvam*, ineptus eſſem, ſi de ſilva, libro ſic dicto, vel de rudi aliqua multarum rerum mole id intelligere velim.

§. III. (1)

ſecundum definitiones prudentum cujusque artis.(1) Quod ſi vocabula artium à diverſis diverſimodè definiantur, ad lites præſcindendas facit, popularibus verbis exprimere, quid per eam vocem intelligamus. (2)

§. IV. *Conjecturis* autem ad eruendum genuinum ſenſum opus eſt, ſi vel verba ſimplicia, aut verborum complexio, ſint *ambigua*; (1) aut ſi partes quædam orationis ſibi invicem *videantur repugnare*, ut tamen dextrâ explicatione adhibita conciliari invicem poſſint. Nam *ubi certa & manifeſta eſt repugnantia, poſterius derogabit prioribus.* (2)

§. V. Conjecturæ voluntatis rectiquè ſenſus, in ſermone ambiguo aut intricato, petun-

§. III. (1) Artifici enim in arte ſua credendum eſt. Et ſanè termini technici in qualibet diſciplina & arte plurimum ſemper ferè negotii faceſſunt; ſic, ut terminos accuratè noſſe ſit fere dimidium totius ſcientiæ.

(2) Vel etiam *Circumſcriptione.*

§. IV. (1) Quæ ambiguitas vel inde oritur, ſi verba obſoleta, nova, peregrina fuerint; vel ſi conſtructio verborum non recte habeat; vel etiamſi in interpunctionibus peccatum.

(2) Poſteriores enim cogitationes regulariter meliores ſunt prioribus, ſcilicet in ſeriis & cum deliberatione ſuſceptis negotiis, qualia ſunt Leges, Conventiones, ultimæ voluntates. Et debet hoc facere omnis, qui ſapit, exemplo Imperatoris, qui, *non erubeſcimus*, inquit, *ſi quid melius, etiam eorum, quæ ipſi prius diximus, inveniamus, hoc ſancire*, & competentem *prioribus imponere correctionem*, *Novell.* 22. *Præfat.*

§. V. (1)

petuntur potiſſimum *ex ſubſtrata Materia, ex Effectu, & Conjunctis.* Circa *materiam* hæc eſt regula: *Verba regulariter ſunt intelligenda ſecundum ſubſtratam materiam.* (1) Nam ſemper illi, qui locutus eſt, materia, de qua ſermo inſtitutus eſt, ob oculos verſari præſumitur, (2) ideoque ſemper ad eandem ſententia verborum attemperanda.

§. VI. De *Effectu & Conſequentibus* hæc eſt regula: *Ubi verba crudè & ſimpliciter accepta vel nullum vel abſurdum aliquem Effectum poſt ſe eſſent tractura, à receptiore ſenſu pauliſper deflectendum*, quatenus nullitatis aut abſurditatis vitandæ neceſſitas requirit. (1)

§. VII. Ex *Conjunctis* validiſſimæ ſumuntur conjecturæ; quia regulariter quilibet ſibi conſtare præſumitur. *Conjuncta* ſunt vel *loco*, (1) vel tantum *origine*. De prioribus hæc

§. V. (1) *Quoties idem ſermo duas ſententias exprimit, ea potiſſimùm excipiatur, quæ rei gerendæ aptior eſt, l. 67. ff. de Reg. Jur.* Ex. gr. Dubium occurrit circa vocabulum *hæredis*, utrum ſoli maſculi, an fœminæ etiam eò denotentur? Reſp. Si cauſa Allodii, poſteriori interpretationi locus eſt; ſin Feudi, priori.

(2) Quia quibet præſumitur eſſe ſanæ mentis, ſibique conſtans.

§. VI. (1) Hæc interpretatio jam ſpectat ad extenſivam, vel reſtrictivam; de quibus in ſequentibus, §. 11. & 12.

§. VII. (1) *Locô conjuncta* ſunt, quæ in uno eodemque textu, v. gr. titulo, capite &c. cohærent.

(2) Leges

hæc eſt regula : *Si ſenſus in ejusdem ſermonis loco aliquô plane & perſpicue ſit expreſſus, obſcuriores locutiones ex illo plano ſunt interpretandæ.* (2) Cui vicina eſt altera : *In omni ſermone interpretando accurate ad antecedentia & conſequentia eſt attendendum, quibus interjecta attemperari & reſpondere præſumuntur.* (3) De poſterioribus (4) autem iſta habetur regula : *Unius & ejusdem hominis obſcurum dictum interpretandum eſt ex ipſius dictis clarioribus, licet alio tempore & loco prolatis ; niſi manifeſtè adpareat, ipſum ſententiam mutaſſe.*

§.IIX. Plurimum quoque prodeſt ad verum ſenſum inveſtigandum, in Legibus cumprimis, inſpicere *rationem Legis*, ſeu cauſam (1) & reſpectum illum, qui ad Legem ferendam

(2) Leges enim legibus concordant. *l. un. C. de inoffic. dot. Inde lex ex lege explicanda ; & quod uni deeſt, ex aliis ſupplendum.*

(3) Convenit ſententia Celſi JCti, qui inquit : *incivile eſt, niſi totâ lege perſpectâ, unâ aliquâ particulâ ejus propoſitâ, judicare vel reſpondere l. 24. ff. de leg.*

(4) Id eſt : *Origine Conjunctis.* Dicuntur autem Origine conjuncta, quæ eundem Autorem habent, licet in diverſis locis, libris, textibus, capitibus, titulis loquatur, vel aliquid diſponat.

§. IIX. (1) Eamque tàm impulſivam, quam finalem, ſcilicet ut de mente potius quàm de verbis judicemus. *l. 96. de R. J.* ibique Gothofredus.

(2) Hinc

dam latorem moverit; (2) inprimis ubi conſtat, unicam eam legis rationem fuiſſe. De qua hæc regula eſt : *Illa interpretatio Legis eſt ſequenda, quæ rationi legis congruit*; & contra rejicienda, quæ ab eadem diſcrepat. (3) Item : *Ceſſante ratione Legis unica & adæquata, ceſſat ipſa Lex.* (4) *Verum ubi plures ejusdem Legis* fuerint rationes, non ſtatim unâ ceſſante tota Lex ceſſat; cum reliquæ rationes ad ejus vim ſuſtinendam ſufficere poſſint. (5) Sæpe quoque ſola voluntas legiſlatoris ſufficit, utut ratio legis ſubjectos lateat. (6)

§. IX.

(2) Hinc, ſi perfectam Legum Romanorum hiſtoriam haberemus, longe feliciores eſſemus futuri in ipſis Legibus interpretandis, & ita quoque in aliis.

(3) Exemplum dabimus ad §. X *not.* manet enim illud Principium rectæ rationis : *ubi eadem ratio, ibi quoque eadem juris diſpoſitio.*

(4) Et hoc obtinet non in Legibus tantum, ſed & in aliis negotiis obligatoriis. Ex. gr. in promiſſione dotis, donationis propter nuptias &c. Ubi enim nuptiæ inſecutæ non fuerint, nullæ etiam ſunt illæ promiſſiones.

(5) V. gr. Jubet imperans, ne quis noctu ambulet ſine laterna, partim ob tumultus, partim ob furta hactenus frequentia ut compeſcantur; Ceſſant furta; quæritur, an laternarum uſum intermittere poſſint Cives? Reſpondetur, non poſſe, quia altera ratio adhuc perdurat.

(6) Videlicet Specialis, quam ut ſemper ſubditis revelet Princeps, ad Officia illius non pertinet. Conf. *c.* 11. §. 6. & *L.* 1. *c.* 12. §. 2. Sufficit enim Civibus, ſi videant in genere Legem ad Communem Civitatis, vel ſingularem quorundem utilitatem tendere. Hinc Julianus, *non omnium*, ait, *quæ à Majoribus conſtituta ſunt, ratio reddi poteſt*, *l.* 20. *ff. de LL.*

§. IX. (1)

§. IX. Obſervandum præterea eſt, multa vocabula habere plures una *ſignificationes*, alteram *laxiorem*, alteram *ſtrictiorem*. (1) Sed & aliam *materiam* eſſe *favorabilem*, aliam odioſam, aliam mixtam. (2) *Favorabile* eſt, quod utriusque partis æqualem facit conditionem, (3) quod communem utilitatem ſpectat, (4) quôd actus quoslibet conſervat, (5) quod pacem promovet &c. *Odioſum* eſt quod unam duntaxat

§. IX. (1) Sic vocabulum *filii* in Legibus aliquando ſtricte ſumitur, ut *nepos* ſub eô non contineatur; aliquando tamen in eâ latitudine, ut comprehendantur. *l.* 220. §. 1. *ff: de verb. Sign.*

(2) Hæc etiam ad Interpretationem vel extenſivam vel reſtrictivam rectius referuntur.

(3) V. gr. Si in Contractu Mutui de uſuris nihil expreſsè actum, neque tamen probabile ſit, Mutuantem Mutuum gratis voluiſſe concedere; Jure Naturali ſaltem talis interpretatio facienda, ut uſuræ debeantur. Eſt enim æquiſſimum, ut in partem lucri ego admittar, quod ex re meâ facit Mutuatarius.

(4) V. gr. creſcentibus delictis creſcant pœnæ. Nec eſt, quod objicias: pœnæ ſunt odioſæ, reſpectu delinquentis. E. potius interpretatio reſtrictiva adhibenda. Reſp. poteſt aliquid diverſo reſpectu eſſe favorabile & odioſum. Manet tamen Regulæ quoad interpretationem ſua vis. Pœnæ favorabiles ſunt reſpectu publici, odioſæ forte reſpectu delinquentis. Interim quoad interpretationem extenſivam res ſalva eſt; quia privati reſpectus debent cedere publicis. Imò nequidem pœnæ ſunt vere odioſæ reſp. delinquentium, quia tendunt ad eorum emendationem & ſalutem.

(5) Inde in Ultimis maximè voluntatibus, quantum pote, talem ſemper facimus interpretationem, unde eædem conſerventur. (6) Ex

taxat partem, aut unam magis quam alteram, gravat, (6) quod pœnam in ſe continet, (7) quod actum reddit irritum, (8) aut priora immutat, (9) quod bellum promovet. *Mixtum* eſt v. gr. ſi quod priora quidem immutet, ſed pacis tamen cauſa. (10) De iſtis hæc eſt regula: ***Favorabilia latius, odioſa ſtrictius interpretanda.***

§. X. Dantur quoque Conjecturæ aliunde quam ex verbis ortæ; quæ efficiunt, ut *Interpretatio* quandoque ſit *extendenda*, quandoque *coarctanda*. Etſi facilius dentur rationes, quæ ſuadeant interpretationem coarctari, quam extendi, (1) poteſt igitur Lex ad caſum, qui in lege non exprimitur, extendi, ſi conſtet, rationem, quæ in illum caſum quadrat, unicam fuiſſe, quæ legiſlatorem moverit; eamque ab ipſo conſideratam fuiſſe in ſua generalitate, & ut æquipollentes quoq; caſus complecteretur. (2) Sed & extendi Lex de-

Q bet

(6) Ex. gr. Ceſſiones & renunciationes.
(7) Ex. gr. Exhæredationes.
(8) Ex. gr Leges divortiorum.
(9) Imò etiam ſtatum, v. gr. Privilegia.
(10) Ex. gr Transactiones

§. X. (1 Maximè quoad Obligationes; ubi certò conſtare debet de fundamento extenſionis. Grot. *L. II. c.* 16. §. 20.

(2) *Quotiens lege aliquid, unum vel alterum introductum eſt, bona occaſio eſt cætera, quæ tendunt ad eandem utilitatem, interpretatione ſuppleri l.* 13. *ff. de LL.* Ex. gr. *Levit.* 18. *v.* 12. 13. *maribus* nuptiæ interdicuntur cum *amita & matertera*; E. etiam eædem *fæminis* interdictæ intelligun-

tur

bet ad illos caſus, qui in fraudem legis ab hominibus prave ſolertibus inveniuntur. (3)

§. XI. Ut autem verba generaliter poſita *reſtringantur*, contingit aut ex *defectu voluntatis originario*, aut ex *caſus emergentis cum voluntate repugnantia*. Quod aliquis ab initio quid noluiſſe præſumatur, intelligitur I. *ex abſurdo*, quod aliàs inde ſequeretur, id quod nemo ſanus voluiſſe judicatur. Inde verba generalia ſunt reſtringenda, in quantum aliàs abſurditas inde erat emerſura. (1) II. *Ex defectu rationis*, quæ unicè

tur cum *patruele & avunculo*. Una enim eademque ratio, *Propinquitas* ſcilicet *cum patre & matre* utrobique militat, unde citra manifeſtam cavillationem in hoc & ſimilibus caſibus Legis divinæ nuptialis ab iſthac interpretationis regulâ diſcedi nequit. Ab hac interpretatione ſi diſceditur, eſt Sycophantia. Vid. Dn. Hochſteter, *Colleg. Puſendorf. p.* 128.

(3) *In fraudem Legis* (vel pacti) *facit, qui ſalvis verbis legis ſententiam ejus circumvenit. l. 29. ff. de LL.* Ex. gr. Princeps ad evitandam annonæ caritatem, prohibet exportationem frumenti; Civis exportat farinam. Convenitur inter paciſcentes, ut ne certus locus muro cingatur: alter paciſcentium aggere eundem munit. Peccatur autem *in fraudem legis* mutatione (1) rerum, (2) perſonarum, (3) Contractuum ſeu negotiorum (4) modô contrahendi ſeu agendi. Ziegler. *ad Grot. L. II. c.* 16. §. 20. Pertinet huc exemplum ex §. 1. *Inſtit. de Fideicommiſſar. hæreditat.* Quibus olim (ſcilicet tempore XII. Tabularum) non poterant hæreditatem vel Legata relinquere; ſi relinquebant, fideicommittebant eorum, qui capere ex Teſtamento poterant. En! *fraudem in negotio.*

§. XI. (1) V. gr. lex erat apud Romanos; *qui muros tranſcenderit, capitaliter punitor.* Miles in defenſione Urbis

me

unicè ipſius voluntatem movit. (2) Inde ſub generali locutione non comprehenduntur caſus, in quos ratio legis unica & adæquata non quadrat. III. *Ex defectu materiæ*, de qua ſemper is qui loquitur, cogitaſſe cenſetur. (3) Inde & ad eandem verba generalia ſemper ſunt attemperanda.

§. XII. Quod autem caſus, qui poſtea emergit, cum voluntate ejus, qui aliquid conſtituit, pugnet; id deprehenditur vel ex *naturali ratione*, vel ex *aliquo ſigno voluntatis*. Prius contingit, ſi ab æquitate foret diſcedendum, niſi certi caſus à generali lege eximerentur. (1) Eſt quippe *æquitas* correctio ejus, in quo lex deficit ob univerſalitatem. (2) Quia enim non omnes caſus prævideri, nec ob infinitam varietatem exprimi poſſunt; ideò quando

 gene-

medios proſilit in hoſtes, & forte fortuna ſalvus in Urbem revertitur. Quæſtio eſt, an juxta legem illam puniri debeat? Reſp. negando, quia abſurdum eſſet, punire velle militem ex pugnæ fervore in hoſtes irruentem.

(2) Patet in adducto caſu. Ratio enim Legis illius unica erat, ut perfidia coërceretur, & adeò hæc ejus vera mens eſt: *Quicunque* proditorio animo *muros tranſcenderit &c.* Hæc ratio cum ceſſet in caſu propoſito, ceſſat etiam legis diſpoſitio.

(3) In propoſito caſu deeſt materia ſeu Objectum Legis, ſcil. perfidia. E. etiam voluntas LLtoris deficit.

§. XII. (1) Adde: vel niſi ad certos quoſdam caſus leges ſpeciales deberent extendi.

(2) Hanc æquitatis definitionem non eſſe adæquatam, ſed confundi æquitatem cum Interpretatione reſtrictivâ, jam monitum ſupra, ad *C.* 11. *§.* 10.

(3) Ex-

generalia verba ad ſpeciales caſus ſunt adplicanda, eximendi ſunt illi caſus, quos exemturus fuerat ipſe Legislator, ſi ſuper tali caſu conſultus fuiſſet. (3) Ad iſthanc tamen æquitatem decurrere non licet, niſi ſufficientia indicia ſubigant. (4) Inter quæ certiſſimum eſt, ſi adpareat, violatum iri Legem Naturalem, ubi expreſſe quis literam legis humanæ ſequi velit. Proximum ab hoc, ſi non quidem illicitum ſit, verba Legis (5) ſequi; ſed tamen rem humaniter æſtimanti, id nimis videatur grave & intolerabile, ſive in univer-

(3) Exemplum præbent lex & caſus, de quibus in præcedenti §pho. Idem tamen obtinet in æquitate per reſtrictionem ſive coarctationem tali. Ut enim fieri poteſt, ut aliquis plura ſentiat, quàm dixit; ita in dubio res itidem non ex verbis, ſed ex mente & voluntate æſtimanda eſt, quam habuiſſe præſumitur, v. gr. LLator, ſi tempore latæ legis de animi ſententiâ fuiſſet interrogatus.

(4) Æquitas non debet fingi, ubi non eſt niſi fortè in cerebrò interpretis; dicta inde *cerebrina.*

(5) Adde; *vel pacti.* Ex. gr. qui ad tempus commodato aliquid à me habet, poteſt Contractui inſiſtendo per totum illud tempus eodem uti, tametſi ego ex improviſo caſu valdè indigere incipiam: humanitas tamen urget, ut, quia rem gratis habet, indigenti ante tempus in Contractu determinatum reſtituat. Eſt hæc ſententia Autoris, *c. XV.* §. 6. ex Grotio hauſta. Sed vid. ibi Notata. Quæſtio alia eſt de *Jure*, alia de *humanitate*, quæ hic confunduntur. Et certe, tota verborum ſimilium aſſertio non caret dubiis; conſtatque ex exemplis, ab Autore in *Op. Maj. L. V. c.* 12. §. 22. omninò illicitum vel iniquum eſſe, & menti Legislatoris adverſum, literam legis in iis ſequi velle; ſed adhibendam eſſe utique interpretationem reſtrictivam.

(6) Ex.

verſum omnibus hominibus, ſive certis perſonis; (6) aut ſi finis tanti non videatur, qui tam carè ſit redimendus. (7)

§. XIII. Denique ab univerſali locutione facienda eſt exceptio, ſi verba aliô locô poſita cum præſenti lege aut pacto non quidem directè pugnant, ſed tamen propter certam temporis circumſtantiam heic & nunc ſimul obſervari nequeunt. Heic igitur certæ ſunt obſervandæ regulæ, ut intelligi poſſit, *quænam lex in eo caſu, ubi utrique ſimul ſatisfieri nequit, præferri debeat.* (1)

1. Id, quod permittitur tantum, cedit ei, quod jubetur. (2)

2. Quod faciendum eſt certô tempore, præfertur ei, quod quovis tempore fieri poteſt. (3)

3. Affir-

(6) Ex. gr. Perſonæ quædam regulariter ab oneribus ſunt immunes; quô privilegio ſi etiam gaudere vellent, in caſibus planè extraordinariis, & ſummæ neceſſitatis, id iniquum, & certè cæteris Civibus intolerabile *eſſet futurum.*

(7) Ex. gr. Ita jejunio ſe macerare, ut hoſtibus reſiſti non poſſit, eſt contra finem præcepti.

§. XIII. (1) Regula Generalis eſt: *Lex quæ voluntatem hominis arctius ſtringit, præferenda eſt illi, quæ laxius tantùm vinculum injicit.* Huc redeunt omnes Regulæ ſpeciales hic propoſitæ.

(2) V. gr. Permiſſum eſt aliquibus *venari.* Sed non eô tempore, ubi iidem jubentur aliud quid neceſſariò facere. Concubinam habere Civi Romano liberum eſto: ſed tempore, belli ita conſtitutum: mulierem in caſtris miles non habeto. Ziegler, *ad Grot. L. II. c.* 16. §. 29.

(3) V. gr. Studioſi debent vacare ſtatuto tempore legum lectioni publicæ; ſtudere poſſunt ſemper.

(4) Affir-

3. Affirmativum præceptum cedit negativo; ſeu, quando præcepto affirmativo ſatis fieri nequit, niſi violato præcepto negativo, iſtius impletio erit in præſens omittenda. (4)

4. Inter Conventiones Legesque cætera æquales, peculiaris præfertur generali. (5)

5. Inter duas præſtationes, certo temporis articulo invicem colliſas, quarum una cauſas magis honeſtas aut utiles, quàm altera, habet, hanc iſti cedere par fuerit. (6)

6. Injuratum pactum cedit jurato, quando utrique ſimul ſatis fieri nequit. (7)

7. Obligationi perfectæ cedit imperfecta. (8)

8. Lex beneficentiæ, cæteris paribus, cedit legi gratitudinis. (9)

(4) Affirmativum præceptum eſt: *dato Eleemoſynas*; Negativum: *furtum ne facias*. Non ergo ad prius quis obligatur, ubi Eleemoſynas absque ſuffurata pecunia dare non poſſit. Supponunt enim præcepta affirmativa Occaſionem & obligant, *cæteris paribus*. Vid. C. 1. §. 22.

(5) Vulgatum eſt: ſtatuta & jura localia derogare Communibus.

(6) Sic quando in Academiis actus publici celebrantur, privata ſtudia debent ceſſare. Privata enim cedunt publicis.

(7) Sponſalia Jurejurando confirmata, præferenda non juratis.

(8) Debita prius exſolvenda ſunt, quam gratiæ pro beneficiis referri poſſint.

(9) Id eſt: ubi gratias debemus, hæ primo omnium referendæ, & tum demum, ubi adhuc aliquid ſuperſit, beneficia in alios conferri poſſunt.

SAMUE-

SAMUELIS PUFENDORFII
DE
OFFICIO HOMINIS ET CIVIS. (*)
LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.
DE
STATU HOMINUM NATURALI.

§. 1. Progreſſus ad Officia ex hypotheſi *certi Status* talia.
2. Status diviſio in Naturalem & adventitios.
3. Naturalis Status acceptio prima in ordine ad Deum.
4. Secunda, in ordine hominum ſingulorum ad ſeipſos.
5. Tertia, quæ hujus propriè loci, in ordine ad alios.
6. Quinam reverà in tali Statu vivant?
7. Quò ordine homines in Statum Naturalem pervenerint.
8. Status Naturalis jura, Libertas & Æqualitas.
9. Ejusdem incommoda.
10. Modus litigandi in Statu Naturali.
11. Status Naturalis pax non ſatis fida.

(*) Totus hic liber ad Politiam ſpectat, & dum Politica aliàs duabus Partibus abſolvitur, *architectonica* ſcilicet & *rectoria*; De priore agit Autor noſter prioribus X. Capitibus; de poſteriore ſequentibus.

§. I.

PRoximum eſt, ut inquiramus de illis *Officiis*, quæ homini obeunda incumbunt *ex diverſo Statu*, (1) in quo in vita communi degere deprehenditur. Vocamus autem *ſtatum* in genere illam conditionem, in qua homines conſtituti intelliguntur, ad certum genus actionum obeundum; quem etiam peculiaria fere jura comitantur.

§. II. *Status* hominum eſt vel *naturalis* vel *adventitius*. *Naturalis triplici modo* conſiderari, ſolo prælucente rationis lumine, poteſt: vel in ordine ad DEUM *Creatorem*, vel in ordine *ſingulorum hominum ad ſe ipſos*, vel in ordine *ad alios homines*.

§. III. *Priori modo* conſideratus Naturalis Status hominis eſt illa conditio, in qua à Creatore eſt conſtitutus, dum eximium præ cæteris animal eundem eſſe voluit. (1) Ex quo ſtatu fluit, quod homo debeat autorem ſui agnoſcere, colere, & ipſius opera admirari; ac diverſa plane ratione à brutis vitam ſuam exigere. Inde & ei ſtatui *opponitur vita & conditio brutorum*.

§. IV. *Al-*

§. I. (1) Connexionem quære ſupra *Lib.* 1. *cap.* 6. §. 1. & *c. IX.* §. 22.

§. III. (1) Hic ergò eſt *rationalis*, cui opponitur *beſtialis*.

§. IV. (1)

§. IV. *Altero modo* Statum hominis Naturalem conſiderare poſſumus, quatenus homo per nativitatem in eum pervenit, verè miſerum ſcilicet, (1) ſi *animo fingamus*, qualis ejusdem conditio futura eſſet, ſi quilibet ſibi ſoli relictus foret, ſine ullo adminiculo ab aliis hominibus accedente, & quidem poſitâ illa naturæ humanæ conditione, qualis jam deprehenditur. (2) Quæ ſanè miſerior, quàm cujusvis belluæ, videtur futura fuiſſe, ſi expendatur, quanta cum debilitate in hunc mundum jam ingrediatur homo, periturus ſtatim ſine aliorum auxilio: & quàm rudem ſit vitam idem exacturus, ſi nihil aliud cuique adeſſet, quam quod propriis viribus ingenioque debeat. Quin potius, quod ex tanta imbecillitate adoleſcere potuimus, quod infinitis jam commoditatibus fruimur, quod animum corpusque in noſtrum & aliorum uſum excoluimus, id omne ab auxilio aliorum hominum provenit. Et in hoc ſenſu, Status Naturalis *opponitur vitæ per induſtriam hominum excultæ.*

§. V. *Tertio modo* Statum hominis Naturalem conſideramus, prout intelliguntur homines ſeſe invicem habere ex nuda illa

§. IV. (1) Hic eſt *ſolitarius*, cui opponitur *Socialis*.
(2) Hic Status jam aliquoties in præcedentibus fuit propoſitus. Vid. *Præfat.* §. 5. *L.* 1. *c.* 3. §. 3. & infrà *huj. Cap.* §. 9.

& communi cognatione, quæ ex ſimilitudine naturæ reſultat, ante pactum aliquod aut factum humanum, quo peculiariter unus alteri reditus fuit obſtrictus. (1) Quô ſenſu in Statu Naturali invicem vivere dicuntur, qui neque communem habent dominum, & quorum unus alteri non eſt ſubjectus, quique inter ſe neque beneficio, neque injuria ſunt cogniti. (2) Quo ſenſu ſtatus naturalis *opponitur Statui Civili.*

§. VI. Hujus porro Naturalis Status indoles conſiderari poteſt vel prout *per fictionem* repræſentatur, (1) vel prout *reverà* exiſtit. Prius fit, ſi vel concipiamus ab initiô aliquam multitudinem hominum ſimul extitiſſe ſine ulla unius ab altero dependentia, uti de Cadmæis fratribus (2) in fabulis eſt: vel

§. V. (1) Et dum adhuc omnes eo reſpectu fuerunt æquales. Indè hic Status vocari poteſt *æqualis*, cui opponitur Status *Civilis*, ſeu Civitatum.

(2) Deſcribitur hic Status Naturalis Ordinarius; in quo ſunt Rectores Civitatum, Cives diverſarum Rerum publicarum ad invicem comparati, ac denique ipſa Civitatum corpora, quatenus ut perſonæ morales conſiderantur. Præterea datur Status Naturalis *Extraordinarius*, in quem pervenire poſſunt, mediâ in Civitate viventes, quoties ope & auxilio Magiſtratus & Concivium deſtituuntur, uti pluribus dictum *ad L.* 1. *c.* 5. paſſim.

§. VI. (1) Et quidem abſtrahendo à Sacris Literis, ubi primorum hominum conditio longè aliter refertur.

(2) Erat *Cadmus* Rex Phænicum, quem ferunt ſeviſſe ſerpentum dentes, undé magnô numerô milites prodierint, quibus in mutuam perniciem ruentibus, quinque tantùm ſuper-

vel ſi fingamus, totum genus humanum jam ita diſſolutum eſſe, ut quilibet ſeipſum ſeorſim gubernaret, & nemo ulli alio eſſet vinculo conjunctus, quam ſimilitudine naturæ. Sed *Status Naturalis*, *qui reverà exiſtit*, id habet, ut quis cum aliquibus hominibus peculiari ſocietate jungatur; (3) cum reliquis autem omnibus nihil præter ſpeciem humanam obtineat commune, nec alio nomine quidquam ipſis debeat. (4) Qualis Status jam inter diverſas Civitates ac cives diverſarum Rerum publicarum exiſtit, & quondam inter familias ſegreges obtinebat. (5)

§. VII. Manifeſtum quippè eſt, univerſum genus humanum nunquam ſimul & ſemel in Statu Naturali (*) extitiſſe. Qui enim ex Protoplaſtis geniti erant, ex quibus, quidquid eſt mortalium, originem ducit, prout Divinæ tradunt Scripturæ, iidem

(*) *purè tali.*

ſuperſtites totam Boëtiam imperio ſuo ſubjecerint. Indè *Cadmæa victoria*, i. e. cruenta, ubi omnes ferè ſe atterunt. Sed quid hic opus eſt eâ Poëtarum Gentilium Fictione? Imò cave, ne per hoc ſimile dilabaris ad ſtatum naturalem Hobbeſii.

(3) Status hic Naturalis eſt, quem dixi *Ordinarium.* Ita v. gr. Rex jungitur in Regno cum ſuis Civibus.

(4) Scilicet ſpecialiter, & ex ſpeciali lege vel pacto; quamvis generalia humanitatis officia debeat.

(5) Antequam in Civitates ſe darent homines.

§. VII. (1)

dem poteſtati patriæ ſubjecti erant. (1) Neque tamen eò minus poſtea Status hicce Naturalis inter quosdam homines emerſit. Nam primi mortalium, ut orbem adhuc vaſtum implerent, & laxiorem ſibi ſuisque pecoribus habitationem quærerent, relictis laribus paternis in diverſa diſceſſerunt, ſuamque ſibi ferè ſinguli mares Familiam conſtituerunt. Inter quorum poſteros itidem ſeſe diſpergentes peculiare cognationis vinculum & ortus inde affectus, paulatim exolevit, & commune tantum illud, ex ſimilitudine naturæ reſultans, remanſit. Donec poſtea, cum genus humanum inſigniter fuiſſet multiplicatum, deprehenſis vitæ ſegregis incommodis, paulatim proximi quique cohabitantes coivere, minores primò, dein majores ex pluribus minoribus, ultro aut per vim coalitis. (2) Quas inter Civitates, utpote nullo alio, quam communis humanitatis, vinculo junctas, Status Naturalis utique adhuc exiſtit.

§. IIX. Eorum autem, qui in Statu Naturali vivunt, hoc eſt præcipuum *jus* quod nemini præterquam DEO ſint ſubjecti atque obnoxii. Quo reſpectu etiam ille Status nomine

§. VII. (1) Et adeò jam naturalis illa libertas quodammodo circumſcripta fuit; licet reverà adhuc vixerint in Statu Naturali, quatenus Civili is opponitur.
(2) Vid. infr. C. V. §. 7.

§. IIX. (1)

mine *libertatis naturalis* venit, per quam quilibet citra antegreſſum factum humanum, ſui juris poteſtatisque, ac nullius hominis imperio ſubjectus eſſe intelligitur. Quô ipſo etiam quivis cuivis alteri, cui neque ipſe ſubjectus eſt, neque eundem ſibi ſubjectum habet, *æqualis* cenſetur. (1) Cum porrò homini lumen rationis ſit inſitum, quô prælucente actiones ſuas temperare poſſit, conſequitur; quemlibet, qui in Naturali libertate vivit, in regundis ſuis actionibus à nullo mortalium dependere; ſed ex proprio judicio atque arbitrio omnia, quæ ſanæ rationi congruunt, agendi habere poteſtatem. Et cum homo ob communem inclinationem, omnibus animantibus inſitam, non poſſit non ad conſervationem ſui corporis vitæque, nec non ad diſpellenda ea, quæ eandem deſtruere videntur, omnibus modis incumbere, mediaque ad eum finem adhibere; & verò in Statu Naturali nemo habeat alterum hominem ſuperiorem, cui voluntatem Judiciumque ſuum ſubmiſerit, inde in eo Statu quilibet ex proprio Judicio definit de aptitudine mediorum, an ad conſervationem ſui conducant, nec ne. Nam ſi vel maximè alterius

§. IIX. (1) Æqualitate ſcilicet non virium, ſed ordinis & Jurisdictionis, dum alteri in alterum non competit imperium, & alter alteri ſe præferre non poteſt.

(2) Con-

rius conſilium audiat, penes ipſum tamen eſt, an velit alienum conſilium probare vel non. (2) Ut tamen iſthæc propria ſui gubernatio recte ſeſe habeat, requiritur, ut ea juxta dictamen rectæ rationis Legemque Naturalem ſuſcipiatur.

§. IX. Status Naturalis, utut Libertatis nomine, & immunitatis ab omni ſubjectione, inſigniter blandiatur; idem tamen, antequam ab hominibus in Civitates fuerit conceſſum, plurima habet adjuncta *incommoda*; ſive fingamus, omnes & ſingulos in eo exiſtere, ſive conſideremus conditionem patrumfamiliàs ſegregum. Nam ſi (*) animo concipias hominem etiam adulta ætate in hoc mundo deſtitutum ſolum, & ſine omnibus commodis & adminiculis, quibus vitam cultiorem & molliorem reddidit ſolertia hominum; videbis animal nudum, mutum, inops, famem radicibus & herbis, ſitim obvia aqua, injurias aëris antris utcunque diſpellens, feris beſtiis expoſitum, & ad cujusvis oc-

(*) *Quoad prius.*

(2) Conſilium, ſi bonum, obligat quidem intrinſecè & in conſcientia; non tamen extrinſecè, adeò ut cogere poſſit qui conſilium dedit.

occurſum pavidum. (1) Paulo cultior vita potuit eſſe inter eos, qui (*) in Familiis ſegregibus degebant; (2) Sed quæ tamen cum vita civili nullo modô comparari poterat, non tam ob indigentiam, quam inter coërcitas cupiditates Familia ſic ſatis videtur poſſe diſpellere; quàm quod ſecuritati parum ibi ſit conſultum. Et, ut in pauca rem conferamus, in Statu Naturali quisque propriis tantum viribus protegitur; in Civitate omnium: ibi fructus ab induſtria ſua nemini certus; (3) heic omnibus: imperium affectuum, bellum, metus, paupertas, fœditas, ſolitudo, barbaries, ignorantia, feritas; (4) heic imperium rationis, pax, ſecuritas, divitiæ, ornatus, ſocietas, elegantia, ſcientiæ, benevolentia. (5)

(*) *Quoad poſterius.*

§. X. In Statu porro Naturali, ſi vel quis alteri ultrò non præſtet, quæ ex

§. IX. (1) Ita quoque deſcripſit ſuprà, *L. I. c.* 3. §. 3. **Sed** hæc conſideratio ſpectat potius ad ***Statum Naturalem* in** *acceptione ſecundâ.*

(2) Hæc propriè eſt hujus loci.

(3) Quia nulla ſecuritas.

(4) Non ſatis diſtinctè hic Autor. Statum enim Naturalem ſemper concepimus, ut Statum rationis & Pacis; hic verò, quæ extra ordinem accidunt, ei tanquam propria tribuit.

(5) Hæc verbotenus deſumta ſunt ex Hobbeſio, de Cive, c. X. §. 1.

§. X. (1)

ex pacto debet, aut ſi injuriam intulit, aut ſi alias controverſiæ quid oriatur nemo eſt, qui pro imperio alterum ad præſtandum debitum reparandamve injuriam adigere, litemque decidere poſſit; ut in Civitatibus, ubi Judicis communis auxilium implorare datur. Quia tamen non ob quamvis cauſam natura in bellum ruere permittit, etiam ubi quis de juſtitia ſuæ cauſæ ampliter ſit perſuaſus: (1) igitur prius tentandum, num molliori via res poſſit componi, diſcerptione ſcilicet partium amica, (2) & puro (non conditionato) (3) Compromiſſo, ſeu *provocatione ad Arbitros.* * Qui arbitri æquos ſeſe utrique parti gerere debent, & in ferenda Sententia nihil odio aut gratiæ dare, ſed unicè merita cauſæ reſpicere. Quam ob rationem etiam non ſolet quis capi Arbiter in ea cauſa, in qua ipſi commodi vel gloriæ peculiaris ſpes major adparet ex victoria unius partis, quam alterius; adeoque, ubi ipſius intereſt, alterum quocunque modo cauſam obtinere. Hinc & nullum pactum aut promiſſum intercedere debet inter Arbitrum & partes, cujus vi pronunciare in gratiam alterius teneatur.

Quod

§. X. (1) Vid. dicta ſupra *L. I. c.* 5. §. 12.
(2) Cauſa ſcilicet per ſcripturam ventilatâ, vel per Oratores aut amicos.
(3) Hôc enim modô res non eſſet habitura exitum.
* Grot. *Lib. II. cap.* 23. §. 6. *ſeqq.*

(4) In-

Quod ſi Arbiter neque ex communi partium confeſſione, neque ex certis inſtrumentis, aut indubiis rationibus & ſignis, quid in facto ſit, cognoſcere valeat, ex effatis *Teſtium* id erit cognoſcendum. Quos licet ad verum dicendum Lex Naturalis, & plerumque Juramenti religio, adſtringit: tutiſſimum tamen fuerit tales non admittere, qui erga alterutram partem ita ſunt affecti, ut conſcientiæ ipſorum cum gratia, odiò, vindictæ libidine, alioque violento animi motu, aut etiam arctiore quadam neceſſitudine, ſit velut luctandum: quibus ſuperandis non omnibus ſat conſtantiæ eſt. Aliquando etiam per communium Amicorum (4) Interpoſitionem lites tolluntur; quod meritò inter ſanctiſſima Officia habetur. Cæterum in hoc Statu *executionem*, ubi ultrò ab alteró non præſtatur quod debetur, ſibi quisque facit. (5)

§. XI. Quanquam autem natura ipſa inter homines aliquam cognationem eſſe voluerit, cujus vi nefas ſit alteri homini nocere, & potius fas ſit cuivis, aliorum commodis ſeſe diſpenſare: tamen inter eos, qui in naturali libertate invicem vivunt, hæc cognatio ſat debiles fere exerit vires, ita ut quivis homo,

R

(4) Intelligit Mediatores.
(5) Vel etiam ipſi Mediatores.

§. XII. (1)

mo, qui non eſt noſter Civis, ſeu qui cum in Statu Naturali vivimus, non quidem pro hoſte,(1) ſed tamen pro *amico parum firmo* ſit habendus. Cujus rei ratio eſt, quod homines non ſolum ſibi invicem maximè poſſint, ſed & variis de cauſis ſæpiſſimè velint nocere. Alios quippe pravitas ingenii, aut dominandi & ſuperflua habendi libido, ad lædendos alios incitat; alii modeſtô licet ingeniô, ſtudiô ſe conſervandi, & ne ab aliis præveniantur, in arma ruunt. Multos ejusdem rei deſiderium, alios ingeniorum contentio committit. Inde in iſto Statu tantum non perpetuæ vigent ſuſpiciones, diffidentia, ſtudium aliorum vires ſubruendi, libido alios præveniendi, aut ex aliorum ruina vires ſuas augendi.(2) Ergo uti probi eſt hominis rebus ſuis contentum alios non laceſſere, nec aliena adpetere: ita cauti eſt, ſuæque ſalutis amantis, ita omnes homines amicos credere, ut tamen iidem mox hoſtes fieri queant: ita pacem cum omnibus habere, quaſi quæ mox bello mutari poſſit. Qua de

§. XI. (1) Indè, quod ſæpè monitum, *Status Naturalis* eſt Status Pacis, quia rationalis.

(2) Cave, ne hæc vitia, quæ Naturali Statui accidunt, eidem per ſe tribuas. Eſt enim Status Naturalis per ſe *rationalis*, ut aliquoties monitum. Unde hæc vitia *hominum* potius ſunt in Nat. Statu viventium, quàm ipſius *Status*.

(3) Scilicet

de cauſâ & felix habetur reſpublica; quæ etiam in pace de bello cogitat. (3)

(3) Scilicet non temerè inferendo; ſed vel averruncando, vel, hoc ubi fieri non poſſit, fortiter ſuſtinendo.

CAPUT II.

DE OFFICIIS CONJUGALIBUS.

1. Tranſitus ad Adventitiorum Statuum primum, *Matrimonium*.
2. Mutua ſexuum propenſio ad matrimonium inſtigat.
3. Sunt etiam præterea obligationes.
4. Summa pactorum Matrimonialium.
5. Polygamia.
6. Divortium.
7. Matrimonia prohibita cum conjugatis.
8. Cum Conſanguineis & Affinibus.
9. Solennia matrimoniorum.
10. Officia Conjugum.

§. I.

INter *Status Adventitios*, (1) ſeu, in quibus homo facto aliquo humano antecedente conſtituitur, primò locò venit *Matrimonium*. (1) Quod ipſum etiam eſt pri-

§. I. (1) Opponuntur quidem Status *Adventitii* Naturalibus; ſed tantùm quoad priores duas acceptiones, & quatenus homines ſecundum nativitatem ſuam ſpectantur. In Statu autem Naturali quoad tertiam acceptionem, & adeò ante introductas Civitates Adventitii iſthi Status utique jam extiterunt.

mum velut ſpecimen vitæ ſocialis, ſimulque generis humani ſeminarium. (2) *

§. II. Circa hoc initiò conſtat, ardentem illam ſexuum inter ſe proclivitatem à ſapientiſſimo Creatore inſtitutam non ad inanem voluptatem ſatiandam; quippe quæ unicè ſpectata ſum̃am fœditatem & confuſionem in genere humano excitatura erat: ſed tum ut eo jucundior inter conjuges eſſet converſatio, tum ut eo lubentius homines propagationi ſobolis operam darent, ac moleſtias tolerarent, quæ iſtius ſuſceptionem atque educationem comitantur. Ex quo conſequitur, Naturali Legi repugnare omnem uſum membrorum genitalium, qui ab hiſce finibus abit. Quo nomine etiam vetita libido in diverſam ſpeciem, aut eundem ſexum ruens; quævis fœdæ pollutiones; & denique

(2) De Cive atque Civitate Officiisque eò pertinentibus in hoc ſecundo Libro agere Autor ſibi propoſuit. Ut igitur aliàs Syſtemata Politica duabus partibus abſolvuntur. *Architectonicâ* ſcilicet atque *Rectoriâ*; ita hunc ordinem etiam Autor nunc obſervat, tractatque, quæ ad priorem partem ſpectant, in Capitibus ſeqq. usque ad undecimum. Pertinet autem ad Architectonicam Civitatis conſiderationem Materia illius & Forma; efficiens item atque Finis. De ſingulis hiſce agetur in dictis Capitibus; *Materia* ex qua, ſive Principia proxima ſunt Familiæ; hæ verò coaleſcunt ex tribus Societatibus ſimplicibus Conjugali, Paternâ & Herili. Indè jam omnium primò ordine de hiſce tribus.

* Grot. *Lib. II. cap.* 5. §. 9. *ſeqq.*

que omnis commixtio ſive mutuo conſenſu ſuſcepta,(1) ſive invitæ fœminæ intentata (2) extra matrimonium.

§. III. *Obligatio ad contrahendum matrimonium* conſiderari poteſt vel in *reſpectu ad totum genus humanum*, vel *in reſpectu ad ſingulos. Illa* in eo conſiſtit,(1) quod propagatio ſpeciei humanæ haut quidquam ſit inſtituenda per vagos & ſolutos concubitus, (2) ſed utique legibus connubialibus circumſcribenda, adeò per matrimonium duntaxat exercenda. Citra hoc enim decora & bene diſpoſita inter homines ſocietas, vitæque civilis cultus, intelligi nequit. *Singuli* autem ad matrimonium ineundum tenen-

§. II. (1) Ut in ſtupro voluntario; nec minus in Concubinatu, apud Romanos etiam tolerato. *Tot. Tit. ff. & C. de Concubinis.*

(2) Scilicet in ſtupro violento.

§. III. (1) Debuiſſet Autor primò de *ipſa Obligatione* dicere; & deinde de *modô*, quô illam obligationem decet exſequi. Autor loquitur de ſolô modô. Conſiſtit autem obligatio in neceſſitate ex præcepto affirmativo univerſali proveniente. In genere enim hominibus dictum eſt, ut propagando genus ſuum conſervent. Requirit hoc tanquam medium Socialitas.

(2) Indè merito damnanda *mulierum Communio*, quam Plato in perfectâ Republicâ requiſivit, & Zeno Stoicus commendavit, teſte Diog. Laërtiô, in ejus vita, *L. VII. Segm.* 33. *p. m.* 385. Ea enim admiſsâ, plerique non niſi pulchras uxores eſſent adpetituri; hinc nihil certius, quàm lites, diſſidiaque, quæ tamen per hoc medium evitata voluit Plato. Ut taceam, belluinam eam eſſe conſueſcendi rationem.

(3) Præ-

tenentur, quando commoda ſeſe ejus occaſio offert: (3) quam tamen non ſola ætas generandique facultas abſolvit; ſed ut copia quoque ſit decentis conditionis, nec non facultas alendi uxorem & prolem naſcituram; ac ut mas quoque ſit idoneus ad gerendam perſonam patrisfamilias. Niſi tamen (4) aliquis compoſitus ſit ad exigendum caſtum cælibatum, ſentiatque, plus ſe utilitatis poſſe procurare humano generi, aut Civitati, cælibem quam uxoratum; præſertim ubi nulla prolis penuria ſit metuenda.

§. IV. Inter eos, qui matrimonium inituri ſunt, intervenire ſolet & debet *pactum*, quod, ubi *regulare* & *perfectum* fuerit, hiſce capitibus abſolvitur. *Primò*, quia vir (abs quo ut Contractus incipiat, (1) utriusque ſexus indoli magis congruit) propriam utique ſibi

(3) Præcepta enim affirmativa omnia obligant: *cæteris paribus*; i. e. ubi occaſio commoda ſe obtulerit. Quid autem ad occaſionem requiratur, dictum fuit *Lib.* 1. *cap.* 1. §. 22.

(4) Exceptio hæc eſt ab Obligatione univerſali. Sunt tamen certè pauciſſimi, aliàs ſani, qui ſalvâ conſcientiâ eadem uti poſſunt. Et, qui quævè in Monaſteriis *votum Caſtitatis* jurant, ex ſtimulis & uſtionibus perſentiſcunt, ſe promiſiſſe impoſſibilia.

§. IV. (1) Non de neceſſitate loquitur Autor, ſed de decoro, cùm regulariter verecundiam Virginum magis deceat quæri, quàm quærere. Non igitur adverſatur rectæ rationi ſi & Virgo maritum circumſpiciat, id, quod manifeſtum facit exemplum *Reginæ*, vel intra vel extra Regnum thori Socium ſibi conquirentis.

ſibi ſobolem intendit quærere, non ſuppoſititiam aut adulterinam; igitur *fidem dare debet fœmina*, quod nemini, præterquam ipſi, corporis ſui uſuram velit concedere. Quod itidem *marito fœmina viciſſim* ſolet ſtipulari. *Deinde* cum nihil magis ab indole vitæ ſocialis & civilis abhorreat, quam vita vaga ac deſultoria, incertô lare, nullâ fortunarum ſede, cumque communis ſobolis educatio commodiſſimè inſtituatur conjunctis utrinque parentis operis; ac cohabitatio continua plurimum contineat jucunditatis inter Conjuges bene compoſitos; per quam etiam marito certius de caſtitate uxoris conſtare poteſt: Igitur in id quoque fidem marito dat uxor, quod *viro continuo cohabitare*, adeoque in arctiſſimam vitæ ſocietatem, eandemque familiam cum ipſo coaleſcere, velit. Cui ipſi & mutua promiſſio de tali invicem converſatione, qualem indoles ejus ſocietatis requirit, ineſſe intelligitur. Quia autem non ſolum naturali utriusque ſexus conditioni maxime congruit, ut in matrimonio viri conditio ſit potior, ſed & maritus familiæ, à ſe utique conſtitutæ, caput ſit; conſequitur, ut uxor in negotiis matrimonium ac familiam concernentibus directioni mariti ſit obnoxia. Inde & mariti eſt, de domicilio conſtituere; nec uxor iſtô invitô peregrè abire aut ſecu-

bare poteſt. Tale tamen imperium, quod jus vitæ & necis, gravemque coërcitionem, (2) nec non plenam poteſtatem circa quævis bona uxoris diſponendi, comprehendat, ad eſſentiam matrimonii neceſſarium non videtur: ſed iſtud ex peculiaribus pactis inter conjuges, aut ex Legibus Civilibus alicubi conſtituitur. (3)

§. V. Porrò uti illud manifeſtè Legi Naturali repugnat, *unam mulierem pluribus viris ſimul* cohabitare: (1) ita, ut *unus ſimul duas pluresve uxores* habeat, apud plurimas gentes & in ipſo quondam Judaico populo, receptum. (2) Nihilominus ſi vel maxime à pri-

(2) De poteſtate atque Jure judicandum eſt ex fine Societatis. Atque hic reſpuit eam poteſtatem, tanquam amori conjugali adverſam.

(3) Inde communiter inter bona *dotalia*, *Paraphernalia* & *Receptitia* diſtingui ſolet. Sic, ut primorum certô modô maritus ſit Dominus; ſecundorum verò & tertiorum (niſi quoad hæc aliter conventum) legitimus Curator. Loquor autem de moribus, quamvis Jure Romano res paulò aliter ſe habuerit. §. 19. *Inſt. de Excuſat. Tutor. & Curat. l. 2. C. qui dare Tutor. l. 4. C. de Excuſat. Tut. & Curat.*

§. V. (1) Dicitur hæc Polygamia alias in ſpecie *Polyandria*, turpiſſima ſanè, & Juri Naturali omninò adverſa, non tantum propter rationes ad §. *III. n.* 2. adductas; ſed & ideò quia nulli infanti certus pater, undè porrò tam quoad alendam, quàm quoad educandam ſobolem maximæ ſemper difficultates.

(2) *Polygynia* in ſpecie dicitur hæc Polygamiæ ſpecies. Juri Naturali non adverſa; ſed eodem potius conceſſa, quia (1) facit ad promovendam Socialitatem & propagandum genus

à primæva matrimonii inſtitutione in divinis literis tradita abſtrahamus, ex ipſa tamen recta ratione conſtat, longe decentius juxta atque utilius eſſe, unum una eſſe contentum. Id quod & uſus omnium, quas novimus, Gentium Chriſtianarum à tot ſeculis comprobavit.* (3)

§. VI. Nec minus natura tam arctæ conjunctionis oſtendit *matrimonium debere eſſe perpetuum*, (1) & non niſi alterutrius conjugum morte finiendum: niſi principalis pacti matrimonialis capita fuerint violata per adul-

R 5 teri-

genus humanum; dum facilè unus vir, robuſtior imprimis pluribus fœminis ſufficere poteſt. (2) Incommoda & mala tollit, oborientia ex eo, ſi unica Uxor vel jam gravida eſt, vel morbo laborat: unde marito vel uſtiones perferendæ, vel vires inutiliter prodigendæ. Accedit, (3) quod Deus circa Polygyniam diſpenſaverit, & variè diſpoſuerit in V. T. quod facere non potuiſſet, ſi J. Naturali ea eſſet adverſa.

* *Jur. Nat. & Gent. L. VI.* §. 16. *ſeqq.* Element. Jurisprud. univerſal. *L. II.* §. 7. *Apol.* §. 29. Erid. ſcand. *p.* 48. *ſeq. p.* 109.

(3) Id autem non inde eſt, quod Juri Naturali, vel rectæ rationi directò adverſam crediderint polygyniam; ſed quod *Lege divinâ poſitivâ Univerſali* prohibitam rectè cognoverunt. Undè peſſimè faciunt Polygynias Patroni, qui Chriſtianis eam iterum obtrudere volunt. Poteſt enim Deus facultatem aliquam naturaliter conceſſam ex ſingularibus cauſis reſtringere atque iterum aufferre.

§. VI. (1) Sanè, Juri Naturali non eſt adverſum, ſi & ad tempus contrahatur matrimonium, quô elapſô pactum vel renovetur, vel novarum nuptiarum ſit licentia. Vid. de Schiraſcenſibus, in Perſia, Petr. della Valle, *Itinerar. p. III. Ep.* 17. Et in effectu Judæorum matrimonia erant temporaria. (2. Cum

terium, & malitioſam deſertionem. (2) Ob mores autem malè compoſitos, (3) & qui cum malitioſa deſertione eundem non producunt effectum, ſeparatio duntaxat quoad thorum & menſam inter Chriſtianos recepta eſt, ſine permiſſione ad ſecunda vota tranſeundi. Cujus inter aliàs etiam hæc ratio eſt, ne facultas divortii contumaciam morum alat; ſed potius alterius conditionis deſperatio, ad commoditatem morum, mutuamque tolerantiam Conjuges incitet. (4) Cæterum ob violata pacti matrimonialis capita pars læſa tantum vinculo exſolvitur; quod in altero continuatur, ſiquidem pars læſa velit, & cum altero in gratiam redire dignetur. (5)

§. VII. Contrahere licitè matrimonium, ubi Lex Civilis non obſtat, (1) poteſt *quilibet cum qualibet*, ſi ætas corporisque conſtitutio matrimonio habilis adſit; *niſi impedimen-*

(2) Cum *Cauſis divortiorum* confundi non debent caſus, ſi quando *initiò nulla* fuiſſe *declarantur* matrimonia, propter defectum requiſiti Eſſentialis. &c.

(3) Ubi ſcilicet ob odium & averſionem matrimonii, fortè adverſo Numine initi, *inter Conjuges belligeratur domi pugnaturque*, ut eleganter Imperator, *Novell.* 140.

(4) Haud enim raro emendantur, dum incommoda ſeparationem iſtam comitantia nimis gravia ac moleſta premunt.

(5) Id eſt, dum adhuc reconciliationis aliqua ſpes ſupereſt, aliàs ſæpè conſcientiis eorum malè conſulitur, qui à novis nuptiis contrahendis arcentur.

§. VII. (1) Ita LL. Romanis non niſi Cives Romani juſtas inter ſe nuptias contrahebant, *Pr. Inſt. de Nupt.* Item hoc Jure

mentum aliquod morale obſtet. Moraliter impeditur aliam conjugem adſciſcere, qui quæve alteri jam conjugi junctus junctave eſt.

§. IIX. Sed & pro morali legitimarum nuptiarum impedimento habetur *arcta nimis ſanguinis aut affinitatis conjunctio.* Quô nomine etiam Naturali Lege nefariæ judicantur nuptiæ inter Aſcendentes & Deſcendentes in infinitum. * (1) Reliquas autem nuptias in limite transverſo, puta cum amita & matertera, cum ſorore, item in affinitate cum noverca, ſocru, privigna, non ſolum Lex Divina, (2) ſed & cultarum leges Gentium, &

Jure non concedebatur matrimonium Senatori cum libertina. *l.* 44. §. 1. *l.* 16. *pr. l.* 32. *ff. de Rit. Nupt.* Præſidi cum Provinciali, *l.* 38. *l.* 57. *pr. l.* 63. *l.* 65. *ff. eod.* Tutori cum pupillâ, *l.* 36. *l.* 60. & 66. *eod.*

* Vid. Grot. *L. II. cap.* 5. §. 12.

§. IIX. (1) Inceſtum Naturali Lege dari, & vel in hac linea nuptias prohiberi, probatu admodum difficile eſt. Rationes certæ Grotianæ & aliorum non ſtringunt, deſumtæ videlicet ab identitate carnis, à nauſea & horrore, à ſumma reverentia cum ſumma familiaritate non compatibili, & ſimiles. Nam (1) pleræque ſunt phyſicæ, & petunt, quod eſt in principio. (2) Evertuntur per Inſtantias. Adami Uxor erat ejus caro: abhorremus à ſerpentibus, nec tamen contra J. N. eſt, ſerpentem contrectare; In matrimonio Reginæ cum ſubdito ſumma familiaritas cum ſumma reverentia ſimul ſtare poteſt, ubi tamen Character *Majeſtatis* longè major eſt, quàm character *pietatis* in parentibus. Ergo rationibus fortioribus hic opus eſt, quas adhuc nondum invenio.

(2) Poſitiva nimirum univerſalis. Nam Conjugia Fratrum & Sororum ipſe Deus inſtituit, Juri ergo Naturali non adverſa & antè prohibitionem DEI publicatam ſimiles nuptiæ non fuerunt infrequentes.

§. IX.

& Chriſtianorum conſenſus deteſtatur. Quin & multorum populorum Leges Civiles remotiores quosdam gradus prohibuerunt, ad objiciendam velut ſepem prius dictis gradibus ſanctioribus, ne ad hos temerandos ita facilè rueretur.

§. IX. Cæterum uti aliis Contractibus atque negotiis certa quædam requiſita ſueverunt addere Leges Civiles, quæ ſi obſervata non fuerint, in foro civili pro validis non habentur: ita & circa matrimonium contingit, dum alicubi per Leges Civiles, honeſtatis & boni ordinis cauſa, *Solennia* quædam requiruntur. Quæ licet extra Jus Naturale ſint, (1) citra illa tamen, qui Legibus Civilibus ſubjiciuntur, legitimum matrimonium non contrahent: (2) aut ſaltem ejusmodi conjunctio effectus juſti matrimonii in Civitate non habebit. (3)

§. X. *Officium Mariti* eſt uxorem diligere, nutrire, regere, atque defendere: *Uxoris*, mari-

§. IX. (1) Hoc enim Jure ſufficit Conſenſus eorum, qui matrimonium inire volunt & reliquorum, quorum intereſt, in Conſenſum admitti. Hoc etiam jure diſcrimen inter Sponſalia & nuptias fere ignoratur.

(2) Vult enim Jus Naturæ, ut juſta LLtorum Civilium Juſſa obſerventur.

(3) Sic, cum, ex Diſpoſitione Concilii Tridentini, nullum ſit matrimonium, quod coram parocho & teſtibus non contractum fuit, liberi quoque antea nati pro legitimis non habentur ſcil. in terris Eccleſiæ Catholicæ, ubi Concilium hoc receptum. *Seſſ. 24. de Reformat. Matrimon. cap. 1. pr.*

maritum amare, honorare, adjutorio eſſe ei non ſolum in generanda & educanda ſobole, ſed & in parte curarum domeſticarum capeſſenda. *Utrinque* autem indoles tam arctæ conjunctionis requirit, ut Conjuges tàm proſperæ quam adverſæ fortunæ ſint ſocii, & ſi qua alterutri calamitas obtingat, ab altero ſublevetur; hec minus ut prudenter mores ad concordiam invicem tolerandam attemperent: qua tamen in parte concedere magis uxoris eſt.

CAPUT III.

DE OFFICIIS PARENTUM ET LIBERORUM.

1. Secundus Statuum Adventitiorum; ubi *Patria* in liberos *poteſtas*.
2. Ejus origo.
3. An etiam ad matrem pertineat?
4. In quo poteſtas illa conſiſtat, in Statu Naturali reſpectu Patrum qua talium?
5. Aliter ſe habet in ætate prima.
6. Aliter in adulta.
7. In quo conſiſtat Patr. poteſtas reſpectu Patrum, quatenus ſimul ſunt capita familiarum?
8. Quomodo ſe habeat Poteſtas Patria in Statu Civili?
9. Quomodo tollatur & quatenus Patr. Poteſtas.
10. Educatio vicaria, adoptio, Oppignoratio, venditio, an in liberorum commodum ſit licita?
11. Conſenſu parentum quatenus liberis opus.
12. Parentum Officia.
13. Et liberorum.

§. I. Ex

§. I.

EX matrimonio provenit proles, in quam conſtituta eſt *poteſtas patria*, antiquiſſimum juxta ac ſanctiſſimum genus imperii, (1) quo Parentum juſſa venerari, eorundemque præ ſe eminentiam agnoſcere, liberi tenentur. *

§. II. *Oritur* imperium parentum in liberos (1) *duplici* potiſſimum *de cauſa*: *primò* quia ipſa *Lex Naturalis*, dum ſociabilem eſſe hominem juſſit, *parentibus curam liberorum injunxit*; quæ ut eò minus negligeretur, tenerrimum ſimul affectum in prolem natura iisdem implantavit. Iſti curæ exercendæ requiritur poteſtas liberorum actiones dirigendi ad ipſorum ſalutem, quam ipſi propter judicii defectum nondum intelligunt. *Deinde* id imperium *tacito* (2) *quo-*

§. I. (1) Apud Romanos magna quoad Jus hoc Patribus conceſſa prærogativa; de quo intelligenda verba Imperatoris. §. 2. *Inſt. de Patr. poteſt; jus*, inquientis, *quod in liberos habemus; proprium eſt civium Romanorum; nulli enim ſunt alii homines, qui talem in liberos habeant poteſtatem, qualem nos habemus.* Nam Naturali Jure utriqueparentum poteſtas ea æqualis eſt, quamvis ita, ut aliqua Patri prærogativa concedatur.

* Grot. *Lib. II. cap.* 5. §. 1. *ſeqq.*

§. II. (1) Cauſa proxima eſt generatio hominis, inde à Jure Naturali poteſtas pariter & obligatio.

(2) *Præſumtum* dicere debebat Autor, cujus fundamentum eſt æquitas vel lex, & datur etiam in iis, qui ex neceſſitate obligantur. Vid. dicta *ad L. I. c. 9. §. 9.* Et fatemur, potuiſſe

quoque conſenſu prolis nititur. Nam rectè præſumitur, ſi infans eô, quô ſublatus eſt, tempore, uſum rationis habuiſſet, ac perſpexiſſet, vitam ſe citra parentum curam ac junctum ipſi imperium ſervare non poſſe, lubenter illam in id conſenſuram, commodamque ſibi educationem ab iisdem viciſſim fuiſſe ſtipulaturam. *Actu* autem parentibus imperium in prolem conſtituitur, quando illam tollunt, nutriuntque & in commodum humanæ ſocietatis membrum pro virili formandam ſuſcipiunt.

§. III. Cum autem ad generationem ſobolis *non Mater minus*, *quam Pater* concurrat, adeoque phyſicè proles utrique ſit communis, disquirendum: *utrius jus in prolem ſit potius?* Super qua re diſtinctè pronunciandum. Si enim *extra matrimonium* proles ſit generata, illa primò matris erit: (1) quia pater heic niſi indicio matris cognoſci nequit. Inter eos quoque, qui *in libertate naturali & ſupra Leges Civiles* degunt, pactô conveniri poteſt, ut non pa-

tris,

potuiſſe quidem hunc conſenſum tanquam fictum, plane omitti; opus tamen erat Autori ad ſalvandam methodum, quà Officia omnia in Abſoluta & Hypothetica diviſit, & ſtatuit *d. c. 9. §. 1. omnia Officia Hypothetica pactum expreſſum vel tacitum ſupponere.*

§. III. (1) Inde etiam LL. Romanæ patribus in liberos ex juſto matrimonio non natos, poteſtatem nullam tribuebant, §. 12. Inſt. de Nupt.

(2) Sic

triſ, ſed matris jus potius ſit. (2) Sed *in Civitatibus*, utique per mares conſtitutis, cum regulariter contractus matrimonii à mare incipiat, & is caput familiæ ſit, potius erit jus patris: ſicut, licet proles matri utique reverentiam gratumque animum debeat, juſſis tamen matris non obligetur, quæ quidem non iniquis patris præceptis repugnant. (3) Defunctô tamen patre jus ipſius in prolem, ſaltem nondum adultam, *matri* videtur *accreſcere*; & hâc ad ſecundas nuptias transeunte; *vitrico*, ſi quidem ipſe in fidem & curam naturalis parentis ſuccedat. (4) Et qui deſertum aut orbatum parentibus liberaliter educandum ſuſcipit, jure ſuo ab eo filialem obſervantiam exigere poteſt.

§. IV. Ut autem accuratè intelligatur, quanta *parentum* ſit *in liberos poteſtas*, diſtinguendum eſt, tum inter *patres familias ſegreges*, & (1) *qui in Civitatem ſubierunt*;

(2) Sic in impari matrimonio, ubi Regina marito jungitur Subdito vel alii non Regi, Jus Matris omnino potius eſt, ut in aliis omnibus, ita etiam in Sobole ad Salutem Regni educanda.

(3) Aliud ergo dicendum, ſi pater iniqua, mater vero juſta, pia & æqua voluerit.

(4) Quod quidem raro contingit, dum plerumque & ipſæ matres novis maritis non ſolum res filiorum, ſed & vitam addicunt, ut loquitur Imperator *l. 22. C. de adminiſtrat. tutor. vel curat.*

§. IV. (1) De his infra §. *IIX. huj. Capitis.*

(2) Nam

runt; tum porrò ratione prioris membri inter *poteſtatem*, *quam in Statu Naturali habet genitor ut talis*, & quam habet, *ut eſt caput familiæ*. (2) *Patri ut tali* (3) cum ſit à natura injunctum, ut liberos benè educet, quô commoda humanæ ſocietatis membra evadant, quousque ipſi ſibi proſpicere queant: inde tanta eidem in liberos poteſtas conceſſa intelligitur, quanta ad hunc finem ſufficit. (4) Quæ haut quaquam eousque ſe extendit, ut parentes prolem intra materna viſcera latentem elidere, aut editam abjicere necareque poſſint. Nam excitatur quidem ex ſubſtantia parentum ſoboles, ut tamen in æqualem conditionem humanam cum illis locetur, & injuriæ etiam ab ipſis parentibus capax ſit. Neque etiam hæc poteſtas ad *jus vitæ & necis* (5) ex occaſione

 delicti

(2) Nam poteſt aliquis eſſe quidem genitor, nec tamen Caput familiæ. Ita in Statu familiarum ſegregum multi erunt Genitores ſed unus tantum Caput Familiæ, ſcilicet ſenior.

(3) Scilicet in familiis ſegregibus, & Statu Naturali.

(4) Semper quippè in Societatibus ex fine menſura Juris atque poteſtatis petenda; adeò, ut quæcunque ad finem neceſſaria ſunt, ea conceſſa intelligantur.

(5) Quod olim apud Romanos Patribus datum *l. 11. ff. de lib. & poſthum. l. ult. C. de Patr. pot.* Poſtea limitatum. *l. 3. C. eod.* Sed poſtea prorſus ſublatum *l. 5. ff. ad L. Pompei. de parricid. l. un. C. de emend. propinqu. Patria poteſtas in pietate debet, non in atrocitate conſiſtere. l. 5. ff. ad L. Pompej. de Parricid.* Apud Judæos filium contumacem ſimiliter licebat Parentibus occidere *Deut. 21. v 13.*

delicti exercendum videtur porrigi, ſed ad modicam duntaxat caſtigationem; quippe quæ verſatur ferè circa ætatem teneram, in quam tam atrocia delicta, quæ morte ſint expianda, vix cadunt. Sed ſi tamen citra ſpem emendationis omnem diſciplinam pertinaciter adſpernetur puer, poterit domo patria ejici atque abdicari. (6)

§. V. Diſtinctius iſthæc poteſtas conſiderari poteſt *juxta diverſitatem ætatis in liberis.* Nam *in prima ætate*, ubi immaturus adhuc rationis uſus eſt, omnes liberorum *actiones* directioni parentum ſubjacent. Quo tempore ſi quid *bonorum* (1) ab aliis in impuberem transferatur, id parens loco filii acceptare & adminiſtrare debet, ut tamen dominium ipſi filio adquiratur: etſi, ut fructus patri cedant, ad plenam usque filii ætatem æquiſſimum ſit. (2) Sic & quod ex filii labore

v. 13. *Levit.* 20. *v.* 9. tanquam ſimulacrum rebellionis. vid. Joſeph. *l. IV. Antiqq. Judaic. c.* 8.

(6) Ita rectè. Nam jus Gladii in Statu Naturali non habet locum, cùm ab Imperio Civili proficiſcatur. Poterit tamen filius-familias è familia ejectus, ubi hoſtilia moliri pergat, etiam ut hoſtis cum cæde repelli, adeoque licet per indirectum, quod directò non procedebat.

§. V. (1) Vulgò dicitur *peculium adventitium.*

(2) Conſentiunt & hîc LL. Romanæ, §. 1. *Inſt. per quas perſon. l.* 1. 4. 6. *pr. l. fin.* §. 5. *C. de bonis, quæ lib. in poteſt. conſt. acquir.* Exceptô tamen caſu, quô liberis quid datum eâ lege, ne pater habeat Uſumfructum, *Nov.* 117. *c.* 1. & aliis quibusdam; quale peculium adventitium ideò *irregulare* vocare ſolent Dd.

(3) Quic-

labore lucri aut emolumenti provenit, id meritò ſibi pater vindicat, (3) cui ex adverſo filii nutritio & educatio incumbit.

§. VI. In *adulta ætate*, ubi licet liberi plenô judicio prædití ſint, cum tamen patria poteſtas commodam educationem & gubernationem liberorum pro ſcopo habeat, patet, adultos quoque liberos *autoritatem* (1) parentum tanquam prudentiorum ſequi debere. Et qui vult ex paternis bonis ſuſtentari, ac in ea deinceps ſuccedere, neceſſum eſt, ut ad familiæ paternæ rationes ſeſe attemperet; quam moderari utique penes patrem eſt.

§. VII. Cæterum *patres*, qui nondum in Civitates conceſſerant, (1) *quatenus familiæ capita*, in domo ſua aliquod inſtar principum gerebant. Inde & liberi, in eorum familia adhuc hærentes, ipſorum imperium (2) tanquam ſummum venerari debebant.

(3) Quicquid ex re Patris acquirunt liberi, id Patri acquirunt. §. 1. *Inſt. per quas perſon. cuique acquirat.*

§. VI. (1) *Autoritas* jam minus quid eſt, quàm *patria poteſtas*; indè etiam Tutoribus in Jure Romano character *Autoritatis*; uti Curatoribus non niſi *Conſilium* tribuitur.

§. VII. (1) Connexio ſupra quærenda in §. *IV.* vid. *ibid. Not.* (2)

(2) *Imperium familiare*, *Civili* contradiſtinctum.

§. IX. (1)

§. IIX. Poſtquam autem imperium iſtud familiare (uti & alia jura) ad uſum & decus Civitatum fuit attemperatum, alicubi multum, alicubi parum de eo patribus relictum. Inde obſervamus, in quibusdam Civitatibus patres jus vitæ & necis, ex cauſa delicti exercendum, in liberos obtinuiſſe: in aliis id ipſum iis ademtum, ne forte parentes ſua in liberos poteſtate, in fraudem boni publici, aut ad iniquam iſtorum oppreſſionem abuterentur; aut ne ob mollitiem paterni affectus diſſimularentur vitia in exitium publicum eruptura; aut ne patri tam triſtis ſententiæ pronunciandæ neceſſitas imponeretur.

§. IX. Sed ubi *proles familia paterna planè exceſſit*, & vel novam ſibi familiam conſtituit, (1) vel alteri adjungitur, (2) poteſtas quidem patria ſolvitur, (3) ut tamen ſemper pietas & obſervantiæ debitum maneat, quip-

§. IX. (1) v. gr. per nuptias, vel ſi ſeparatam Oeconomiam inſtituat. *Emancipatione* enim deſinere liberos in poteſtate Parentum eſſe & Romanæ leges ſtatuunt, §. 6. *Inſt. quib. mod. jus Patr. pot. ſolv.* quamvis apud Romanos dicti modi, quibus hodiè ferè Emancipatio fit, ad eam non ſuffecerint, ſed cum Solennitatibus ea fuerit peragenda.

(2) Intelligit ſine dubio *adoptionem*; quamvis Jure Romano novo per hanc Jura Patris naturalis legitimi minimè diſſoluta fuerint. §. 2. *Inſt. de Adoption.*

(3) Ea videlicet, de qua §§. *V. & VI.* dictum, quatenus in directione actionum, adminiſtratione bonorum (undè etiam uſusfructus ceſſat) autoritatisque largitione conſiſtit.

§. X. (1)

quippe fundatum in meritis parentum, quibus paria facere liberi nunquam aut rariſſimè creduntur. Et iſta merita non in eo tantum conſiſtunt, quod parentibus liberi vitam debeant, occaſionem omnium bonorum; ſed & quòd laborioſam ac ſumtuoſam educationem eorum ſuſceperint, quâ eos in commoda humanæ ſocietatis membra formarunt, ac ſæpè de mediis vitam commodè & copioſe exigendi iisdem proſpexerunt.

§. X. Etſi autem parentibus obligatio educandi prolem à natura ſit injuncta; id tamen non obſtat, quò minus, utilitate prolis aut neceſſitate exigente, ejusdem *adminiſtratio alteri commendetur*; ita tamen ut inſpectionem ſibi in iſtum delegatum parens reſervet. Unde pater, non ſolum præceptoribus idoneis filii informationem rectè committit; ſed & eundem alteri adoptandum dare poteſt, ſi quidem exinde in filium aliquod ſit emolumentum redundaturum. (1) Et, ſi nulla alia ratio ſit prolem alen-

§. X. (1) Apud Romanos *adoptiones* & *arrogationes* imprimis erant frequentes, quamvis etiam aliis Gentibus non incognitæ. Et uti ex parte adoptantium Parentum is finis eſt, ut vel ſterilitati per hanc fictionem ſibi conſulerent, vel, ubi degeneres habent liberos, meliores ſibi per adoptionem quærere poſſint: ita quoad Parentes in adoptionem dantes is præcipue finis eſſet debet, ut ſuorum ſalus promoveatur. Rectè igitur Imperator Juſtinianus adoptivis liberis eôdem modo ut naturalibus legitimis

alendi, potius, quàm inopia extinguatur, pater eam oppignorare aut vendere in tolerabilem ſervitutem poteſt, (2) ſaltem ſub lege Retractus, ubi pater ad lautiorem fortunam pervenerit, aut quiſpiam ex cognatis iſtum redimere velit. (3) Quod ſi autem parens per inhumanitatem prolem expoſuerit & abjecerit, is, qui eandem ſuſtulerit atque educaverit, in paternum quoque jus ſuccedet; (4) ita ut iſte alumnus filialem obſervantiam educatori ſuo debeat.

§. XI. Uti autem *pater prolem familia ſua ejicere non debet*, educatione & auxilio iſtius adhuc indigentem, citra graviſſimas cauſas: ita & proles non niſi cum bona patris

gitimis *jura ſucceſſionis ab inteſtato* tribuit. §. 2. *Inſt. de Adoption.*

(2) Regulariter quidem & Jure Naturali liberi hominis non eſt commercium: Sed *neceſſitas* hoc in caſu facit *Exceptionem*; ſuppoſito ſcilicet, ſi ſervitutes adhuc eſſent in uſu, quibus ceſſantibus ceſſat & venditio, quamvis *oppignorationi* adhuc hodiè inter Gentes locus, ut in *Obſidibus*. Apud Romanos jure Patriæ Poteſtatis idem facere licebat. *l. 2. C. de Patrib. qui filios diſtrax.* Conf. Fulden. *ad h. l. p. m.* 221.

(3) Convenit cum hoc exactè diſpoſitio Juris Romani, in *leg. alleg.*

(4) Occupando ſcilicet, *non quidem ipſum infantem, ſed jus patriæ poteſtatis*, quod hactenus nullius eſt, vid. Autorem *Lib. IV. c.* 6. §. *fin. de J. N. & Gent.* Inde malè Hobbes, qui expoſitum pro ſervo, adeoque pro nullo habet, & hinc Occupationis objectum facit. *de Civ. c. IX.* §. 4.

patris venia ex ipſius familia excedet. (1) Cæterum cum liberi matrimonii ferè contrahendi occaſione paternam familiam relinquant, & verò parentum utique interſit, cui proles ſua jungatur, & ex quibus nepotes ſibi proveniant: inde Officium filiale plane requirit, ut *patris conſenſum heic ſequantur liberi*, nec eô invitô conjugi ſocientur. (2) Quod ſi tamen de facto invitis parentibus matrimonium contraxerint liberi, Jure quidem Naturali id irritum non videtur; (3) præſertim ubi familiam paternam non amplius iſti onerare velint, & aliàs conditio non ſit indecora. Indè ſi alicubi ejusmodi matrimonia habentur irrita, aut illegitima, id ex Legibus Civilibus eſt.

S 4 §. XII.

§. XI. (1) Quamvis hodiernis moribus ut dictum ad §. IX. Emancipatio communiter fiat per Nuptias, & inſtitutionem ſeparatæ Oeconomiæ; tamen ubique Patris permiſſio atque conſenſus requiritur.

(2) Apud Romanos ſolius Patris Conſenſu opus erat, cùm hoc ad poteſtatem patriam referrent: §. 1. *Inſt. de Nupt. l. 2. ff. de rit. nupt.* Rectius tamen ſecundum ſimplicitatem Juris Nat. utriusque Parentum conſenſus requiritur, pietate & reverentia æqualiter ipſis debita id ita exigente. Et hanc ſimplicitatem hodiè fere mores ſequuntur.

(3) Uti quidem Jure Romano, §. 12. *Inſt. de Nupt.* quod & Canones ſequi verius eſt, *c.* 3. *XXX. qu.* 5. *c.* 12. *ſeqq. XXXII. qu.* 2. à quâ diſpoſitione tamen praxis plerorumque locorum, imò ipſum Concilium Tridentinum diſceſſit. *Decret. de Reformat. Matrimon. Seſſ.* 24. *c.* 1.

§. XII. *Officium parentum* in hoc præcipuè conſiſtit, ut liberos commodè alant, corpusque & animum per dextram & cordatam educationem ita forment, quò idonea & utilia membra ſocietatis humanæ & civilis fiant, probi, cordati, & benè morati. Item ut eosdem ad idoneum & honeſtum vitæ genus adplicent, &, quantum ratio & occaſio fert, fortunam ipſorum fundent & promoveant.

§. XIII. *Liberorum* contra *debitum* eſt, parentes honorare, i. e. reverentiam illis exhibere, non externis tantùm ſignis, ſed multò magis internâ æſtimatione, tanquam autoribus vitæ ac tantorum aliorum beneficiorum; iisdem obedire; pro viribus inſervire, inprimis ſenio aut egeſtate confectis; ſine conſilio & autoritate eorum nihil magni momenti ſuſcipere; & denique eorum moroſitatem, aut vitia, ſi qua inveniuntur, patienter ferre.

CAPUT

CAPUT IV.

DE OFFICIIS DOMINORUM ET SERVORUM.

1. Tertius Statuum Adventitiorum gignit *ſervitutes*; quarum origo.
2. Conditio ſervorum mercenariorum temporariorum;
3. Perpetuorum;
4. Bello captorum.
5. An ſervos, & quos vendere liceat?
6. De prole ſervili.

§. I.

POſtquam genus humanum multiplicari cœpiſſet, atque deprehenſum fuiſſet, quam commodè res domeſticæ aliorum miniſterio curari poſſent; maturè introductum fuit, ut ad operas domeſticas obeundas *in familiam adſciſcerentur ſervi.* (1) * Quos *ab initio ultro* ſeſe ob- tu-

S 5

§. I. (1) Servitus quamvis inæqualitatem magnam *Politicam* arguat, ſtare tamen poteſt cum æqualitate *naturali*, adeoque per eam introductam non peccatum fuit in præceptum ſupra *L. I. c.* 7. propoſitum. Et quando Imperator §. 2. *Inſt. de Jure Perſon.* ait: *contra naturam* ſervos ſubjici, intelligendum id eſt de Statu Naturali primævo, quô omnes liberi ſumus; non de Jure Naturali. Neque objici poteſt adſertum Ariſtotelis, qui *ſervos naturâ dari* dicit 1. *Polit.* 5. Nam intelligit per eos homines ita natura diſpoſitos, ut potius regantur ab aliis, quàm ut ipſi alios dirigant.

* Grot. *Lib. II. cap.* 5. §. 27. *ſeqq.*

(2) Pa-

tuliſſe (2) probabile eſt, inopia adactos, aut propriæ hebitudinis ſenſu, ſtipulatosque ſibi perpetuam alimentorum & aliarum neceſſitatum præbitionem in perpetuum hero ſua miniſteria addixiſſe. Dein cum bella paſſim increbeſcerent; apud plurimos populos receptum, ut, quibus *bello captis* vita donata eſſet, ſervitio addicerentur, unà cum prole, quæ deinceps ex ipſis eſſet proventura. (3) * Etſi apud multos populos nulla ejusmodi ſervitus in uſu, ſed omnia munia domeſtica per mercenarios ad tempus conductos expediuntur.

§. II. Prout autem ſunt *diverſi* velut *gradus ſervitutis*; ita & poteſtas herorum & ſervorum conditio variat. *Mercenario temporario* dominus conventam mercedem, iſte huic viciſſim conventam operam debet. (1) Et quia in eo Contractu domini melior eſt conditio, ideò etiam ejusmodi miniſter domino pro ratione dignitatis reverentiam exhibere tenetur; & ubi malitioſè aut negligenter opus fecerit, ejusdem coërcitioni eſt obnoxius,

(2) *Pactitia* indè dici ſolet hæc ſervitus.

(3) Et hæc *Legalis*, quia à legibus & Inſtitutis Gentium ortum traxit. §. 2. 3. *Inſtit. de Jur. Perſon.*

* Grot. *Lib. III. cap.* 14. §. 1. *ſeqq.*

§. II. (1) Tales ferè hodiè omnes ſunt noſtri, famuli verius, quàm ſervi, & per Contractum Locationis Conductionis in eâ conditione ponuntur.

(2) Fluit

noxius, (2) quæ tamen ad gravem corporis afflictionem, multo minus ad mortem propria autoritate ſumendam, (3) procedere nequit.

§. III. Ejusmodi autem *ſervo, qui ſeſe ultro alicui in perpetuum ſervitium* addixit, (1) dominus perpetua alimenta, & quæ alia vitæ neceſſaria ſunt: ille huic viciſſim perpetuas operas quascunque dominus præſcripſerit, præſtare debet, & quicquid ex illis provenit, domino fideliter conſignare. In quibus tamen virium & dexteritatis ſervi humaniter rationem habebit dominus, ne vires ipſius excedentem laborem cum aſperitate exigat. Caſtigationi quoque domini iſte ſubeſt, non ſolum

(2) Fluit id jus, tanquam medium, ex fine hujus Statûs, poſſuntque adeò mercenarii refractarii & verbis & verberibus coërceri, modo adſit juſta cauſa, & abſit ſævitia. Nam & ſervo injuria fieri poteſt. *l. un. C. de emend. ſervor.* Quod malè negat Hobbes. *de Civ. c. VIII.* §. 7.

(3) Id quod antiquioribus temporibus non apud Romanos ſolùm, (ubi quadrupedum pecudum numerô habebantur, *l. 2. §. 2. ff. ad L. Aquil.*) ſed & apud pleraſque Gentes obtinuiſſe vel ex §. 1. *Inſt. de his, qui ſui vel al. jur.* conſtat. Sed mutavit hoc apud Romanos primus Imperator Antoninus, ibid. unde deinceps conſtitutum, ut, qui ſervum occiderit, æquè ac alius homicida. *L. Cornel. de Sicariis* teneretur *l. 1. §. 2. ff.* ad *L. Cornel. de Sicar.* conf. *l. 32. ff. de R. J.*

§. III. (1) Quod Jure Naturali non repugnante utique fieri poteſt. Nam licet libertas ſit Juris Naturalis, id tamen eô ſenſu capiendum, quatenus Jus pro *Facultate* ſumitur, ac adeò mutabile eſt. Conf. Grot. *J. B. & P. Lib. II. c. 5. §. 27, ſeq.* (2) Ven-

ſolum ad expellendam negligentiam in opere exſequendo, ſed & ut ipſius mores ad decus & tranquillitatem familiæ componantur. Non tamen invitus alteri vendi (2) talis poteſt, quia ultrò hunc, & non alium dominum adſcivit, & ipſius intereſt, utri ſerviat. Si atrox delictum in alium *extra familiam* admiſerit, in Civitatibus pœnæ poteſtatis civilis ſubjacet. Ubi familia ſegrex fuerit, (3) expelli inde poterit; (4) ſed ubi delictum *in ipſam familiam ſegregem* ſit admiſſum, à domino etiam per extrema coërceri poterit. (5)

§. IV. In iſtos autem *ſervos*, (1) *qui bello capti* fuerant, à pleriſque durius agi cœptum,

(2) Vendi utique poteſt, quia poſt amiſſam libertatem incipit eſſe in commercio; ſed non invitus. Eſſet enim id contra pactum, & poſſet talis ſervus rectè ſe fugâ ſubducere.

(3) Nimirum in Statu Naturali Statui Civitatum oppoſito.

(4) Imò debet; ne Dominus delictis ejus patrocinari videatur.

(5) Non quidem velut ex vi Imperii vel Jure gladii (quippe quod in Statu Naturali non datur) ſed jure belli, tanquam hoſtis; ut Autor explicat *J. Nat. & G. L. VI. c.* 3. §. 4. Supponit tamen & hoc, ut talis ſervus primum è familiâ expellatur, &, ubi in injuriis inferendis continuaverit, vel cum cæde repellatur.

§. IV. (1) Hactenus de Servitute *pactitiâ*, ſive *voluntariâ*; jam quoque ad *involuntariam* pergit Autor, quàm (quia Gentium quaſi jure vel uſu, introducta eſt. §. 2. *Inſt. de Jur. Perſon. l.* 5. §. *fin. l.* 7. *pr. ff. de Acquir. rer. Domin.*) *legalem* aliqui vocant.

(2) Ser-

ptum, (2) quod hoſtilis adhuc iræ quid in eos ſupereſſet, (3) & quia ipſi extrema nobis noſtriſque fortunis intentaverant. Quam primum tamen inter ejusmodi victorem victumque mutua fides circa conſociationem in familiam interceſſit, omnis antegreſſa hoſtilitas remiſſa cenſetur. Et tunc utique injuriam etiam taliter adquiſito ſervo facit dominus, ſi vel neceſſaria ad victum non ſuppeditet, vel citra rationem in eum ſæviat, multoque magis ſi citra condignum delictum eundem occidat.

§. V. Circa illos quoque ſervos qui bellica vi in eam conditionem fuerant abſtracti, nec non qui pretiô emuntur, receptum, (1) ut non ſecus ac aliæ res noſtræ, in quemcunque placeret, transferri, & ad inſtar mercium venire poſſent. Sic, ut ipſum *corpus ſervi domini eſſe* (2) intelligeretur. Ubi tamen huma-

(2) Sermo eſt de eo, quod factum, non quod fieri debuerit. Nam talis, ut barbara & inhumana, ſervitus omninò improbanda, quâ vix hominum in numero, imo planè pro nullis *l.* 32. *ff. de Reg. Jur.* habiti ſervi, ut antiquioribus temporibus apud Romanos.

(3) Quæ tamen, ut & recordatio priſtinæ hoſtilitatis omninò ceſſare debebat in dominis, ex quo victi ſemel in gratiam recepti.

§. V. (1) Ergo iterum de facto loquitur Autor, non de jure.

(2) Indè *Civili ratione* non licebat ſervis in ſuum corpus ſævire, licet ex hypotheſi Stoicorum JCtorum, *naturaliter* *l.* 9. §. 7. *ff. de peculio.*

(3) Tametſi

humanitas (3) jubet, ut nunquam obliviſcamur, ſervum utique hominem eſſe; adeoque nequaquam eum ita tractemus, velut alias res noſtras, quibus pro lubitu uti abutique, easque deſtruere (4) poſſumus. Et ubi talem ſervum alienare placet, ne iis data opera aut præter meritum addicatur, apud quos inhumana ipſum tractatio eſt manſura. (5)

§. VI. Denique & id paſſim receptum, ut, quæ ex ſervis parentibus naſcitur *proles* (1) ſervilis & ipſa ſit conditionis, pertineatque tanquam mancipium ad dominum matris. Id quod iſthoc argumento defenditur, quod, cujus eſt corpus, ejus quoque par ſit fructum (2) eſſe, qui ex eo corpore provenit.

(3) Tametſi enim ſervus deſinat eſſe liber; homo tamen eſſe non deſinit, unde etiam ea æqualitatis naturalis jura ipſi relinquenda, de quibus ſupra *L.* 1. *c.* 7. dictum.

(4) Quatenus ſcilicet nulla communio juris & obligationis inter eas & nos intercedit.

(5) Habet enim ex priore, in quam recepimus, conditione, jus ſibi quodammodo quæſitum, ut ne præter meritum eam deteriorem faciamus.

§. VI. (1) *Vernæ* dicuntur propriè. *l.* 36. *pr. ff. de Legat.* 1. *l.* 99. §. *fin. ff. de Legat.* 3. *l.* 10. *C. de rei vind.*

(2) Commodè ſatis ea proles ſervilis nomine *fructûs* hoc ſenſu venire poteſt, ſcilicet reſpectu domini, licet Jure Romano rectè ſtatuatur, ad Uſumfructum reſpectu uſufructuarii eam non referri. §. 37. *Inſt. de rer. diviſ.* Daturum enim hoc anſam ad ſtupra & lenocinia: imò non ſunt ancillæ, ut pariant, ſed ut ſerviant. Conf. *l.* 27. *pr. ff. de petit. hæred.* Vid. Grotium *L. II. c.* 5. §. 29. ſine ſufficiente ratione dubitantem, an Jure Naturali partus ſervilis ventrem ſequi debeat.

(3) Vul-

nit. (3) Et quia iſta proles naſcitura plane non erat, ſi dominus jure belli in parentem uſus fuiſſet. Et, quia parens nihil habet proprii, nulla ratio prolem ejusmodi alendi ſupereſt, niſi ex bonis herilibus. Cum igitur dominus alimenta præbeat ejusmodi proli diu antè, quàm ipſius opera utilis eſſe queat, & ſequentes operæ ſui temporis alimenta non multùm fere excedant; effugere eidem ſervitutem invitô dominô non licebit. (4) Manifeſtum tamen eſt, cum ejusmodi vernæ nullâ ſuâ culpâ in ſervitutem perveniant, nullum eſſe prætextum, quare iſti durius debeant tractari, quam conditio perpetuorum mercenariorum admittit.

(3) Vulgò dicunt: *partus ſequitur ventrem; &, cujus venter eſt, illius quoque eſt partus.* Vid. §. 37. *Inſt. de rer. diviſ. l. 24. ff. de ſtat. hom. l. ult. C. de liberal. cauſ.*

(4) Vid. Grot. *l. c.* §. 29.

CAPUT V.

DE

CAUSA IMPULSIVA (*) CONSTITUENDÆ CIVITATIS. (**)

§. 1. Quartus Statuum Adventitiorum, Civitas.
2. Ex appetitu Societatis non ſtatim ſequitur appetitus Civitatis.
3. Sed tria hic conſideranda.
4. *Primo*, quæ ſit ſubjectionis Civilis indoles?
5. *Secundo*, quis ſit bonus Civis? (6) *Ter-*

6. *Tertio*, quam multa ſint hominis vitia civilem ſocietatem perturbantia.
7. Genuina Civitatis conſtituendæ cauſa.
8. Sola Legis Naturalis reverentia ad pacem generis humani non ſufficit.
9. Nec Divini Numinis metus, & conſcientia.

(*) Cauſa *Impulſiva* aliàs *Finali* ſolet contradiſtingui; ſed, cùm etiam finis ſat efficaciter moveat, de utraque, tàm *Impulſiva*, quam *Finali* Autor hoc Capite agit, & potuiſſet de *Cauſis Moventibus* rectius id inſcribi.

(**) Civitatis definitio proponitur infrà *c. VI.* §. 10. Ceterum incipiunt hic propius ea, quæ aliàs in Politicis ad *partem Architectonicam* Civilis prudentiæ referuntur, & continuantur usque ad *Cap. XI.*

§. I.

QUanquam vix ſit jucunditatis quid atque commoditatis, quod per hactenus enumerata Officia Statusque (1) obtineri non poſſe videatur; quare tamen mortales non contenti parvis illis primisque Societatibus magnas Societates, quæ *Civitatum* nomine veniunt, conſtituerint; jam inveſtigandum reſtat. (2) Ex hiſce enim fundamentis deducenda eſt ra-

tio.

§. I. (*1*) Seu potius: Societates in Statu Naturali. Fit enim hîc tranſitus à Statu *Naturali ad Civilem*.

(2) Solent aliàs eorum aliqui, qui Politica ſyſtemata conſcribunt, poſt *ſimplices Societates*, de quibus hactenus actum, *compoſitas* quoque intermedias conſiderare, Familiam videlicet, pagos, vicos, urbes &c. Sed præter neceſſitatem, & non concinne ſatis. Nam (ut taceam; iſtas univerſitates ad introductas potiùs Civitates pertinere) ſufficit ſanè, coalitas ex ſimplicibus *Domos* ſeu *Familias* in Naturali Statu, prout hactenus ab Autore aliquoties ad eundem relatæ fuerunt, earumque plurium inter ſe conſociationem unicè ſpectaſſe.

§. II.

tio Officiorum, quæ *Statum hominum Civilem* comitantur.

§. II. Heic igitur *non ſufficit dixiſſe: hominem per naturam ipſam rapi ad ſocietatem civilem*, (1) ut citra eam nec poſſit nec velit vivere. Sanè enim cum apertum ſit, hominem eſſe tale animal, quod ſeipſum & ſuam utililtatem quam maximè amat (2) neceſſum eſt, dum ultrò Societatem Civilem affectat, ut aliquam utilitatem inde ſibi proventuram proſpexerit. Et quanquam extra ſocietatem cum ſui ſimilibus homo erat futurus animal longe miſerrimum: (3) tamen cùm naturalibus deſideriis & neceſſitatibus hominis per primas ſocietates, & per Officia ex humanitate (4) aut pactis præſtita, abundè potuerit ſatisfieri, non ſtatim ex ſocialitate hominis inferri poteſt, ejus indolem præcisè ad Societatem Civilem ferri. (5)

T ſ. III.

§. II. (1) Hoc enim falſiſſimum eſſe, patebit ex ſequentibus. Nec ad rem facit, quod Ariſtoteles hominem ſubinde ζῶον πολιτικὸν, *animal Politicum* appellat. *Nicomach. I. c.* 4. *Politic. I. c.* 2. Loquitur enim vel de aptitudine, vel *politicum* ipſi idem eſt ac *ſociabile*, quemadmodum ex contextu evidens fit.

(2) Vid. *l.* 1. *c.* 3. §. 2. *c. V.* §. 1.

(3) Ut pluribus oſtenſum *L. I. c.* 3. §. 3. *L. II. c.* 1. §. 4. & 9.

(4) De quibus actum *L. I. c.* 6. 7. & imprimis 8.

(5) Breviter: Non ſequitur: quia homo per naturam fertur ad Socialitatem, ergò etiam naturali inclinatione fertur ad Societatem Civilem in ſpecie.

§. IV. (1)

§. III. Id quod planius fiet, ſi conſideremus, quænam *conditio ex conſtitutis Civitatibus* apud homines proveniat: quid requiratur, ut quis verè dici queat *animal politicum i. e. bonus Civis:* quid denique deprehendatur *in natura hominis, indoli vitæ civilis repugnans.*

* Quoad *primum.* §. IV. Qui *Civis* fit, (*) libertatis naturalis jacturam facit, ac Imperio ſe ſubjicit, quod *jus vitæ* & *necis* complectitur; & cujus *juſſu* plurima facienda, abs quibus quis alias abhorrebat; & omittenda, quæ vehementer adpetebat. Pleræque etiam actiones *ad bonum ſocietatis* (1) referendæ, quod ſæpe à bono ſingulorum videtur diſcrepare. Atqui ad hoc per inclinationes jam congenitas fertur homo, ut nemini ſubjectus eſſe, ut omnia ſuô agere arbitriô, ut propriô commodô in omnibus velificari velit. (2)

* Quoad *ſecundum.* §. V. *Animal verè politicum i. e. bonum civem,* (*) illum dicimus, qui

§. IV. (1) Scilicet Civilis ſeu Civitatis.

(2) Id eſt: à pœnis, legibus, tributis, tanquam effectibus & conſequentibus Imperii Civilis, homo quoad inclinationem naturalem mallet eſſe liber & immunis. Vid. §. VI.

§. VI. (1)

qui juſſis Imperantium promte pa-
ret, qui ad bonum publicum omni-
bus viribus connititur, ac poſt illum
privatum bonum lubenter habet;
imò qui nihil ſibi bonum credit, niſi
idem bonum quoque ſit Civitati;
qui denique adverſus alios Cives
commodum ſeſe gerit. Atqui pau-
corum ingenia ultrò ad hunc finem
attemperata inveniuntur: maxima
pars metu pœnæ utcunque contine-
tur; multi per totam vitam mali Ci-
ves, & animalia non politica, manent.

§. VI. Denique (*) *nullum ho-* * *Quoad tertium.*
mine animal ferocius, aut indomi-
tum magis, & quod in plura vitia,
pacem ſocietatis perturbare apta, ſit
proclive. Præter deſideria enim
cibi Venerisque, quibus bruta quo-
que ſolent committi, multis homo
agitatur vitiis, quæ bruta ignorant,
uti eſt ſuperfluarum rerum inſatia-
bilis cupido, & ſæviſſimum malo-
rum ambitio: vivax item nimis in-
juriarum memoria, & vindictæ ar-
dor longo poſt tempore adhuc gli-
ſcens: nec non infinita diſſimilitudo
inclinationum & adpetituum, & cui-
que pro ſtudio ſuo extollendo per-

vicacia. Accedit, quod eo furore in proprium genus ſævire gaudeat homo, ut maxima pars malorum, quibus humana conditio vivit obnoxia, ab ipſo homine proficiſcatur. (1)

§. VII. Genuina igitur & *principalis cauſa*, (1) quare patresfamilias deſerta naturali libertate ad Civitates conſtituendas deſcenderint, fuit, *ut præſidia ſibi circumponerent contra mala, quæ homini ab homine imminent.* Nam uti poſt DEUM O. M. homo homini plurimum prodeſſe; ſic & idem non minus obeſſe poteſt. Et recte malitiam hominum ejusque remedium æſtimant, qui in proverbii vicem receperunt: *niſi judicia eſſent, unus alterum devoraret.* Poſtquam autem per Civitates in talem ſunt digeſti ordinem homines, ut à mutuis læſionibus tuti eſſe poſſent, (2) ultro deinde

§. VI. (1) Gemina his ferè habet Autor ſupra *L.* 1. *c.* 3. §. 4. *ſeqq.* Ubi tamen probè notandum, quod, dum de inclinationibus naturalibus hominis loquitur, non intelligat *Statum* ejus *Naturalem*, utpotè quem *rationalem* eſſe *c.* 1. §. 3. imò naturæ hominis, ut exlex vivat, non convenire, rectè docuit, *L.* 1. *c.* 2. §. 1. Potius igitur hic vitia Statui Naturali adverſa innuit.

§. VII. (1) Hactenus *remotivè* Autor, & quæ non ſit cauſa conſtituendarum Civitatum oſtendit. Jam ad *Cauſas veras* procedit. *Impulſiva* videlicet fuere *mala* & incommoda *Status Naturalis*, eorundemque *propulſatio.*

(2) En! *cauſas Finales*, & quidem *primariam*, quæ eſt *ſecuritas* tam externa, quam interna.

(3) Nec

deinde conſecutum fuit, ut eò uberius fruerentur commodis, quæ ex hominibus in homines provenire apta ſunt; puta, ut moribus à puero imbuerentur commodioribus, & varias invenerint atque excolerent artes, quibus vita humana copioſa & commoda fuit reddita. (3)

§. IIX. Illuſtrior adhuc fiet cauſa conſtituendæ Civitatis, ſi conſideremus, *alia media non fuiſſe ſuffectura* reprimendæ hominum malitiæ. (1) Quanquam enim *Lex Naturalis* præcipiat, ut ab omnibus injuriis inferendis homines ſeſe abſtineant: tamen ejus Legis reverentia id præſtare non poteſt hominibus, ut in libertate naturali ſatis tutò degere queant. Etſi enim fortè dentur homines animo ita modeſto, ut, ne impunitate quidem datâ, alios violare nolint; alii quoque metu proventuri inde

 mali

(3) Nec non *ſecundariam*, quæ *αὐταρκείας* voce communiter exponitur, & in *rerum ſufficientiâ* conſiſtit.

§. IIX. (1) Poſſet enim non ab re quæri: annon aliis remediis, incommoda illa Stat. Naturalis propulſari potuerint? Annon v. g. leges Naturales, imò conſideratio divini in homines Imperii tantum apud improbos valuerint ut in officio continerentur? Aſt ſolidè Autor Negativam defendit, cum quanta quanta horum omnium vis ſit intrinſeca, apud improbos tamen extrinſeca poteſtas requiritur, quæ eos terreat.

Oderunt peccare boni *virtutis amore:*
Oderunt peccare mali *formidine pœnæ.*

(2) Scili-

mali cupiditates ſuas utcunque compeſcant: magna tamen ex adverſo eorum turba datur, quibus omne jus vile eſt, quoties ſpes lucri arriſerit, & fiducia propriarum virium aut ſolertiæ, quâ repellere aut eludere læſos ſeſe poſſe ſperent. Quos uti nemo non cavere nititur, qui ſalutem ſuam amat: ita cautio illa commodius, quam ope Civitatum, obtineri nequit. Nam utut aliqui mutuò fidem dederint (2) de auxiliis invicem ferendis; ni tamen adſit aliquid, quô & Judicia eorum uniantur, & voluntates firmiter adſtringantur ad explendam fidem, (3) fruſtra ab iisdem certum auxilium ſibi quis promittit.

§. IX. Denique licet Lex Naturalis hominibus ſatis inſinuet, non impunè laturos, qui alios injuria affecerint: tamen neque *metus divini Numinis*, neque *Conſcientiæ morſus* ſat validam deprehenduntur vim habere quorumvis hominum malitiæ coërcendæ. Nam apud multos educationis & conſuetudinis vitio vis rationis velut obſurdeſcit. Unde fit, ut illi præſentibus tantum immineant, futurorum parum curioſi,

(2) Scilicet in ſtatu Naturali.

(3) Atqui hoc eſt Imperium Civile; ceu mox tradetur; *Cap. ſeq.* §. 5.

§. IX. (1)

rioſi, (1) ac non niſi iis moveantur, quæ in ſenſus incurrunt. Cum autem vindicta divina lentô fere pede ſoleat incedere, inde pravis mortalium præbetur occaſio, ad alias cauſas impiorum mala referendi; (2) præſertim cum ſæpè videant, improbis affatim adeſſe, queis vulgus felicitatem metitur. Accedit, quod ſtimuli Conſcientiæ, qui facinus antecedunt; (3) non ita validi videantur, quam qui idem ſubſequuntur, quando id, quod factum eſt, infectum amplius fieri nequit. Enim verò pravis cupidinibus reprimendis præſentaneum, & ad indolem hominum probè attemperatum remedium in Civitatibus reperitur. (4)

§. IX, (1) Indulgent cœcis ſuis ſtimulis, de pœnâ divinâ non cogitantes.

(2) Id eſt, quamvis videant, improbos à DEO puniri, id tamen non ad pœnas referunt.

(3) Conſcientia, prout ſupra traditum, *L. I. c.* 1. §. 5. & *ad eum Not.* 1. vel *propriè* accipitur, & conſiſtit in Judicio orto ex collatione actionis cum Lege; vel *impropriè*, pro ſignis in homine ex tali Judicio ortis. Quocunque ſenſu accipias, certè Conſcientia, quà facinus antecedit tàm validè non movet, quàm quâ conſequitur. Nam conſcientia, dum res adhuc eſt integra, *Doctoris*, dum peracta, *tortoris* vice fungitur; undè etiam, ſi utique homo ad Judicium antecedens, quodammodo commoveatur, ſigna tamen non poſſunt eſſe adeò luculenta & fortia, ac illa, quæ factum conſequuntur.

(4) Leges ſcilicet civiles, & rigida earum exſecutio.

CAPUT

CAPUT VI.

DE

INTERNA CIVITATUM STRUCTURA.

§. 1. Homo homini contra malos optimū præſidium.
2. Ad hoc multitudine opus eſt.
3. Et ut ea per conſenſum coëat.
4. Duo diuturni conſenſus obſtacula, & eorum remedia.
5. Primum remedium *unio voluntatum* ad commune imperium.
6. Alterum ad idem *unio virium.*
7. Unio hæc fit mediantibus *pactis*; eorum *primum*, ſcil. Civium inter ſe.
8. Cum ſubſequente *decreto*, de Regiminis forma.
9. Pactorum *alterum*, Civium videlicet cum Imperante.
10. Indoles & definitio Civitatis.
11. In Monarchia Regis voluntas eſt voluntas Civitatis.
12. In aliis formis quomodo ea exprimatur?
13. Diverſæ Civitatum ſpecies & Civium differentiæ.
14. Quo ſenſu Majeſtas ſit à DEO.

§. I.

PRoximum eſt, ut inveſtigemus, qua ratione Civitates ſint exſtructæ, earundemq; *interna compages* cohæreat. (1) Ubi illud primò manifeſtum eſt, adverſus mala ab hominum pravitate imminentia

§. 1. (1) Optandum, ut hiſtoriam conditarum Civitatum certam haberemus, & appariturum ſanè eſſet, nihil ab Autore hic fingi, vel temerè dici; ſed omnia ſuis conſtare rationi-

nentia ſingulis hominibus neque locum aliquem, neque arma, neque animantia bruta commodius & efficacius præſidium potuiſſe ſuppeditare, quam alii homines. Eorum autem vis cum in longè diſtantia non feratur, (2) neceſſum erat *conjungi*, per quos finis iſte obtinendus erat.

§. II. Nec minus conſtat, ejusmodi ſecuritatem adverſus alios homines præſtare non poſſe duorum vel trium conſenſionem. Quia facilè eſt, ut ad paucos hoſce opprimendos tot conſpirent, quot certiſſimam ſibi de illis victoriam ſpondere poſſint; quibus ſpes ſucceſſus & impunitatis fiduciam ad aggrediendum eſt datura. Igitur ad iſtum finem neceſſarium eſt, *inſignem hominum multitudinem* (1) ſeſe conjungere, ut paucorum hominum ad hoſtes acceſſio non ſit ipſi conſpicui momenti ad victoriam.

§. III. Inter multos iſtos hoc fine coëuntes oportet ut ſit *conſenſus circa adhibenda media ad eundem finem idonea.* (1) Nam

T 5 etiam

tionibus; id quod indè evadit evidens, quia, ſi contingeret, ut hodiè populus aliquis relicta naturali libertate Imperio Civili ultro ſe ſubjiceret, aliâ viâ id fieri non poſſet.

(2) Uti contra de Imperio Civili rectè quæritur: *an neſcis, longas Regibus eſſe manus?*

§. II (1) Hoc eſt *Materiale*, velut populi Civitatem extructuri.

§. III. (1) In hoc conſiſtit *Formale*, & Spiritum quaſi tribuit ejusmodi populo.

(2) Poſ-

etiam multi, ni conſentiant inter ſe, ſed diſtracti ſententiis in diverſa tendant, nihil efficient. Aut, licet ad tempus conſentiant, impellente aliquo affectu: mox tamen, prout mutabilia ſunt hominum ingenia & inclinationes, in diverſa abibunt. Et quamvis pacto inter ſe promittant, quod ad defenſionem communem vires ſuas ſint applicaturi, (2) tamen ne hoc quidem modô ad diuturnitatem iſti multitudini ſat cautum erit. Sed oportet, ut *quid amplius accedat*, ut, qui ſemel ad pacem & mutuum auxilium causâ communis boni conſenſerint, prohibeantur, ne poſtea, cum bonum ſuum privatum à publico diſcrepare viſum fuerit, iterum diſſentiant.

§. IV. Cæterum in humano ingenio *duo* potiſſimum occurrunt *vitia*, quæ impediunt, quò minus multi ſui juris, & abs ſe invicem non dependentes, (1) diu in communem aliquem finem poſſint conſpirare. *Unum* eſt *diverſitas inclinationum & judicii* circa diſcernendum, quod ad finem eſt utiliſſimum: cui in multis eſt conjuncta *hebetudo*, ad diſpiciendum, quæ ſententia ex pluribus ſit magis proficua, & *pervicacia* mordicus defenden-

(2) Poſſet enim hoc etiam fieri in Statu Naturali; ſed nulla in eô ſecuritas, propter cauſas in *Cap. præcedent.* §. §. *IIX.* & *IX.* adductas.

§. IV. (1) Quales ſcilicet ſunt in Naturali Statu viventes.

dendi, quod ſemel utcunque arriſerit. *Alterum* eſt *torpor & averſatio* ultrò faciendi, quod utile eſt, ubi deſit aliqua neceſſitas, quæ tergiverſantes, velint nolint, ad Officium faciendum ſubigat. *Priori* vitio occurritur, unitis in perpetuum voluntatibus omnium: (2) *poſteriori* autem, ſi conſtituatur aliqua poteſtas, quæ præſens & in ſenſus incurrens malum infligere poſſit communi utilitati reluctantibus. (3)

§. V. *Uniri multorum hominum voluntates* nullâ alia ratione poſſunt, quàm ſi unusquisque ſuam voluntatem voluntati unius hominis, (1) aut unius concilii, (2) ſubjiciat, ita ut deinceps pro voluntate omnium & ſingulorum ſit habendum, quicquid de rebus ad ſecuritatem communem neceſſariis ille voluerit. (3)

§. VI. *Poteſtas* autem talis, quæ omnibus ſit *metuenda*, itidem inter multos homines nullâ aliâ ratione conſtitui poteſt, quàm ſi omnes & ſinguli ſeſe obligaverint, quod eô modô vires ſuas ſint adplicaturi, ſicut ille voluerit, in quem omnes virium ſuarum directio-

(2) Id quómodo fiat in exſtruenda Civitate, docet §. *ſequ.* V.
(3) De hoc §. *VI.*
§. V. (1) In Monarchia.
(2) In Ariſtocratia & Democratia.
(3) Breviter: hic eſt Conſenſus in *Leges*. Nam per has ſuam voluntatem Majeſtas vel ſummus Imperans exſerit.

rectionem reſignarunt. (1) Ubi autem & voluntatum & virium (*) unio facta fuerit, tunc demum multitudo hominum in validiſſimum corpus, Civitatem nimirum animatur.

* *Talis.*

§. VII. Porrò ut Civitas *regulari modo* coaleſcat, requiruntur *duo pacta*, & *unum decretum*. *Primò* enim omnium illi multi, qui in libertate naturali conſtituti intelliguntur, ubi ad Civitatem faciendam congregantur, inter ſe *ſinguli cum ſingulis Pactum* ineunt, quod in unum & perpetuum cœtum coire velint, ſuæque ſalutis ac ſecuritatis rationes communi conſilio ac ductu adminiſtrare; unô verbô, quod velint Concives mutuo fieri. (1) In quod pactum omnes & ſinguli ut conſentiant, neceſſum eſt; & qui non conſenſerit, is extra futuram Civitatem manet.

§. IIX. *Poſt* iſthoc pactum oportet, ut *Decretum* (1) fiat, *qualis formâ regiminis* ſit

§. VI. (1) Breviter: hic eſt Conſenſus in *exſecutionem Legum*, quæ fere fit per *Judicia* & per *pœnas*.

§. VII. (1) Hæc Philoſophia Autoris quoad *primum pactum* tàm ſobria & tàm vera eſt, ut etiam, qui contradicere voluerunt, eam adprobare coacti fuerint. Neque enim vel credibile vel poſſibile eſt, eos, qui in Rempublicam coire voluerunt, cæco inconſultoque ſolo impetu ad id faciendum fuiſſe abreptos.

§. IIX. (1) Decretum eſt communis omnium voluntas, ex *prævià conſultatione* orta; & ſic differt à *pacto*, utpote, quod in ſingulorum conſenſu & voluntate conſiſtit.

(2) Hoc

ſit introducenda. (2) De hac enim antequam conſtitutum ſit, nihil conſtanter poterit expediri, quod ad communem ſalutem faciat.

§. IX. Poſt Decretum circa formam regiminis *alterô Pactô* opus eſt, quando conſtituuntur ille vel illi, in quem vel quos regimen naſcentis Civitatis confertur: quô quidem pactô hi ad curam communis ſecuritatis & ſalutis, reliqui ad obſequium his præſtandum ſeſe obſtringunt, quô ipſo etiam omnes ſuam voluntatem ſubjiciunt voluntati iſtius vel iſtorum, ſimulque ſuarum virium uſum & adplicationem ad communem defenſionem eidem vel iisdem deferunt. Atque hoc pactum ubi ritè fuerit executioni datum, tunc demum perfecta & regularis Civitas inde provenit. (1)

§. X. Civitas ita conſtituta ad modum *unius Perſonæ* (1) concipitur, unôque *nomine* ab omnibus particularibus hominibus diſtin-

(2) Hoc quidem præcipuum decreti caput eſt; pertinet tamen eò etiam, ut Subjectum deſignetur, quod majeſtatem ſuſtinere debeat.

§. IX. (1) Contra rationem, &, ut ita loquar, notorietatem negat hoc pactum ſimpliciter Hobbes. *de Civ. C. V.* §. 7. 8. *c. VI.* §. 13. *c. VII.* §. 7. Sed peſſimè omninò. Dum enim metuit, ne conceſſô tali Pacto populo poteſtas quædam in ſummos Imperantes detur: in alterum extremorum incidit ejus Philoſophia, & ſummis Imperantibus abſolutam illimitatamque in populum poteſtatem tribuit, eoque ipſo tyrannidi viam aperit.

§. X. (1) Scilicet *Moralis*.

(2) Vul-

diſtinguitur atque dignoſcitur, habetque peculiaria *Jura*, (2) ac Res proprias; (3) quæ neque ſinguli, neque multi, neque adeò omnes ſimul, citra eum, qui ſummum habet Imperium, ſeu cui regimen Civitatis commiſſum, ſibi aſſerere poſſunt. Unde *Civitas definitur*, quod ſit perſona moralis compoſita, cujus voluntas ex plurium pactis implicita & unita pro voluntate omnium habetur, ut ſingulorum viribus & facultatibus ad pacem & ſecuritatem communem uti poſſit. (4)

§. XI. Exſerit autem ſeſe *voluntas Civitatis*, tanquam principium actionum publicarum, vel *per unum hominem*, vel *per unum concilium*, prout in illum aut hoc ſumma rerum fuit collata. Ubi penes *unum hominem* eſt regimen Civitatis, Civitas velle intelligitur, quodcunque iſti homini (cui ſanam rationem conſtare præſupponitur) placuerit, & quidem circa negotia, quæ ad finem Civitatum ſpectant. (1)

§. XII.

(2) Vulgò dicta *Regalia*. Vid. *c. VII. c. XII. ſeqq.*
(3) Nimirum *Domanialia, Fiſcalia* &c. Vid. infr. *c. XV.* §. 5.
(4) H. Grotius ita definit: quod ſit *cœtus perfectus liberorum hominum, juris fruendi & communis utilitatis cauſa ſociatus. L. 1. c. 1. §. 14.*

§. XI. (1) Finis enim in omni Societate eſt menſura poteſtatis. Undè ſequitur, quod ad ea, quæ finem Civitatis non afficiunt, Summorum Imperantium jura & poteſtas ſe non extendat. V. gr. Ad res Conſcientiæ, ad animi ſententias, qua tales ſunt & manent; breviter, ad interna.

§. XII. (1)

§. XII. Verum ubi regimen Civitatis collatum eſt in Concilium ex pluribus hominibus conſtans, quorum quisque ſuam retinet voluntatem naturalem; regulariter illud habetur pro voluntate Civitatis, in quod conſenſerit *major pars* hominum, ex quibus Concilium componitur; (1) niſi expreſſe ſtatutum ſit, quota pars Concilii conſentiens requiratur ad repræſentandam voluntatem univerſitatis. Ubi autem duæ ſententiæ diſcrepantes ſint, nihil agetur, ſed res in priori ſtatu manebit. (2) Inter plures ſententias diſcrepantes illa prævalebit, quæ ſingulis diſſentientibus major eſt, (3) modo in eam tot conſpirent, quot alias voluntatem Univerſitatis per Sanctiones publicas repræſentare poſſunt. (4)

§. XIII.

§. XII. (1) Poteſt equidem fieri, ut minoris partis vota ſint *ſaniora*, adeoque ad ea potius reſpici ponderarique debeant; Aſt quia deſunt, qui de hoc judicium ferant, neque id in ſenſus incurrat, uti quidem ſit, ſi vota numerantur, igitur hic modus præferendus, cum præterea etiam oculi plus videant, quàm oculus, & plures ſapientum præſumtionem pro ſe habeant.

(2) Indè, ut deliberationes habeant exitum, plerumque Capiti & directori Concilii duplex ſuffragium datum, quo vota paria imparia facere is poſſit.

(3) V. gr. In electione *unus* habet, quæ ſibi favent, ſex; *alter* ſeptem, *tertius* octo vota. Hic ultimus gaudet pluralitate, ratione ſingulorum diſſentientium, licet diſſentientes iſti conjunctim accepti tredecim vota numerent, & per hæc octo illa ſuperentur.

(4) Exemplum eſt in *cap. 6. X. de Elect. & Elect. poteſt.* ubi duæ tertiæ partes debent vota reliquorum vincere. *Sic* v. gr. in Electione Pontificis, pone quod ſint 24. Cardinales

§. XIII. Civitate ita conſtituta, ille, in quem Imperium eſt collatum, prout eſt vel unus homo, vel unum Concilium paucorum aut univerſorum *Monarcha*, *Senatus*, aut *Populus liber* dicitur; reliqui *ſubditi* audiunt, aut Cives, (5) vocabulô hoc latius acceptô. Etſi preſſius illi quibusdam duntaxat Cives ſoleant dici, quorum coitione & conſenſu primò Civitas coaluit, aut qui in horum locum ſucceſſerunt, nempe *patres familias*. (6) Sunt porro *Cives* vel *orginarii* vel *adſcititii*. Illi ſunt, qui vel initiô Civitati naſcenti interfuerunt, vel qui ex hiſce ſunt geniti; quos etiam *indigenas* appellari mos eſt. Hi autem ſunt, qui Civitati jam conſtitutæ extrinſecus accedunt, eo fine, ut fortunarum ibi ſedem figant. Nam qui tantum ad tempus commorandi cauſa in civitate verſantur, etſi tantiſper ipſius Imperio ſubjiciantur, Cives tamen (*) non haben-

* *In ſenſu ſtrictô.*

nales eligentes: non ſufficiunt ad Majora conſtituenda tredecim vel quatuordecim ſuffragia: ſed hoc caſu duæ tertiæ, id eſt ſedecim minimum requiruntur.

(5) Quatenus ſcilicet fœminæ etiam, & pueri & ſervi hâc voce comprehenduntur.

(6) Et hæc ſententia eſt magis adcurata. vid. Dn. Hertius *Element. Prudent. Civil.* p. 1. *Sect.* 5. §. 3.

(7) V.

habentur, ſed peregrini aut *inquilini* vocantur. (7)

§. XIV. Iſta tamen, quæ ſuper origine Civitatum tradita ſunt, non obſtant; quo minus *Imperium Civile* à DEO eſſe recte dicatur. (1) Cum enim idem Legem Naturalem ab omnibus hominibus exerceri velit; & verò poſt multiplicatum genus humanum tam horrida vita inter homines proventura fuerit, ut legi naturali vix ullus relinqueretur locus; cujus tamen exercitium

U per

(7) V. gr. Studioſi & peregrini omnes in genere, qui ſtabilem fortunarum ſedem in locô aliquô non quærunt.

§. XIV. (1) Vexata aliàs eſt quæſtio de *Cauſa Majeſtatis*, quàm plurimi immediatam Deum eſſe voluerunt, vel ex ſimplicitate & ignorantiâ rerum moralium; vel ex ſuperſtitioſa pietate erga Summos Imperantes, dum putarunt, non poſſe inviolabilitatem & Sanctimoniam eorum melius in tuto collocari, quàm ſi ſtatuatur: *Majeſtatem eſſe immediatè à DEO.* Maximum robur ponunt in verbis Pauli, *Rom. XIII, 1. ſeqq.* ſed perperàm intellectis. Paulus dicit: *Non eſt Magiſtratus, niſi à DEO.* Sed, ſequiturne inde? E. O. Magiſtratus eſt *immediatè ab Adamo.* Inſtat Dn. Thomaſius: Non eſt homo, niſi ab Adamo: Ergone O. homo eſt immediatè à DEO? Imò ſi hoc verum eſt, ſequitur, quod etiam Sculteti pagani ſint *immediatè* à DEO; quod abſurdum. Tandem de productione Majeſtatis ſeu ſummæ poteſtatis ne quidem loquitur Paulus; in d. l. Rectius E Autor noſter exponit, quô ſenſu Deus ſit cauſa Majeſtatis, quamvis non Theologi tantùm, ſed & JCti & Politici ferè omnes antiquâ lyrâ ſoleant oberrare. Paulus ex Petro explicandus eſt, qui τὴν ἐξουσίαν vocat κτίσιν ἀνθρωπίνην, i. e. *ſtructuram humanam,* 1 Petr. 2, 13.

(2) *Rom.*

per inſtitutas Civitates egregie promovetur; ergò, (Cum, qui jubet finem, jubere etiam cenſeatur media ad finem neceſſaria,) DEUS quoque mediante dictamine rationis antecedenter præcepiſſe humano generi multiplicato intelligitur, ut Civitates, quæ Summo Imperio velut animantur, conſtituerentur. Quarum ordinem quoque in Divinis literis expreſsè adprobat, (2) ejusque Sanctimoniam peculiariter legibus ſancit, ſibique illud peculiariter curæ eſſe teſtatur.

(2) *Rom. XIII*, 2. ubi conf. Grot. *J. B. & P. L. I. c.* 2. §. 7. *n.* 3.

CAPUT VII.

DE

PARTIBUS SUMMI IMPERII. (*)

1. Partes Summi Imperii quæ ſint, ex fine Civitatum colligitur.
2. Unde poteſtas legiſlatoria;
3. Pœnas ſumendi;
4. Judiciaria;
5. Belli & Pacis, nec non fœderum pangendorum;
6. Magiſtratus conſtituendi.
7. Tributa indicendi.
8. Circa doctrinas publicas.
9. Regularis partium harum cohærentia.

(*) Seu *Regalibus* in genere.

§. I. Quæ

§. I.

QUæ *partes* ſint Summi Imperii,(1) & quibus modis ejusdem ſeſe vis in Civitatibus exſerat, ex natura & fine earundem liquidò poteſt colligi.

§. II. In Civitate omnes ſuam voluntatem ſubmiſerunt voluntati imperantium, circa negotia ad ſalutem Civitatis facientia, quod velint facere, quidquid illi voluerint. Hoc ut fieri poſſit, neceſſum eſt, ut *Imperantes Civibus ſignificent, quæ ipſorum circa talia ſit voluntas.* Iſtud igitur faciunt non ſolùm *per mandata ad ſingulos* directa cir-

§. I. (1) Quo modò Majeſtas conſtituatur, oſtenſum fuit in præcedentibus. Jam, quæ ſit ejus indoles, & quibus eâ partibus abſolvatur, videndum. Eſt igitur *Majeſtas* ſumma in Civitate poteſtas, ex unione communi orta, & mediante pacto in Imperantem translata, indeque voluntatem atque vires totius Civitatis repræſentans, ſecuritatis & beatitudinis civilis obtinendæ gratia. Partes Majeſtatis ſunt ipſa Jura, quorum menſura iterum eſt finis Civitatis, ut jam antea monitum. At, inquis: *Majeſtas non eſt diviſibilis*, E. *non habet partes.* Reſpondeo: ſi Antecedentis is ſenſus eſt, quod per partes diſtinctè non poſſit concipi, fallit. Eſt enim Majeſtas *totum* aliquod *poteſtativum*, in complexu multorum jurium conſiſtens. Ergò etiam per *partes* diſtinctè concipi, imò per partes diſtinctè adminiſtrari poteſt, & differunt eæ, ab invicem formaliter. Quod ſi verò de *indiviſibilitate politica* loquitur, quatenus ſcilicet non niſi in unâ perſonâ phyſicè vel moraliter tali Majeſtas eſſe poſſit: rectè ſe habet Antecedens, & inculcat id Autor tùm alibi, tùm maximè in *§. ult. huj. Cap.* ut & *Cap. ſeq. IIX.*

ca negotia particularia; ſed etiam *per generales regulas*, unde omnibus in perpetuum de agendis omittendisve conſtet. Per quas etiam definiri ſolet, quid cuique ſuum, quid alienum cenſeri debeat; quid in Civitate pro licito, quid pro illicito, quid pro honeſto aut inhoneſto habendum; (1) quid cuiquè ex libertate naturali ſuperſit, aut quomodo quisque uſum ſuorum jurium ad tranquillitatem Civitatis temperare debeat; quid denique & quomodo quisque ſuo jure ab altero exigere queat. Hæc omnia enim liquidò definita eſſe, ad decus & tranquillitatem Civitatis plurimum facit.

§. III. Is porrò potiſſimus Civitatum finis eſt, ut homines mutuâ conſpiratione & ope tuti ſint, adverſus damna & injurias, quæ ab hominibus invicem inferri poſſunt & ſolent. (1) Id ut obtineatur ab hominibus, quibus

§. II. (1) Hæc non juxta craſſiorem Hobbeſii Philoſophiam, *de Civ. C. VI. §. 9. ſeqq.* imprimis 16. ita accipienda, ac ſi ſcilicet horum omnium determinatio ſimpliciter & abſolutè à Summi Imperantis voluntate dependeat; ſed potius ſemper ſupponendum: *ſalvis ubique & conſentientibus Legibus Naturæ*; vel ſic exponendum: quatenus Legislatores Civiles LLbus Nat. vim Legum Civilium tribuunt, ſanctione pœnali robur addunt, Actionibus ſubveniunt, vel etiam, quæ Jure Naturali non ſunt ſpecialiter definita, determinant, & ad certam formam reducunt; de quibus uſibus Legum Civilium vid. *inf. c. XII. §. 3. ſeqq.*

§. III. (1) Et quidem non ſolum quoad exteros; ſed etiam quoad Concives: indè finem primarium in ſe complecti ſecu-

bus cum, in eandem ſocietatem conjungimur, non ſufficit, ut mutuò inter ſe paciſcantur de injuriis non inferendis; (2) neque etiam ut nuda ſuperioris voluntas Civibus innoteſcat: (3) ſed opus eſt *metu pœnæ, & facultate eandem repræſentandi.* Quæ pœna, ut huic fini ſufficiat, ita eſt temperanda, ut apertè majus malum ſit leges violaſſe, quam obſervaſſe; (4) utque adeò pœnæ acerbitas voluptati aut lucro, quod ex injuria capitur aut ſperatur, præponderet. (5) Nam non poſſunt homines non ex duobus malis minus eligere. Licet autem multi per imminentem pœnam ab injuriis non reprimantur, id tamen inter minus frequentia habendum eſt, quæ planè evitare conditio humana non patitur.

§. IV. Quia etiam ſæpè controverſiæ ſuper recta legum adplicatione ad facta ſingularia oriri ſolent, ac multa accuratè expendenda occurrunt, ſi quid contra leges factum eſſe dicatur: indè, ut inter Cives tranquillitas conſtet, Summi Imperii eſt *lites*

U 3 *Civium*

ſecuritatem tàm *externam*, quàm *internam*, ſupra monuimus. Hic de *priore*, de *poſteriore* §. *V.* agetur.

(2) Si enim hoc ſufficeret, potuiſſent homines permanere in Statu Naturali.

(3) Sola ſcilicet legis promulgatione.

(4) Nimirum improbis, qui Legibus obſequi pro malo habent.

(5) De pœnis poſthæc fuſius *c. XIII.*

§. IV. (1)

Civium cognoſcere & decidere, ſingulorumque facta, quæ legibus contraria arguuntur, examinare, ac pœnam legibus convenientem dictitare, & exequi. (1)

§. V. Ut autem, qui in Civitatem coiverunt, adverſus extraneos tuti ſint, Summi Imperii eſt *congregare, unire, & armare*, aut ejus loco conducere, quot pro incerto numero, & viribus hoſtium ad communem defenſionem opus viſum fuerit; rurſusque, ubi expedierit, pacem facere. (1) Cumque & belli & pacis temporibus inſerviant *fœdera*, (2) ut & commoda diverſarum Civitatum melius communicare poſſint, & validior hoſtis junctis viribus repelli aut in ordinem redigi queat; penes Summum quoque Imperium erit, utrique tempori inſervientia fœdera inire, univerſosque ſubditos ad ea ſervanda obſtringere, ſimulque exinde redundantia commoda in Civitatem derivare.

§. VI. Cum etiam Civitatis amplæ negotia, tam belli quam pacis tempore occurrentia, ab uno homine ſine *miniſtris & magiſtratibus* exſecutioni dari nequeant; opus erit à Summo Imperio conſtitui homines, qui

§. IV. (1) Conferri cum his poſſunt *L*. 1. *c*. 2. §. 5. *ſeqq*. infra *c*. *XI*. §. 5. 6. *c*. *XVIII*. §. 10.

§. V. (1) In ſpecie de hoc Jure agetur *c*. *XVI*.

(2) Plenius de hoc argumento infr. *c*. *XVII*.

§. VI. (1)

qui ipſius vice controverſias Civium examinent, (1) vicinorum conſilia explorent, (2) milites gubernent, (3) opes Civitatis colligant, & diſpenſent, ac denique utilitati Civitatis undique proſpiciant. (4) Quos ipſos Summus Imperans ad officium faciendum compellere, geſtorumque rationes poſcere poteſt ac debet.

§. VII. Quia porrò nec belli nec pacis tempore Civitatis negotia ſine *ſumtibus* geri poſſunt, Summi Imperii eſt adigere Cives, ut eoſdem ſuppeditent. Id quod variis modis contingit, puta, ſi vel Cives aliquam bonorum aut proventuum regionis abs ſe inſeſſæ partem ad hos uſus ſeponant; (1) vel ſinguli Cives de ſuis bonis conferant, ſimulque ubi opus ſit, operas ſuas præbeant; vel ſi vectigalia imponantur mercibus, quæ importantur, & exportantur, (quorum illud tamen magis Cives, (2) hoc exteros, (3) onerat;)

U 4 aut

§. VI. (1) Judices nimirum & Magiſtratus Vid. *c. XI.* §. 9.
(2) Legatos intelligit. Conf. *c. XVIII.* §. 13.
(3) Vid. *c. XVIII.* §. 11.
(4) Vid. *ibid.* §. 14.
§. VII. (1) Intelligit bona domanialia.
(2) Ne ſcilicet ab importatione exteri per gravitatem vectigalium deterreantur, & poteſt id eò juſtius fieri, ſi, quæ importantur, ſunt luxus & deliciarum fomenta. Conf. Bodinum *de Republ. L. VI. c.* 2.
(3) Qui pro beneficio reputare debeat, quod exportare licet.

(4) Vulgò

aut ſi de pretio rerum, quæ conſumuntur, modica pars decidatur. (4)

§. IIX. Denique cum ſingulorum actiones à ſua cujusque opinione regantur; plerique autem de rebus ita ſolent judicare, prout aſſueverunt, & prout communiter judicari vident; pauciſſimi propriô ingeniô vera & honeſta diſpicere queant, inde Civitati expedit, ut publice (1) ejusmodi *doctrinis* perſonet, (2) quæ cum recto fine & uſu Civitatum congruunt, ſimulque animi Civium à puero iſtis imbuantur. Ejusmodi igitur doctrinas qui publicè doceant, Summi Imperii eſt conſtituere. *

§. IX. Sunt autem iſtæ partes Summi Imperii naturaliter ita *connexæ*, ut, ſiquidem *regularis forma* Civitati conſtare debeat, omnes & ſingulæ penes unum radicaliter eſſe debeant. Nam ſi una vel altera planè abfuerit,

(4) Vulgò die Acciſe. Cæterùm de Jure Imperii in bona Civium uberius dicetur toto Cap. XV.

§. IIX. (1) Rectè *publicè*. Nam quid unus vel alter privatim ſentiat, Reipublicæ non intereſt, modò ſententias non propalet.

(2) *Practicis* imprimis; unde dogmata pſeudo-Moralia, & pſeudo-Politica Monarchomachorum & Machiavelliſtarum non toleranda. De *Chriſtianis* infra dicemus, *Cap. XI.* §. 4. vid. etiam *cap. XVIII.* §. 9.

* *Jur. Nat. & Gent. Lib. VII. cap.* 4. §. 8. *Apolog.* §. 6. Erid. Scand. *pag.* 7. *ſeq.* Confer ſuprà ad *Lib. I. cap.* 4. §. 9. notata.

§. IX. (1)

fuerit, mancum erit Imperium, (1) nec ad finem Civitatis procurandum idoneum. (2) Sin autem iſtæ dividantur, ita ut quædam radicaliter ſint penes unum, reliquæ penes alium, *irregularem rempubl.* & malè cohærentem emergere neceſſum eſt. (3)

§. IX. (1) Ex. gr. Si *Jus Sacrorum* non ſit apud eum, qui habet τὸ κύϱιον in Republicâ.

(2) Præſtò ſunt exempla ſuperiorum temporum, undè conſtare poteſt, quantum nocuerit Imperatoribus, quod Jus Sacrorum fuit apud Pontificem; & quam parum fuerit idonea eorum ſine hoc poteſtas, ad finem Civitatis, ſecuritatem ſcilicet internam & externam procurandam.

(3) Talis eſt omnis ea, ubi Jus Sacrorum eſt penes alium, quam ſummum Imperantem. Plura de hac diſtinctione Formæ in regularem & irregularem, vid. *Cap. ſequ.* §. 2. 3. 5. 12.

CAPUT VIII.
DE
FORMIS RERUM PUBLICARUM.

§. 1. Summum Imperium varias formas recipit.
2. Eæ ſunt vel regulares, vel irregulares.
3. Regularium tres Species.
4. Comparatio illarum formarum.
5. Regulares poſſunt habere vitia tàm Status quàm hominum.
6. Vitia hominum quæ ſint in ſpecie in Monarchia?
7. Quæ in Ariſtocratia?
8. Quæ in Democratia?
9. Vitia in genere quæ ſint omnibus Rebuspublicis?
10. Vitia ſtatus verè ſic dicta.
11. Falſò imputata.

12. Formæ irregulares multiplices.
13. Syſtemata Civitatum,
14. Exiſtunt vel per communem Regem;
15. Vel per fœdus perpetuum.

§. I.

SUmmum Imperium, prout vel in *uno homine*, vel in *uno Concilio ex paucis, aut univerſis, conſtante* reperitur, diverſas Formas Rerumpublicarum producere ſolet.

§. II. Sunt autem *Formæ* Civitatis vel *regulares* (1) vel *irregulares*. (2) Illæ ſunt, ubi Imperium Summum in uno ſubjecto (3) ita eſt unitum, ut illud indiviſum (4) & inconvulſum ab una voluntate per omnes Civitatis partes atque negotia (5) ſeſe diſpenſet. (6) Ubi hoc non deprehenditur, irregularis forma Civitatis erit.

§. III. Civitatis *regularis tres* ſunt *Formæ*: prima, quando Summum Imperium eſt penes

§. II. (1) Al. *primi Ordinis.*
(2) Al. *ſecundi Ordinis.* Vid. Dn. Hert. *Prud. Civil. p.* 1, *Sect.* 2. §. 4. *p.* 67.
(3) Vel *phyſicè unô*, ut in Monarchia; vel *moraliter unô*, ex pluribus perſonis phyſicis compoſitô, ut in Ariſtocratia & potiſſimum Democratiâ.
(4) Indiviſibilitate politicâ, vid. *Not.* 1. *ad* §. 1. *Cap. præced.*
(5) De quibus itidem toto Cap. præced.
(6) Adeoque patet, à Structura regulari politicâ regularem dici, quod propter ſequentia notandum.

§. III. (1)

nes unum hominem; & dicitur *Monarchia.* Altera, quando Summum Imperium eſt penes Concilium ex ſelectis duntaxat Civibus conſtans; & vocatur *Ariſtocratia.* Tertia, quando Summum Imperium eſt penes Concilium ex univerſis Patribus familias conſtans, & appellatur *Democratia.* (1) In prima is, qui rerum potitur, dicitur, *Monarcha*, in ſecunda *Optimates*, in tertia *Populus.* (2)

§. IV. In omnibus hiſce Formis poteſtas quidem eſt eadem; (1) ſed in eo inſignem *habet commoditatem Monarchia præ reliquis Formis*, quod in ea, ut deliberetur & decernatur, id eſt, ut Imperium actu exerceatur, non opus ſit temporibus & locis condi-ctis,

§. III. (1) Dicitur alias quoque in ſenſu ſtrictiore *politia.*
(2) Alias etiam rem ſic proponunt, quod *Status Civitatum* ſit vel *Monarchicus*, quo *Monarchia*; vel *Polyarchicus*, quò *Ariſtocratia* & *Democratia* pertinent.

§. IV. (1) Orta videlicet ex conſpiratione voluntatum atque virium, ut abundè in præcedentibus oſtenſum. Et quidem in prioribus duabus Formis poteſtas illa ſive Majeſtas ſat evidens eſt, non æquè in *Democratia*, idque indè, quia (1) hæc Forma imperandi ferè ab uſu receſſit. (2) ſubjectum non adeò certum & conſtans eſt, ut in cæteris. Indè Jo. Frid. Hornius Democratiis Majeſtatem planè denegavit. *De Civitat. L. III. c. un.* §. 10. *ſeqq.* Sed certè ſine ratione. Nam contradictionem involvit; Rempublicam aliquam eſſe Regularem, & tamen carere ſummâ poteſtate. *Subjectum* igitur ſunt Patres familias in Conciliis Democraticis congregati; & quicquid major eorum pars concluſerit, id pro *voluntate totius Reipublicæ* habendum, quam illi ſemper repræſentant.

§. V. (1)

ctis, ſed quovis loco & tempore deliberari & decerni poſſit; ſic ut Monarcha ſemper in proximâ ſit potentia ad actûs Imperii exercendos. Sed ut Optimates & Populus, qui non ſunt una perſona naturalis, decernant, neceſſum eſt, ut certô locô & tempore conveniant, ibique ſuper negotiis publicis deliberent & decernant: cum aliô modô voluntas Senatus ac Populi, quæ ex conſpirantibus majoris partis ſententiis reſultat, cognoſci nequeat.

§. V. Cæterùm uti circa alia jura, ita & circa Summum Imperium contingit, ut id alicubi bene, alicubi pravè & imprudenter adminiſtretur. Unde fit, ut aliæ Civitates *ſanæ*, aliæ *morbidæ* & *corruptæ* dicantur: etſi propter iſtiusmodi morbos peculiares Formas aut ſpecies Rerumpublicarum comminiſci neceſſum non ſit. Eorum autem morborum, quibus Civitates infeſtantur, alii *in hominibus*, alii *in ipſo Statu* hærent. Inde alia *vitia hominum*, alia *vitia Status* audiunt. (1)

§. VI. *Vitia hominum in Monarchia* ſunt, ſi,

§. V. (1) Hæc niſi probè diſcernantur, accuratum de conditione Reipublicæ alicujus judicium formari nequit. Differunt autem inter alia vitia hominum à vitiis Status, quod illa non tàm firmiter inhærent, quàm hæc. Sublatis enim hominibus vitioſis, tolluntur & illa; ſed aliter ſe res habet cum vitiis Status; ut infra §. X. traditur.

(2) Con-

ſ, qui ſolium obtinet, regnandi artibus deſtituitur, nullâque aut non ſufficiente Reipublicæ curâ tangitur, eamque pravorum Miniſtrorum ambitioni aut avaritiæ lacerandam proſtituit; ſi ſævitiâ & iracundiâ idem eſt terribilis; ſi etiam citra neceſſitatem Rempublicam in caſum dare gaudet; ſi, quæ ad tolerandos ſumtus Reipublicæ conferuntur, luxu, aut per inconſultas largitiones diſſipat; ſi pecunias Civibus extortas præter rationem accumulat; ſi contumelioſus, (2) ſi injuſtus eſt; & ſi quæ ſunt alia, per quæ mali nomen principis comparatur.

§. VII. *Vitia hominum in Ariſtocratia* ſunt, ſi per ambitum pravasque artes via in Senatum patet viris improbis aut ineptis, excluſis melioribus; ſi Optimates factionibus diſtrahuntur; ſi plebe tanquam mancipiis abuti, & bona Civitatis augendo privato patrimonio intervertere ſtudent.

§. IIX. *Vitia hominum in Democratia* ſunt, ſi inepti & turbulenti homines turbulenter & importunè ſententias ſuas tueri ſolent; ſi egregiæ & Reipublicæ non prægraves virtutes opprimuntur; ſi per levitatem leges teme-

(2) Contumeliæ enim & graves iſtiusmodi injuriæ generoſas mentes in vindictam facilè incitant. Exempla vid. ap. Knichen. *Op. Polit. L. III. c. 2. th. 6. p.* 1172. & D. Hert. *Element. prudent. Civ. p.* 11. *Sect.* 1. §. 19.

§. X. (1)

temerè figuntur atque refiguntur, &, quæ modò placuerunt, mox citra rationem diſplicent, ſi ſordidi & inepti homines rebus gerendis præficiuntur.

§. IX. *Vitia hominum*, quæ *in quamvis Civitatis ſpeciem* cadunt, ſunt: ſi, quibus Imperii adminiſtratio incumbit, officio ſuo negligenter aut pravè funguntur, &, ſi Cives, quibus ſola obſequii gloria relicta eſt, frenum mordent.

§. X. Aſt *vitia Status* ſunt, ubi leges aut inſtituta Civitatis non ſunt attemperata ad genium populi, (1) aut regionis, (2) aut ubi eadem Cives diſponunt ad turbas internas, (3) aut ad juſta vicinorum odia incurrenda, (4) aut ſi eosdem ineptos reddunt ad obeundas functiones, quæ Reipublicæ ſervandæ ſunt neceſſariæ; puta, ſi per leges Civitatis non poſſint non in imbellem ſegnitiem reſolvi, (5) aut

§. X. (1) V. gr. Si populus libertati adſuetus ſeverioribus legibus conſtringatur. V. gr. in Belgio, ubi Rex Hiſpaniæ militem peregrinum, & Inquiſitionem Hiſpanicam olim introduxit.

(2) Si in regione, cujus ſalus unicè à commerciorum flore dependet, Princeps bello admodum ſit deditus.

(3) Si princeps continuis exactionibus ad incitas redigat ſubditos.

(4) Si Princeps juſtitiam vicinis deneget, piratas foveat &c.

(5) Per hoc cecidere ſemper Civitates potentiſſimæ. Et cùm de deletione Carthaginis olim deliberaretur, Scipio eam diſſvaſit, ut habeant Romani, in quo virtutem ſuam exercerent, alias in ſegnitiem & luxum prolapſuri. Sed rejectum

aut inidonei ad pacem ferendam reddi: (6) aut ſi leges fundamentales ita ſint diſpoſitæ, ut per ea negotia publica non poſſint non tardè aut difficulter expediri. (7)

§. XI. Morbidis ejusmodi Rebuspublicis multi peculiaria quoque vocabula adplicant: ita ut *vitioſa Monarchia* vocetur *Tyrannis*; *vitioſus Status paucorum Oligarchia*; *vitioſus Status popularis Ochlocratia.* Etſi frequenter contingat, ut multi per iſthæc vocabula *non tàm morbum Reipublicæ, quàm ſuum affectum aut diſplicentiam* in præſentem ſtatum imperantesve exprimant. Sæpe enim, cui vel Rex, vel ſtatus Monarchicus diſplicet, tyrannum aut dominum ſolet vocare etiam legitimum & bonum Principem, præſertim ubi is leges ſeverè exequitur. Sic & cui dolet Senatu ſe excludi, cum tamen aliis Senatoribus inferiorem ſeſe haut quidquam arbitretur, per contemtum & invidiam ὀλίγȣς illos vocat, quaſi dicas paucos quosdam, qui cum nullâ re cæteros emineant, in pares tamen aut meliores

ctum fuit prudens conſilium, & accidit Romano Imperio, quod Scipio prædixerat. Vid. Saluſtium, *Bell. Jugurth. c.* 41. & Auguſtin. *Civit. Dei L. II. c.* 18. 20.

(6) Quod fit per contrarium, ubi populus per continua bella omnem pacis amorem concoquit. Plura de iſtiusmodi vitiis vid. ap. D. Hert. *l. c. p. II. ſect.* 1.

(7) Cogitandum hic de Imperio noſtro Romano-Germanico.

§. XII.

liores non ſine faſtu imperium exerceant. Denique ſuperbo homines ingenio, &, quibus æqualitas popularis inviſa eſt, ubi in Democratia pari omnes jure de Republica ſuffragia ferre vident, cum tamen in quavis Civitate plebis maximus ſit numerus, Ochlocratiam id vocant, quaſi dicas Statum, ubi vilis turba rerum potitur, nec egregiis viris, quales ipſi ſe ducunt, aliqua prærogativa relinquitur.

§. XII. *Reſpublica irregularis* eſt, (1) in qua non ita perfectè unio illa, in quâ eſſentia Civitatis conſiſtit, deprehenditur: idquè non per modum morbi, aut vitii in adminiſtratione Reipublicæ hærentis; ſed, ut publicâ lege aut conſuetudine ea velut legitima ſit recepta. Cum autem aberrationum à rectitudine infiniti eſſe modi queant, non poſſunt etiam irregularium Rerumpubl. certæ & definitæ ſpecies conſtitui. (2) Indoles tamen ejus ex uno aut altero exemplo plane poteſt intelligi, v. gr. Si in aliqua republica Senatus & populus

§. XII. (1) Dicitur igitur ita à Structurâ Politicâ, nec ignominiam aliquam ſeu turpitudinem hæc Denominatio per ſe involvit. Uti ſolemus, absque vitii labe, e. gr. *munimenta* vocare *irregularia*, quod â regulari ſtructuræ formâ abeant, licet ſæpius in ſe ſint optima & fortiſſima. Imò Exceptiones ſunt anomaliæ, ſeu irregularitates, nec tamen ideò minus rectæ, vel minus juſtæ. Conſ. ſupra *L. I. c.* 5. §. 23. & ibi *Not.* 2.

(2) Præſtitit tamen id Dn. Hertius *l. c. Part. I. Sect.* 11. §. 2. *ſeqq.*

*Grot.

lus ſummo utrinque jure negotia tractent, ita ut neuter alteri obnoxius ſit: aut ſi in regno aliquo procerum potentia ita invaluerit, ut Regi deinceps non alio modo, quam inæquales fœderati ſubſint. * (3)

§. XIII. *Syſtemata Civitatum* vocamus, ubi plures perfectæ Civitates aliquo peculiari vinculo ita connectuntur, ut ipſarum vires ferè pro unius Civitatis viribus haberi queant. Exſurgunt autem Syſtemata *duplici* potiſſimum *modo*: unô per communem Regem, alterô per Fœdus.

§. XIV. *Mediante communi Rege ſyſtema* emergit, quando plura ſeparata regna vel ex conventione, vel ex occaſione matrimonii, hæreditatis, aut victoriæ, unum & eundem habent regem; (1) ita tamen, ut ideò in unum Regnum non coaleſcant, ſed ſingula

X juxta

* Grot. Jur. N. & G. L. VII. §. 14. ſeq. Diſſert. Acad. de Rep. irregulari p. 301. & in Addend. ib. p. 59. Erid. Scand. p. 176. 187.

(3) Solent tales Irregulares aliàs *mixtæ* vocari, & quidem ut in priore caſu Ariſtocratia cum Democratia: in poſteriore Monarchia cum Ariſtocratia miſceatur. Enimverò cum & vocabulum *mixtionis* in hoc argumento non ſat commodè adhibeatur; & in illô mixturæ modô oſtendendo non paucæ occurrant difficultates; rectius utique ejusmodi formæ dicuntur irregulares. D. Hert. *l. c.*

§. XIV. (1) Exempla luculentiſſima habemus in Imperatoribus ex domo Auſtriaca, in Regibus Hiſpaniarum &c.

(2) Ita

juxta ſuas leges fundamentales à communi Rege adminiſtrentur. (2)

§.XV. *Altera ſpecies Syſtematum* provenit, quando plures Civitates vicinæ *perpetuo fœdere* ita connectuntur, ut aliquas partes Summi Imperii, quæ præcipue defenſionem contra extraneos ſpectant, non niſi ex conſenſu omnium exercere velint, ſalvâ manente de cætero ſingularum Civitatum libertate & independentia. (1)

(2) Ita e. gr. Imperator pro diverſitate Regnorum habet diverſas curias, diverſas leges, diverſos Miniſtros, diverſa uno verbo regimina.

§. XV. (1) Huc referendi Ordines Fœderati Belgii, Reſpublica Helvetiorum, Valleſia, Rhætia. Dicuntur aliàs etiam *Achaicæ Reſpublicæ*, petito à Græcis vocabulo, quia Achæi vel Græci olim ſimili fœdere connectebantur, ſatis eò tuti & valentes, donec à Romanis tandem diſſolveretur. Latè Xenophon. *L. IV. & V. Græc. Hiſtor.* Hert. *l. c. p.* 1. *Sect.* 12. §. 6. 7. *p.* 11. *Sect.* 18.

CAPUT IX.

DE AFFECTIONIBUS IMPERII CIVILIS.

§. 1. Imperium Civile ſummum eſt.

§. 2. Et Imperans ἀνυπεύθυνος.

§. 3. Legibusque Civilibus ſolutus.

§. 4. Habet Sanctimoniam.

§. 5. Summitas Imperii eſt vel abſoluta;

§. 6. Vel

§. 6. Vel limitata.
§. 7. Modus Imperium habendi duplex; undè patrimonialia, & uſufructuaria.

§. I.

HAbet hoc omne Imperium, quô univerſa aliqua Civitas regitur in qualibet Reipublicæ forma, ut ſit *ſummum*, (1) i. e. in ſui exercitio à nullo homine tanquam ſuperiore dependens, ſed ex propriô judiciô & arbitriô ſeſe exſerens, (2) ſic ut ejusdem actus à nemine tanquam ſuperiore queant irriti reddi. *

§. II. Inde etiam eſt, quod idem Imperium ſit ἀνυπεύθυνον, ſeu *nemini mortalium obſtrictum ad reddendas rationes* (1) eô cum effectu, ut, ſi eas alteri non adproba-

X 2 verit,

§. I. (1) *Summum* tamen cum *abſoluto* non confundendum eſt. Nam poteſt eſſe Princeps aliquis in ſua Civitate ſummus, quia ſuperiorem non habet; ut tamen abſolutè non imperet.

(2) Licet aliquando iis modis, de quibus §. VI limitato ac circumſcripto.

* Confer Grotium *Lib. I. cap.* 3. §. 6. *ſeqq.*

§. II. (1) Licet vel ex Generoſitate, vel ex pacto rationibus reddendis obnoxius fieri poſſit. Quibus tamen caſibus utique etiam effectus iſti ceſſant; de quibus Autor. Sic poteſt Imperator coram Electore Palatino, ſic poſſunt Principes aliqui in ſuis Judiciis conveniri. De cætero vid. Gronov. ad Grotium, *J. B. & P. L. I. c.* 3. §. 8. ubi contrarium defendit, ſcil. ſummum Imperium ad rationes reddendas eſſe adſtrictum. Vid. quoque Bœclerum, *in Nott. ad Grot. L. I. c.* 3. §. 8. Sed firmat ſuam ſententiam late Puſendorf. *J. N. & Gent. L. VII. c.* 7. §. 4. *ſeqq.*

§. III. (1)

verit, pœnis humanis aut coërcitioni, vel ut a ſuperiore profectis, eo nomine ſit obnoxium.

§. III. Cui conjunctum eſt, ut idem Summum Imperium *legibus humanis & civilibus*, ut talibus, (1) *ſit ſuperius*, iisdemque adeo directè non obſtringatur. Iſtæ enim leges à Summo Imperio tam in origine, quam in duratione dependent. (2) Indè fieri non poteſt, ut per iſtas idem obligetur; cum aliàs idem ſe ipſo ſuperius foret. Etſi ubi Summus Imperans quædam Civibus lege injunxerit, quorum materia in ipſum quoque cadit, (3) decorum ſit, & ad autoritatem legi addendam proficuum, ſi ad eadem iſte ultrò ſeſe componat.

§. IV. Habet denique & peculiarem *ſanctimoniam* Summum Imperium, ut non ſolùm ejus juſſis legitimis reſiſtere nefas ſit; ſed & ejusdem aſperitas, non ſecus atque à probis liberis parentum moroſitas à Civibus ſit patienter ferenda. Quin & ubi atrociſſimas

§. III. (1) Non vero *Pactis*. Nam horum Obligatio eſt à Jure Naturæ.

(2) Vid Grot *L. II. c.* 20. §. 24.

(3) Utilis hic eſt diſtinctio inter actus Principis, qua talis, & inter actus ejusdem privatos, v. gr. Contractus, ultimas voluntates & ſimilia negotia civilia. Quoad hæc, in ſuâ Republicâ ut privatus conſideratur, ergo etiam optimè facit, dum privatorum jure utitur.

§. IV. (1)

mas injurias intentaverit, (1) ſinguli potius fugâ ſibi conſulent, aut quantamcunque calamitatem ſuſtinebunt, quàm ferrum in *durum quidem*, ſed tamen *parentem patriæ*, ſtringent.

§. V. Præterea Summum Imperium, in Monarchiis potiſſimum & Ariſtocratiis, alicubi abſolutum, alicubì *limitatum*, deprehenditur. *Abſolutum Imperium* Monarcha habere dicitur, qui illud adminiſtrare poteſt proprio ex judicio, non ad normam certorum ac perpetuorum ſtatutorum; ſed, prout præſens rerum conditio videtur exigere, quiquè adeò proprium ad arbitrium ſalutem Reipubl. prout ejusdem tempora poſtulaverint, procurat.

§. VI. Verùm quia unius hominis judicium ab erroribus non eſt immune, & voluntas in prava flexilis, in tanta cumprimis libertate; quibusdam populis conſultum viſum, ejus *Imperii exercitium certis limitibus circumſcribere.* * Id quod factum, dum ad certas leges circa adminiſtrationem partium

 Im-

§. IV. (1) Modò non ſit Regnum *uſufructuarium*, & in eo apertum Reipublicæ hoſtem ſe gerat, quod fit, ubi legibus fundamentalibus omninò everſis in caſum eam dare conatur. Hoc enim facto, ubi aliud remedium non ſuppetit, vim adhibere Ordinibus licitum eſt. Loquitur ergò Autor hic de Regno Patrimoniali, ubi doctrina ejus rectiſſime ſe habet.

* Grot. *loc. cit.* §. 14. *ſeqq.*

* Grot.

Imperii in delatione regni Regem adſtrinxerunt; & ſi quando negotia ſummam rerum ſpectantia, quæque in anteceſſum definiri nequeunt, inciderent, voluerunt ea ſuſcipi non niſi præſciente & conſentiente Populo, aut ejusdem Deputatis in Comitia convocatis,* ut eò minor occaſio Regi præbeatur à ſalute regni aberrandi. (1)

§. VII. Solet denique in Regnis occurrere aliquod diſcrimen circa modum habendi Regnum, qui non in omnibus æqualis deprehenditur. Quidam enim reges dicuntur Regnum ſuum habere *in patrimonio* ** ita ut illud pro lubitu dividere, alienare, transferre poſſint, in quemcunque voluerint. Quod potiſſimùm contingit illis, qui armis Regnum ſibi quæſivere, ac ſuum ſibi populum ipſi fecerunt. Reliqui autem Reges, qui ultrò à populo ſunt adſciti, etſi ſummo jure Imperium exerceant; regnum tamen pro lubitu dividere, alienare, aut transferre nequeunt; ſed in eo ad ſucceſſores dimittendo

* Grot. *L. I. c.* 3. §. 18.

§. VI. (1) Extant etiam exempla Regnorum cum *Clauſula commiſſoriâ* delatorum. De Imperatore Jodoco res notiſſima, de Johanne Reg. Dan. & Suec. vid. Pontanum, *Hiſt. Dan. LIX. p.* 601. 606. De Regibus Polon. Hartknoch de *Republ. Polon. L. II. c.* 2. §. 21. *p.* 428. Conf. Grotium, *L. I. c.* 3. §. 16. D. Hert. *l. c. p. II. Sect.* 16. §. 3. *p.* 182.

** Grot. *L. I. c.* 3. §. 11. *c.* 4. §. 10. *L. II. c.* 6. §. 3. *L. c.* 7. §. 12.

tendo (1) legem fundamentalem, aut conſuetudinem in populo receptam ſequi tenentur; eôque à quibusdam certô reſpectu (2) cum *uſufructuariis* comparantur.

§. VII. (1) Vid. *Cap. ſequ. §. IIX.*

(2) Quatenus eſt Jus in re aliena. Manet enim proprietas talis Regni apud populum, quoad pactum primum. Neque verò ultra tertium hæc comparatio extendenda, quod facit Hobbes, aliàs erga Reges plus juſtô liberalis, & populo iniquior: dum *Monarchis temporariis*, ut vocat, id eſt electitiis, *Jus Imperii denegat*, & *tantum uſum vel exercitium illius, ut uſufructuariis* relinquit. *De civ. c. VII. §. 16.* Incommoda igitur cum ſit hæc comparatio & locutio, inde Huberus Jus ejusmodi Regis cum Jure mariti in re dotali, aut hæredis fiduciarii in re fideicommiſſo obnoxia comparare maluit. *Jur. Publ. Univerſal. l. II. c. 16. §. 28.*

CAPUT X.

DE

MODIS ADQUIRENDI IMPERIUM, IMPRIMIS MONARCHICUM. (*)

§. 1. Acquirendi modi duo *Originarii*;
2. *Violentus*, per occupationem bellicam;
3. *Placidus*, per Electionem.
4. Electionem, in Regno jam conſtituto, antecedit Interregnum.

X 4 5. *Deri-*

(*) Scilicet, quatenus ferè *ut jam conſtitutum* ſupponitur; quamvis Occupatione bellica etiam Imperium quæri poſſit, ubi antea nullum fuit. Nam de ipſa Imperii conſtitutione ſeu Civitatum ſtructura originaria vidimus jam in præcedentibus, imprimis *Cap. VI.*

5. *Derivativus* modus eſt Succeſſio.
6. Quæ in Regnis *Patrimonialibus*, conſtituitur vel Diſpoſitione;
7. Vel Succeſſione ab inteſtato.
8. In *Uſufructuariis* originariè Voluntate populi.
9. Eſtque vel hereditaria ſimplex;
10. Vel linealis.
11. Hæcque tàm Cognatica, quam Agnatica.
12. Judex in controverſiis harum ſucceſſionum quis?

§. I.

QUanquam ad quodvis Imperium legitimum conſtituendum *conſenſus* ſubjectorum requiratur, is tamen non ubique pari modò elicitur. Interdum enim *per violentiam bellicam* aliqui adiguntur in Victoris imperium conſentire; interdum *ultrò* ad aliquem Principem conſtituendum Cives accedunt.

§. II. *Modus* adquirendi Imperii *violentus* ſolet vocari *Occupatio*, (*) quando ſcilicet aliquis, juſtâ bellandi causâ ſubnixus, favente vi armorum ac fortunâ, populum aliquem eò redigit, ut ipſius deinceps Imperio ſeſe ſubjicere cogatur. (1) Cujus Imperii legitimus titulus non indè ſolùm deducitur, quod

* Grot. *L. III. c.* 8.

§. II. (1) Differt hæc Occupatio ab Occupatione in ſenſu Juris Civilis, de quo *L. I. c.* 12. §. 6. utpote cujus Objectum ſunt *res nullius*, adeò, ut *cuilibet jus ſit*, ad eas occupandas. Ita autem ſe res non habet cum multitudine hominum in ἀναρχίᾳ. Non enim nullius eſt, ſed ſui ipſius; dum nemo libertatem ſuam cenſetur habere pro derelicta.

(2) Id

quod Victor, (2) ſi rigore belli voluiſſet uti, vitam planè victis adimere potuiſſet, atque ſic, dum minore iſtos incommodo defungi patitur, clementiæ inſuper laudem nanciſcatur: ſed (3) &, quod cum altero in bellum deſcendens, quem ipſe antea læſerat, & cui æquam ſatisfactionem præbere renuit, omnes ſuas fortunas aleæ Martis exponat, ſic ut jam in anteceſſum tacitè conſenſerit in quamcunque conditionem, quam eventus belli ipſi eſt aſſignaturus. *

§. III. *Ultroneô* autem *conſenſu* populi paratur Regnum interveniente *electione*, quâ populus conſtituendus (1) aut jam conſtitutus, ultrò certum hominem, ſuô judiciô Imperii capacem, deſignat, cui, quando decretum populi fuerit ſignificatum, idque ille acceptaverit, promiſſô populi obſequiô Imperium confertur.

§. IV. Electionem in Civitate jam conſtituta, ſiquidem illa ſuſcipiatur Rege priore defuncto, antecedere ſolet *Interregnum*. In quo licet ad imperfectam formam recidat Civitas, dum Cives primo tantum pacto in-

(2) Id eſt: ex jure victoriæ.
(3) Id eſt: ex conſenſu præſumto.
* Grot. *Lib. III. cap.* 8.
§. III. (1) Eô videlicet modô, qui ſupra *Cap. VI.* propoſitus.

§. IV. (1)

liores non ſine faſtu imperium exerceant. Denique ſuperbo homines ingenio, &, quibus æqualitas popularis inviſa eſt, ubi in Democratia pari omnes jure de Republica ſuffragia ferre vident, cum tamen in quavis Civitate plebis maximus ſit numerus, Ochlocratiam id vocant, quaſi dicas Statum, ubi vilis turba rerum potitur, nec egregiis viris, quales ipſi ſe ducunt, aliqua prærogativa relinquitur.

§. XII. *Respublica irregularis* eſt, (1) in qua non ita perfectè unio illa, in quâ eſſentia Civitatis conſiſtit, deprehenditur: idquè non per modum morbi, aut vitii in adminiſtratione Reipublicæ hærentis; ſed, ut publicâ lege aut conſuetudine ea velut legitima ſit recepta. Cum autem aberrationum à rectitudine infiniti eſſe modi queant, non poſſunt etiam irregularium Rerumpubl. certæ & definitæ ſpecies conſtitui. (2) Indoles tamen ejus ex uno aut altero exemplo plane poteſt intelligi, v. gr. Si in aliqua republica Senatus & populus

§. XII. (1) Dicitur igitur ita â Structurâ Politicâ, nec ignominiam aliquam ſeu turpitudinem hæc Denominatio per ſe involvit. Uti ſolemus, abſque virii labe, e. gr. *munimenta* vocare *irregularia*, quod â regulari ſtructuræ formâ abeant, licet ſæpius in ſe ſint optima & fortiſſima. Imò Exceptiones ſunt anomaliæ, ſeu irregularitates, nec tamen ideò minus rectæ, vel minus juſtæ. Conſ. ſupra *L. I. c.* 5. §. 23. & ibi *Not.* 2.

(2) Præſtitit tamen id Dn. Hertius *l. c. Part. I. Sect.* 11. §. 2. *ſeqq.*

*Grot.

lus ſummo utrinque jure negotia tractent, ita ut neuter alteri obnoxius ſit: aut ſi in regno aliquo procerum potentia ita invaluerit, ut Regi deinceps non alio modo, quam inæquales fœderati ſubſint. * (3)

§. XIII. *Syſtemata Civitatum* vocamus, ubi plures perfectæ Civitates aliquo peculiari vinculo ita connectuntur, ut ipſarum vires ferè pro unius Civitatis viribus haberi queant. Exſurgunt autem Syſtemata *duplici* potiſſimum *modo:* unô per communem Regem, alterô per Fœdus.

§. XIV. *Mediante communi Rege ſyſtema* emergit, quando plura ſeparata regna vel ex conventione, vel ex occaſione matrimonii, hæreditatis, aut victoriæ, unum & eundem habent regem; (1) ita tamen, ut ideò in unum Regnum non coaleſcant, ſed ſingula

X juxta

* Grot. Jur. N. & G. L. VII. §. 14. ſeq. Diſſert. Acad. de Rep. irregulari p. 301. & in Addend. ib. p. 59. Erid. Scand. p. 176. 187.

(3) Solent tales Irregulares aliàs *mixtæ* vocari, & quidem ut in priore caſu Ariſtocratia cum Democratia: in poſteriore Monarchia cum Ariſtocratia miſceatur. Enimverò cum & vocabulum *mixtionis* in hoc argumento non ſat commodè adhibeatur; & in illô mixturæ modô oſtendendo non paucæ occurrant difficultates; rectius utique ejusmodi formæ dicuntur irregulares. D. Hert. *l. c.*

§. XIV. (1) Exempla luculentiſſima habemus in Imperatoribus ex domo Auſtriaca, in Regibus Hiſpaniarum &c.

(2) Ita

juxta ſuas leges fundamentales à communi Rege adminiſtrentur. (2)

§. XV. *Altera ſpecies Syſtematum* provenit, quando plures Civitates vicinæ *perpetuo fœdere* ita connectuntur, ut aliquas partes Summi Imperii, quæ præcipue defenſionem contra extraneos ſpectant, non niſi ex conſenſu omnium exercere velint, ſalvâ manente de cætero ſingularum Civitatum libertate & independentia. (1)

(2) Ita e. gr. Imperator pro diverſitate Regnorum habet diverſas curias, diverſas leges, diverſos Miniſtros, diverſa uno verbo regimina.

§. XV. (1) Huc referendi Ordines Fœderati Belgii, Reſpublica Helvetiorum, Valleſia, Rhætia. Dicuntur aliàs etiam *Achaica Reſpublicæ*, petito à Græcis vocabulo, quia Achæi vel Græci olim ſimili fœdere connectebantur, ſatis eò tuti & valentes, donec à Romanis tandem diſſolveretur. Latè Xenophon. *L. IV. & V. Græc. Hiſtor.* Hert. *l. c. p.* 1. *Sect.* 12. §. 6. 7. *p.* 11. *Sect.* 18.

CAPUT IX.

DE

AFFECTIONIBUS IMPERII CIVILIS.

§. 1. Imperium Civile ſummum eſt.

§. 2. Et Imperans ἀνυπεύθυνος.

§. 3. Legibusque Civilibus ſolutus.

§. 4. Habet Sanctimoniam.

§. 5. Summitas Imperii eſt vel abſoluta;

§. 6. Vel

§. 6. Vel limitata.
§. 7. Modus Imperium habendi duplex, undè patrimonialia, & uſufructuaria.

§. I.

Habet hoc omne Imperium, quô univerſa aliqua Civitas regitur in qualibet Reipublicæ formâ, ut ſit *ſummum*, (1) i. e. in ſui exercitio à nullo homine tanquam ſuperiore dependens, ſed ex propriô judiciô & arbitriô ſeſe exſerens, (2) ſic ut ejuſdem actus à nemine tanquam ſuperiore queant irriti reddi. *

§. II. Inde etiam eſt, quòd idem Imperium ſit *ἀνυπεύθυνον*, ſeu *nemini mortalium obſtrictum ad reddendas rationes* (1) eô cum effectu, ut, ſi eas alteri non adprobaverit,

§. I. (1) *Summum* tamen cum *abſoluto* non confundendum eſt. Nam poteſt eſſe Princeps aliquis in ſua Civitate ſummus, quia ſuperiorem non habet; ut tamen abſolutè non imperet.

(2) Licet aliquando iis modis, de quibus §. VI. limitato ac circumſcripto.

* Confer Grotium *Lib. I. cap.* 3. §. 6. *ſeqq.*

§. II. (1) Licet vel ex Generoſitate, vel ex pacto rationibus reddendis obnoxius fieri poſſit. Quibus tamen caſibus utique etiam effectus iſti ceſſant, de quibus Autor. Sic poteſt Imperator coram Electore Palatino, ſic poſſunt Principes aliqui in ſuis Judiciis conveniri. De cætero vid. Gronov. ad Grotium, *J. B. & P. L. I. c.* 3. §. 8. ubi contrarium defendit, ſcil. ſummum Imperium ad rationes reddendas eſſe adſtrictum. Vid. quoque Bœclerum, *in Nott. ad Grot. L. I. c.* 3. §. 8. Sed firmat ſuam ſententiam late Pufendorf. *J. N. & Gent. L. VII. c.* 7. §. 4. *ſeqq.*

§. III. (1)

verit, pœnis humanis aut coërcitioni, vel ut a ſuperiore profectis, eo nomine ſit obnoxium.

§. III. Cui conjunctum eſt, ut idem Summum Imperium *legibus humanis & civilibus*, ut talibus, (1) *ſit ſuperius*, iisdemque adeo directè non obſtringatur. Iſtæ enim leges à Summo Imperio tam in origine, quam in duratione dependent. (2) Indè fieri non poteſt, ut per iſtas idem obligetur; cum aliàs idem ſe ipſo ſuperius foret. Etſi ubi Summus Imperans quædam Civibus lege injunxerit, quorum materia in ipſum quoque cadit, (3) decorum ſit, & ad autoritatem legi addendam proficuum, ſi ad eadem iſte ultrò ſeſe componat.

§. IV. Habet denique & peculiarem *ſanctimoniam* Summum Imperium, ut non ſolùm ejus juſſis legitimis reſiſtere nefas ſit; ſed & ejusdem aſperitas, non ſecus atque à probis liberis parentum moroſitas à Civibus ſit patienter ferenda. Quin & ubi atrociſſimas

§. III. (1) Non vero *Pactis*. Nam horum Obligatio eſt à Jure Naturæ.

(2) Vid Grot *L. II. c.* 20. §. 24.

(3) Utilis hic eſt diſtinctio inter actus Principis, qua talis, & inter actus ejusdem privatos, v. gr. Contractus, ultimas voluntates & ſimilia negotia civilia. Quoad hæc, in ſuâ Republicâ ut privatus conſideratur, ergo etiam optimè facit, dum privatorum jure utitur.

§. IV. (1)

mas injurias intentaverit, (1) ſinguli potius fugâ ſibi conſulent, aut quantamcunque calamitatem ſuſtinebunt, quàm ferrum in *durum quidem*, ſed tamen *parentem patriæ*, ſtringent.

§. V. Præterea Summum Imperium, in Monarchiis potiſſimum & Ariſtocratiis, alicubi abſolutum, alicubì *limitatum*, deprehenditur. *Abſolutum Imperium* Monarcha habere dicitur, qui illud adminiſtrare poteſt proprio ex judicio, non ad normam certorum ac perpetuorum ſtatutorum; ſed, prout præſens rerum conditio videtur exigere, quiquè adeò proprium ad arbitrium ſalutem Reipubl. prout ejusdem tempora poſtulaverint, procurat.

§. VI. Verùm quia unius hominis judicium ab erroribus non eſt immune, & voluntas in prava flexilis, in tanta cumprimis libertate; quibusdam populis conſultum viſum, ejus *Imperii exercitium certis limitibus circumſcribere.* * Id quod factum, dum ad certas leges circa adminiſtrationem partium

§. IV. (1) Modò non ſit Regnum *uſufructuarium*, & in eo apertum Reipublicæ hoſtem ſe gerat, quod fit, ubi legibus fundamentalibus omninò everſis in caſuin eam dare conatur. Hoc enim facto, ubi aliud remedium non ſuppetit, vim adhibere Ordinibus licitum eſt. Loquitur ergò Autor hic de Regno Patrimoniali, ubi doctrina ejus rectiſſime ſe habet.

*Grot. *loc. cit.* §. 14. *ſeqq.*

Imperii in delatione regni Regem adſtrinxerunt; & ſi quando negotia ſummam rerum ſpectantia, quæque in anteceſſum definiri nequeunt, inciderent, voluerunt ea ſuſcipi non niſi præſciente & conſentiente Populo, aut ejusdem Deputatis in Comitia convocatis,* ut eò minor occaſio Regi præbeatur à ſalute regni aberrandi. (1)

§. VII. Solet denique in Regnis occurrere aliquod diſcrimen circa modum habendi Regnum, qui non in omnibus æqualis deprehenditur. Quidam enim reges dicuntur Regnum ſuum habere *in patrimonio* ** ita ut illud pro lubitu dividere, alienare, transferre poſſint, in quemcunque voluerint. Quod potiſſimùm contingit illis, qui armis Regnum ſibi quæſivere, ac ſuum ſibi populum ipſi fecerunt. Reliqui autem Reges, qui ultrò à populo ſunt adſciti, etſi ſummo jure Imperium exerceant; regnum tamen pro lubitu dividere, alienare, aut transferre nequeunt; ſed in eo ad ſucceſſores dimittendo

* Grot. *L. I. c.* 3. §. 18.

§. VI. (1) Extant etiam exempla Regnorum cum *Clauſulæ commiſſoriâ* delatorum. De Imperatore Jodoco res notiſſima, de Johanne Reg. Dan. & Suec. vid. Pontanum, *Hiſt. Dan. L. IX. p.* 601. 606. De Regibus Polon. Hartknoch de *Republ. Polon. L. II. c.* 2. §. 21. *p.* 428. Conf. Grotium, *L. I. c.* 3. §. 16. D. Hert. *l. c. p. II. Sect.* 16. §. 3. *p.* 182.

** Grot. *L. I. c.* 3. §. 11. *c.* 4. §. 10. *L. II. c.* 6. §. 3. *L. c.* 7. §. 12.

§. VII.

tendo (1) legem fundamentalem, aut conſuetudinem in populo receptam ſequi tenentur; eôque à quibusdam certô reſpectu (2) cum *uſufructuariis* comparantur.

§. VII. (1) Vid. *Cap. ſequ.* §. *IIX.*
(2) Quatenus eſt Jus in re aliena. Manet enim proprietas talis Regni apud populum, quoad pactum primum. Neque verò ultra tertium hæc comparatio extendenda, quod facit Hobbes, aliàs erga Reges plus juſtô liberalis, & populo iniquior: dum *Monarchis temporariis*, ut vocat, id eſt electitiis, *Jus Imperii denegat*, & *tantum uſum vel exercitium illius, ut uſufructuariis* relinquit. *De civ. c. VII.* §. 16. Incommoda igitur cum ſit hæc comparatio & locutio, inde Huberus Jus ejusmodi Regis cum Jure mariti in re dotali, aut hæredis fiduciarii in re fideicommiſſo obnoxia comparare maluit. *Jur. Publ. Univerſal. l. II. c.* 16. §. 28.

CAPUT X.

DE

MODIS ADQUIRENDI IMPERIUM, IMPRIMIS MONARCHICUM. (*)

§. 1. Acquirendi modi duo *Originarii*;
2. *Violentus*, per occupationem bellicam;
3. *Placidus*, per Electionem.
4. Electionem, in Regno jam conſtituto, antecedit Interregnum.

X 4 5. *Deri-*

(*) Scilicet, quatenus ferè *ut jam conſtitutum* ſupponitur; quamvis Occupatione bellica etiam Imperium quæri poſſit, ubi antea nullum fuit. Nam de ipſa Imperii conſtitutione ſeu Civitatum ſtructura originaria vidimus jam in præcedentibus, imprimis *Cap. VI.*

5. *Derivativus* modus eſt Succeſſio.
6. Quæ in Regnis *Patrimonialibus*, conſtituitur vel Diſpoſitione;
7. Vel Succeſſione ab inteſtato.
8. In *Uſufructuariis* originariè Voluntate populi.
9. Eſtque vel hereditaria ſimplex;
10. Vel linealis.
11. Hæcque tàm Cognatica, quam Agnatica.
12. Judex in controverſiis harum ſucceſſionum quis?

§. I.

Quanquam ad quodvis Imperium legitimum conſtituendum *conſenſus* ſubjectorum requiratur, is tamen non ubique pari modò elicitur. Interdum enim *per violentiam bellicam* aliqui adiguntur in Victoris imperium conſentire; interdum *ultrò* ad aliquem Principem conſtituendum Cives accedunt.

§. II. *Modus* adquirendi Imperii *violentus* ſolet vocari *Occupatio*, (*) quando ſcilicet aliquis, juſtâ bellandi causâ ſubnixus, favente vi armorum ac fortunâ, populum aliquem eò redigit, ut ipſius deinceps Imperio ſeſe ſubjicere cogatur. (1) Cujus Imperii legitimus titulus non indè ſolùm deducitur, quod

* Grot. *L. III. c.* 8.

§. II. (1) Differt hæc Occupatio ab Occupatione in ſenſu Juris Civilis, de quo *L. I. c.* 12. §. 6. utpote cujus Objectum ſunt *res nullius*, adeò, ut *cuilibet jus ſit*, ad eas occupandas. Ita autem ſe res non habet cum multitudine hominum in ἀναρχίᾳ. Non enim nullius eſt, ſed ſui ipſius; dum nemo libertatem ſuam cenſetur habere pro derelicta.

(1) Id

quod Victor, (2) ſi rigore belli voluiſſet uti, vitam planè victis adimere potuiſſet, atque ſic, dum minore iſtos incommodo defungi patitur, clementiæ inſuper laudem nanciſcatur: ſed (3) &, quod cum altero in bellum deſcendens, quem ipſe antea læſerat, & cui æquam ſatisfactionem præbere renuit, omnes ſuas fortunas aleæ Martis exponat, ſic ut jam in anteceſſum tacitè conſenſerit in quamcunque conditionem, quam eventus belli ipſi eſt aſſignaturus. *

§. III. *Ultroneô* autem *conſenſu* populi paratur Regnum interveniente *electione*, quâ populus conſtituendus (1) aut jam conſtitutus, ultrò certum hominem, ſuô judiciô Imperii capacem, deſignat, cui, quando decretum populi fuerit ſignificatum, idque ille acceptaverit, promiſſô populi obſequiô Imperium confertur.

§. IV. Electionem in Civitate jam conſtituta, ſiquidem illa ſuſcipiatur Rege priore defuncto, antecedere ſolet *Interregnum.* In quo licet ad imperfectam formam recidat Civitas, dum Cives primo tantum pacto in-

(2) Id eſt: ex jure victoriæ.
(3) Id eſt: ex conſenſu præſumto.
* Grot. *Lib. III. cap.* 8.
§. III. (1) Eô videlicet modô, qui ſupra *Cap. VI.* propoſitus.

ter ſe connectuntur; (1) multum tamen firmitatis ei adhuc addit nomen & affectus communis patriæ, Civiumque plerorumque fortunæ iſti loco fere affixæ; quæ bonos Cives ſubigunt, ut ultro tantiſper pacem inter ſe colant, & quantocyus ad plenum Imperium inſtaurandum incumbant. Etſi magnopere ad incommoda, ex Interregnis oriri apta, evitanda faciat, ſi in anteceſſum conſtituatur, penes quos ſolio vacante interim Reipublicæ adminiſtratio eſſe debeat. (2)

§. V. Cæterum alicubi quidem ſingulis Monarchis defunctis nova inſtituitur electio; (1) alicubi autem Regnum ea lege in alterum confertur, ut citra novam intervenientem electionem in alios per ſucceſſionem tranſeat. (2) Hoc jus ſucceſſionis conſtituitur vel *arbitrio ipſius Regis*, vel *arbitrio populi*.

§. VI. *Reges*, qui Regnum ſuum habent in

§. IV. (1) Vid. retro de hoc pacto primo *L. II. c.* 6. §. 7. Et uſum habet eo rerum ſtatu diſtinctio Grotii, quando *ſubjectum Majeſtatis duplex* facit, *proprium* ſcilicet atque *commune*. *L.* 1. *c.* 3. §. 7. *Hoc* ſupereſt, quamdiu pacto primo Civitas cohæret, donec & *illud* reſtituatur. Male ergo Bodinus eo temporis intervallo ἀναρχίαν obtinere tradit, *de Republ. L VI. c.* 5.

(2) Uti in Imperio noſtro proviſio facta per Vicarios. *A. B. c. V.* §. 1.

§. V. (1) Scilicet, ubi Regnum eſt pure *electitium*, ut in Germania, in Polonia &c.

(2) Inde *ſucceſſiva* ſolent talia Regna vocari.

§. VI. (1)

in patrimonio, pro lubitu *ſuper ſucceſſione* poſſunt *diſponere*; quorum diſpoſitio æquè ac privatorum teſtamentum obſervabitur, præſertim ubi abs aliquo Regnum fuerit conditum, ac partum. (1) Ubi licebit ipſis, ſi placuerit, Regnum inter plures liberos dividere, etiam filiabus non excluſis, imò & hæredem inſtituere filium adoptivum, naturalem, aut qui nullâ plane cognatione ipſis eſt junctus. (2)*

§. VII. Verum ubi ejusmodi Rex ſuper ſua ſucceſſione nihil peculiariter diſpoſuit, *præſumitur* primò, cum nequaquam Regnum ſuum ſecum expirare velle, ſed ut omninò in *liberos* ſuos propter communem mortalium affectum id devolvatur; (1) Dein, ut poſt ipſum Monarchica forma conſervetur, quippe quam ipſe ſuo exemplo comprobavit. Tùm ut Regnum maneat indiviſum; quippe cum diviſio cum regni juxta & familiæ Regiæ convulſione ſit conjuncta. (2) Præterea ut inter

§. VI. (1) De iis, quæ populi voluntate conſtituta, dicetur *ſeqv.* §. *IIX.*

(2) Adeoque ejusmodi Regna *Patrimonialia* per omnia ferè indolem peculii privati retinent. Conf. Grotius *Lib. II.* c. 7. §. 12.

* Grot. *Lib. II. cap.* 7. §. 12. *ſeqq.*

§. VII. (1) Vide, quæ de ſucceſſionibus ab inteſtato quoad bona privatorum dicta fuerunt ſuprà *Lib. I. c.* 12. §. 10.

(2) Præſumitur voluntas defuncti, ubi ipſe nihil mutavit, ſemper eadem, & ad rationem Status attemperata.

* Grot.

ter pares gradu mas præferatur fœminæ, primo genitus deinceps genitis. Denique ut liberis deficientibus ad *proximum* quemque ſanguine regnum devolvatur. *

§. IIX. In illis autem Regnis, quæ ab initio ultronea populi voluntate ſunt conſtituta, *ordo ſucceſſionis originariè ab ejusdem populi voluntate* dependet. Qui ubi in Regem unà cum Imperio jus quoque ſucceſſoris conſtituendi contulerit, ſuccedet, quem hic voluerit. (1) Ubi hoc non fuit factum, id jus populus ſibi reſervaſſe intelligitur. Cui ſi placuit in electum Regem hæreditariô jure Regnum conferre, (2) *ordinem ſuccedendi* vel *ſimplicibus hæreditatibus*, quantum ſalus regni admittit, (3) *conſimilem* effecit; vel *peculiari* ipſum *ratione* temperavit. (4)

§. IX. Ubi *popolus regem juſſerit ſimplici hæreditario jure regnum obtinere*, voluit qui-

* Vide ad hunc & ſeqq. §§. Grot. loc. cit.

§. IIX. (1) Ita tamen, ut ejusmodi Succeſſor beneficium hoc populo originariè debeat, tanquam *effectum Electionis generalis*, Vid. *ſequ.* §. *IX.* in fin.

(2) Poteſt quidem Populus *jus ſucceſſoris conſtituendi* in Regem conferre: vel etiam *hæreditarium jus ipſi* indulgere, ſic tamen, ut utroque caſu circa *modum* aliqua diſponantur atque determinentur.

(3) Hoc eſt *temperamentum*, ut ita loquar, *tacitum*, ſeu quod tacitè & ex præſumpta populi voluntate ineſt, de quo jam partim §. IX.

(4) Videlicet *temperamento expreſſo*, de quô §. *ſeq. X.*

§. X. (1)

quidem, ut regnum eo ordine devolvatur, quo privatæ etiam hereditates, ſed *non ſine omni omninò temperamento.* Nam in hiſce fere, ut à privatis hæreditatibus diſcedat ſucceſſio in Regnis, ſalus Civitatum requirit 1. ut Regnum ſit individuum: 2. ut ſucceſſio ſtet intra eos, qui à primo Rege deſcendunt: nec ad ejus Collaterales devolvatur, 3. ne ſuccedant, niſi qui nati ſunt ſecundum leges patriæ, non nothi tantum, ſed & adoptivi: 4. ut in pari gradu mares præferantur fœminis etiam majoribus natu: 5. ut ſucceſſor Regnum agnoſcat tanquam beneficium populi, non tanquam beneficium anteceſſoris.

§. X. Verùm quia facilè inextricabiles controverſiæ oriri poterant, uter ex familia regnatrice nuper defunctum proximâ cognatione contingeret, ubi ab autore ſtirpis longius diſceſſum fuerat: indè multos apud populos *ſucceſſio linealis* introducta eſt. (1) Quæ in hoc conſiſtit, ut quo ordine quisque ab autore ſtirpis regnatricis deſcendit, eó lineam velut perpendicularem conſtituat; & indè quilibet ad Regnum vocetur, prout ipſius linea alias præcedit; nec de una linea in alteram fiat tranſitus, quoad ex priore aliquis

§. X. (1) Oppoſita *graduali*, & hoc eſt exemplum *temperamenti expreſſi*, de quo dictum §. *praeced. IX. not.* 4.

(2) Exem-

quis adhuc ſuperſit; licet forte exiſtat, qui propiore *gradu* proxime defunctum Regem attingat. (2)

§. XI. Succeſſionis linealis uſitatiſſimæ ſunt ſpecies *Cognatica*, & *Agnatica*. In illa (1) fœminæ non excluduntur, ſed poſtponuntur maribus in eadem linea, ita ut etiam ad ipſas fiat regreſſus, ſi mares potiori aut pari gradu defecerint. Hæc (2) autem fœminas, & ex hiſce natos etiam mares in perpetuum excludit.

§. XII. Ubi ſuper *ſucceſſione in Regno patrimoniali* controverſia oriatur, optimum fuerit

(2) Exemplo res erit manifeſta.

Alexander, Aut. Stirp. regnatric.

Lin. I.	Lin. II.	Lin. III.
Carolus †	Ludovicus †	Pipinus.
Erneſtus †	Heinricus.	
Caſimirus †		

Si evenerit, Lineæ primæ ultimum Caſimirum mori; quæritur: uter debeat ſuccedere ex ſuperſtitibus? Reſpond. Heinricus, quia hujus Linea præcedit tertiam, licet Pipinus quoad gradum Caſimiro fuerit propior.

§. XI. (1) Quæ etiam *Caſtiliana* appellatur, quia in Regno Caſtiliæ recepta. Notandum tamen obiter, ſucceſſione Caſtilianâ non omnes ſimpliciter admitti fœminas & ex iis natos. Excluduntur enim ex Principe Regiâ Hiſpanicâ nati *Galli*, imò ipſæ *Matres*.

(2) Alias *Francica*; quod in Gallia per Legem Salicam recepta, *Lilia non nent*.

§. XII. (1)

fuerit ad arbitros ex familia Regia ire. (1) Si *ſucceſſio* fuerit *voluntate populi conſtituta*, declaratio populi dubium tollet.

§. XII. (1) Confer dicta de modo litigandi in Statu Naturali, de Arbitris, ſuper *L. II. c.* 1. §. 10.

CAPUT XI.

DE

OFFICIO SUMMORUM IMPERANTIUM (*) IN GENERE.

§. 1. Unde Officia Summorum Imperantium cognoſcantur?

2. Iis cognoſcendis Imperantes incumbere debent.

3. Salus populi ſuprema lex eſto.

4. Cives probis doctrinis & moribus imbuendi.

5. Commodæ leges ferendæ.

6. Eædem exſecutioni dandæ.

7. Pœnæ recte temperandæ.

8. Injuriæ Civium mutuæ prohibendæ.

9. Idoneis & probis Miniſtris utendum.

10. Tributa rectè exigenda, & in debitos uſus eroganda.

11. Facultates Civium promovendæ.

12. Factiones tollendæ.

13. Adverſus invaſiones exterorum vires parandæ.

§. I. Qui-

(*) Hactenus ea Autor propoſuit, quæ in Politicis alias ad *partem Architectonicam* referuntur: Jam quoque illa tradit, quæ ad *Rectoriam partem* ſpectant, officia.

§. I. (1)

§. I.

QUibus præceptis Officium Summorum Imperantium conſtet, ex indole ac fine (1) Civitatum, nec non expenſis Sum̃i Imperii partibus, (2) perſpicuè colligitur.

§. II. Ubi ante omnia requiritur, ut Imperantes ipſi diligenter *diſcant, quæ ad plenam ejus Officii cognitionem* pertinent; cum nemo laudabiliter exercere poſſit, quod non probè didicit. Unde Principi ſequeſtranda illa ſtudia, quæ ad huncce finem nihil faciunt. Circumcidendæ quoque voluptates, oblectationes, vanæque occupationes, quatenus iſtum finem intercipiunt. Ideo & in familiaritatem admittendi viri cordati, rerumque humanarum periti: adulatores, nugatores, & qui præter inania nihil didicerunt, procul arcendi. (3) Enimvero ut generalia prudentiæ rectri-

§ I. (1) Aliquoties jam monitum: Finem ſocietatum dare menſuram Jurium & officiorum iis, qui in iisdem degunt.

(2) Summatim ex recenſitæ *praeced. C. VII.*

(3) Praxis Aularum multarum fere contrarium tenet. Graviter conqueſtus eſt Auger. Sil. Busbequius; *ſæpè pluris fieri in Aula nobilem ſcurram, quàm virum bonum, Ep. IV. p. m.* 448. *ubi laudat Imperatorem, Ferdinandum I. quod Viros bonos & eruditos, iisque artibus excultos, quibus bona opera Reipublicæ navari poteſt, præcipuâ benevolentiâ complexus, his ſe dederit, poſitâq; Majeſtate, veluti cum paribus*

rectricis præcepta ritè adplicare norit; quàm penitiſſime ipſi conditio ſui ſtatus, ſubjectique indoles populi eſt cognoſcenda. Iſtisque prætcrea virtutibus cumprimis ſtudendum, quarum uſus in tantæ molis adminiſtratione maxime conſpicitur, moresque ad tanti faſtigii dignitatem componendi. (4)

§. III. Generalis lex Summorum Imperantium eſt hæc: *Salus populi ſuprema lex eſto.* Ea enim intentione in iſtos Imperium eſt collatum, ut per id procuraretur finis, ob quem Civitates ſunt inſtitutæ. Inde credere iidem debent, nihil ſibi privatim expedire, quod non idem expedit Civitati.

§. IV. Ad Internam Civitatum tranquillitatem requiritur, ut voluntates Civium ita temperentur, & dirigantur, prout ſaluti Civitatis expedit. Inde Summorum Imperantium eſt, non ſolum idoneas ei fini *leges* præſcribere: ſed & *Publicam diſciplinam* ita

 ſan-

paribus mutua amicitiæ officia exercuerit. Cum his, inquit, *tempus quod negotiis ſupereſt, libenter ponit; hi ſunt apud eum in pretio, ut, qui multum intereſſe judicet, ſuum virtuti locum & honorem reſtitui. l.c. p.* 454. *Sunt in Aula nequitiarum artifices, voluptatumque pararii majori ſæpè in pretio, quàm Sapientiâ præſtantes viri.* Chriſtoph. Forſtner. *Continuat. Notar. Polit. ad C. Taciti Annal. L XV.* ... 8. *p.* 240.

(4) Commendari hic poſſent libelli varii, de educatione Principum conſcripti: ſed præ cæteris legi meretur *la Pratique de l'Education des Princes*, par Mr. Varillas.

§. IV. (1)

ſancire, ut non tam metu ſuppliciorum, quàm aſſuetudine Cives ad legum præſcripta ſeſe componant. Ad quem finem quoque facit, curare, ut doctrina Chriſtiana, pura illa & ſincera, (1) in Civitate vigeat; ac in ſcholis publicis talia dogmata tradantur, quæ cum fine Civitatum conveniunt. * (2)

§. V. Ad eundem finem expedit, perſcriptas habere *leges perſpicuas & planas* circa negotia, quæ frequentiſſimè inter Cives verſari ſolent. Non tamen plura legibus Civilibus ſancienda ſunt, quam ad bonum Civi-

§. IV. (1) Diſquiſitum fuit, *an cura Religionis Chriſtianæ etiam inter Officia Principis debeat referri?* Hic igitur cum vel in exceſſu vel defectu facilè peccari poſſit, ut res paucis expediatur, diſtinguendum eſt inter *Principem*, & inter *Principem in ſpecie Chriſtianum.* Ad *Principem*, *quâ Principem*, non ſpectat, quia (1) aliàs ſequeretur, Ethnicos non eſſe verè tales. (2) Quia primario non facit ad finem Reipublicæ; ſed longè alius Religionis Chriſtianæ finis Principalis eſt. Spectat tamen ad Principem, qua talem cura *Religionis Naturalis*. Religio Chriſtiana igitur & ejus cura pertinet ad *Principem*, *quâ eſt primarium Societatis Chriſtianæ* in ſua Civitate *membrum*, & per hoc Sacrorum directio externa ipſi competit: niſi ubi per Conventiones vel leges ipſi quid amplius conceſſum.

* Præter ſuprà aliquoties notata, vid. Diſſertat. Academ. de *Concord. polit. cum Religione Chriſt.* §. *II.* *p.*449. nec non de *Habitu Relig. Chriſt. ad vit. civ.* paſſim, imprimis *cap.* 7. 47. 49.

(2) Id eſt, quæ tranquillitatem & utilitatem Civitatum promoveant.

§. V. (1)

Civitatis & civium conducunt. (1) Nam cum de eo, quod facere vel non facere debent, ſæpius per rationem naturalam quàm per ſcientiam legum, homines deliberare ſoleant; ubi plures Leges ſunt, quam ut facilè memoria comprehendi queant, & per eas prohibeantur ea, quæ ratio per ſe non prohibet: neceſſe eſt, ut per ignorantiam ſine ulla prava intentione incidant in leges, tanquam in laqueos. (2) Quo ipſo Civibus per Imperantes ſupervacuum incommodum conciliatur; quod eſt contra finem Civitatum. (3)

§. VI. Quia autem fruſtra feruntur Leges, ſi impunè eas violari tolerent ſummi Imperantes; igitur horum eſt, *executionem* earundem procurare, utque quivis ſuo jure potiatur citra lentas moras, eluſiones atque vexationes efficere: *pœnas* quoque ſumere

 pro

§. V. (1) In multitudine legum non conſiſtit felicitas reipublicæ. Plat. *Reipubl. Dial. IV.* Præſtat habere bonos Cives, quàm innumeras leges, unde Germanos veteres laudat Tacitus, quod *pluris apud eos valuerint boni* mores, quàm alibi *bonæ* (multæ) *leges, Mor. German. c. XIX.*

(2) Narrant Dionyſium Siracuſanum, Tyrannum, plurimas leges ſuis tuliſſe, atque his promulgatis datâ operâ conniviſſe, donec omnibus ſecurè, quod erat conſtitutum, negligentibus haberet multos obnoxios. *Ita leges illi caſſium erant vice, quibus captabat prædam.* Eraſmus *ad Chriſtophorum, Epiſc. Baſil.* 6. 3.

(3) Vid. de Officio Summorum Imperantium circa *Leges Civiles* in ſpecie, *ſeq. C. XII.*

§. VII.

pro cujusque facti conditione, transgreſſoriſque intentione & malitia; nec ſine ſufficiente cauſa veniam indulgere; cum iniquum ſit, & ad irritandos Civium animos efficaciſſimum, æqualiter meritos, cæteris paribus, non æqualiter tractare.

§. VII. Uti autem nihil pœnis eſt ſanciendum, quod non ad uſum Civitatis facit; ita *pœnæ* (1) quoque ſunt temperandæ, ut ad finem iſtum proportionem habeant, utque adeo Cives non plus afflictionis, quam reſp. utilitatis inde ferat. De cætero ſi ſcopum ſuum debent obtinere pœnæ, adparet, eas eousque eſſe intendendas, ut acerbitas earundem præponderet lucro & delectationi, quæ ex facto legibus vetito redundare poteſt.

§. IIX. Quia porrò hoc fine in Civitatem coiverunt homines, ut ſecuritatem adverſus injurias aliorum obtinerent: Summorum Imperantium eſt eò ſeverius *Civium inter ſe injurias prohibere*, quò faciliorem perpetua cohabitatio occaſionem ad lædendum præbet. (1) Nec diſcrimina ordinum ac dignitatum eo valere debent, ut potentiores tenuioribus pro libidine inſultare poſſint. (2) Sed & ſcopô Summi Imperii adverſatur,

§. VII. (1) De Officio Summorum Imperantium circa *Pœnas* in ſpecie agetur *ſeq. C. XIII.*

§ IIX. (1) Confer *L. I. c.* 6.

(2) Confer, quæ *de agnoſcenda hominum naturali æqualitate* dicta fuerunt ſupra *L. I. c.* 7.

tur, ut Cives, quas ſibi factas arbitrantur, injurias privata violentia exequantur.

§. IX. Præterea quanquam ad omnia Civitatis amplioris negotia immediatè obeunda unus Princeps non ſufficiat, ſic ut neceſſariò *Miniſtri* in partem curarum ſint vocandi: tamen ut hi omnem à Summo Imperante poteſtatem mutuantur, ita & bene & malè ab ipſis geſtorum imputatio ultimò demum in iſtum redundat. Quam ob rationem, & quia, prout miniſtri ſunt, ita rectè aut pravè negotia expediuntur, Summi Imperantes tenentur ad munia Civitatis adhibere viros probos, & idoneos, (1) & in eorum acta ſubinde inquirere, eos denique, prout rem geſſiſſe deprehendentur, præmiis vel pœnis mactare, quo cæteri intelligant, non minore fide ac diligentia publicam, quam propriam, rem tractandam. Sic & cum pravi mortalium ad ſcelera perpetranda ſpe impunitatis alliciantur, quæ ipſis præbetur facillima, ubi *Judices* corruptionibus patent: (2) Summorum

§. IX. (1) Optimè Plato docet; non tantum ſitum eſſe in Legibus condendis, quantum in Magiſtratibus probis conſtituendis. Vid. *Dial. VI. de Republ.* & Marſil. Ficinum, *in Argument. p. m.* 631. Meritò ergò notatus Ludovicus XI. Gall. Rex, quod Sartorem pro Feciali, pro Legato Tonſorem, Medicum pro Cancellario habuit. Bodin. *de Republ. L. VI.* Et vid. elegantem Diſcurſum Forſteri, *Not. Polit. ad C. Tacit. p.* 60. *ſeqq.*

(2) Corruptionibus utique patere non debent; remuneratio tamen

morum Imperantium eſt, in ejusmodi Judices, tanquam fautores ſcelerum, queis ſecuritas Civium abrumpitur, ſevere animadvertere. Præterea licet ordinaria negotiorum expeditio Miniſtris credenda ſit, Summi tamen Imperantes querelis ac deſideriis Civium patienter aurem præbere nunquam detrectabunt.

§. X. Cum ad *Tributa* (1) & alia onera ferenda Cives nullô aliô nomine teneantur, quàm quatenus iſta neceſſaria ſunt ad ſumtus Civitatis belli pacisque tempore tolerandos: igitur Summorum heic Imperantium officium erit, non plus extorquere, quam neceſſitates, aut inſignes Reipubl. utilitates, requirant: & quantum fieri poteſt, ita onera temperare, ut quàm minime Cives iisdem affligantur. Deinde ut juſta in proportione deſcribantur; nec aliquibus Civibus immunitates concedantur in fraudem & oppreſſionem reliquorum. Tum quæ collecta fuerunt,

tamen omnis non prohibita, ne gratitudini via omninò præcludatur. Hinc *eſculenta & poculenta ſumere Judici* permittunt LL. Romanæ, *l.* 18. *ff. de Offic. Præſid.* modò talia ſint, *quæ intra dies proximos prodigantur*, i. e. modicâ, ſalvâ utique conſcientiâ id fieri poteſt; quamquam videas ſubindè nonnullos nimium quàm eâ in re religioſos; adeò ut molâ ſalſa ſibi litari nullo modo velint: quos tamen, ubi ex Oriente cum auro & thure adoratum venerint Reges, Sacrificium admittere & ſe excuſare audieris: *Quis poteſt reſiſtere tot armatis?*

§. X. (1) Vid. dicta *præced. C. VII.* §. 7.

runt, in uſus Reipublicæ impendantur: non per luxuriam, largitiones, ſuperfluam oſtentationem, aut inania diſſipentur. Denique providendum, ut erogationes reditibus reſpondeant, &, qua hi non pertingunt, à parſimonia & circumciſis ſumtibus non neceſſariis ſubſidium petendum.

§. XI. Quanquam autem Summi Imperantes ſubditos alere non teneantur, (niſi quod eorum, qui per immeritam aliquam calàmitatem ſeipſos ſuſtentare non poſſunt, peculiarem curam agere caritas jubeat;) quia tamen non ſolùm ex bonis Civium colligendi ſunt ſumtus Civitati conſervandæ neceſſarii, ſed etiam robur Civitatis in virtute & opibus civium conſiſtit: igitur illis, quantum in ſe, providendum erit, ut *res familiaris Civium* gliſcat. Ad hunc finem facit Cives diſponere, ut, quantum fieri poteſt, uberem proventum ex terra & aquis capiant; ut, quæ apud ipſos proveniunt, materiis induſtriam adhibeant, aut quem ipſi commodè laborem obire poſſunt, ab aliis non redimant: quod fit, ſiquidem *artes mechanicæ* foveantur. Maximi quoque eſt momenti, *mercaturam*, &, in regionibus maritimis *navigationem*, excolere. Nec ignaviâ ſolum proſcribenda, ſed & ad *parſimoniam* revocandi cives per *Leges ſumtuarias*, queis

ſuperflui ſumtus prohibeantur, inprimis illi, per quos opes Civium ad exteros transferuntur. Etſi majorem heic, quam quævis Leges, efficaciam obtinent Summorum Imperantium exempla.

§. XII. Quia etiam ſanitas ac firmitas Interna Civitatum ex *unione Civium* provenit, quæ quò accuratior fuerit, eò majore cum efficacia vis Imperii per univerſum ſeſe Civitatis corpus diſpenſat; igitur Summis Imperantibus incumbit providere, ne in Civitate factiones oriantur; neve quidam cives inter ſe peculiaribus pactis connectantur; neve omnes aut aliqui ab ullo alio, ſive intra, ſive extra Civitatem conſtituto, ſub quocunque obtentu, ſacro (1) aut profano, magis dependeant, quàm à legitimo ſuo Principe, & in nemine plus ſibi præſidii, quam in eodem, repoſitum arbitrentur.

§. XIII. Denique cum Status Civitatum inter ſe ſit pax ſatis infida, (1) Summorum Im-

§. XII. (1) Indè miſera certè Principum, ubi Pontificia Sacra coluntur, conditio; dum ſub prætextu Religionis apud Clerum, & quæ ab hoc ferè regitur, plebem nihil non Papa poteſt efficere, & ſummi Imperii Civilis vim infringere. Teſtes ſunt acta ſuperiorum ſeculorum; quamvis hodiè per Dei gratiam, ſapere, & bona ſua noſſe incipiant Principes, nec amplius concedant, ut ſceptra ſua ad paſtoralis pedi conſpectum trepident.

§. XIII. (1) Aliquoties jam monitum fuit, Statum Naturalem, in quo Civitates ad invicem conſideratæ conſtituuntur, eſſe quidem ex intentione Creatoris & per ſe rationa-lem

Imperantium eſt curare, ut *virtus Civium peritiaque armorum* alatur, & omnia, quæ ad vim repellendam requiruntur, maturè parentur, munita loca, arma, milites, &, rerum gerendarum nervus, pecunia. (2) Ultrò autem, etiam poſitâ juſtâ belli cauſâ, nemo laceſſendus, niſi tutiſſima arriſerit occaſio, & conditio Civitatis commodè id ferat. Eundem quoque ob finem conſilia & molitiones vicinorum accuratè exploranda, & obſervanda ſunt; (3) nec non amicitiæ & fœdera prudenter contrahenda.

lem ac Pacis Statum; interim tamen propter ingenii humani malitiam ei paci non ſemper tutò poſſe & debere confidi, inde in pace de bello, uti in bello de pace cogitandum prudentibus Civitatum Rectoribus.

(2) De Jure belli, vid. infr. *C. XVI.*

(3) De Fœderibus dicetur uberius: mox *C. XVII.*

CAPUT XII.

DE
LEGIBUS CIVILIBUS IN SPECIE.

§. 1. Quid ſit Lex Civilis.
2. Quot reſpectibus Leges Civiles dicantur?
3. Legi naturali vis LL. Civilium tribuenda.
4. Hinc ſanctione pœnali conſequuntur.
5. Quatenus naturaliter debitis per Actiones Civiles ſubveniatur?
6. Præſtationes naturales indefinitæ Lege Civili determinantur.
7. Et certam formam accipiunt.
8. Obſequii legibus Civilibus debiti fontes.
9. Obediendum quoque peculiaribus Principii juſſis.

§. I.

DIſpiciendum quoque jam reſtat de Partibus Summi Imperii in ſpecie, & quæ circa eas peculiariter obſervanda occurrunt. Ubi primum locum occupant *Leges Civiles*, quæ ſunt decreta Summi Imperantis Civilis, per quæ Civibus injungitur, quid in vita Civili facere, quidve omittere debeant.

§. II. Dicuntur autem *Leges Civiles* duplici potiſſimum reſpectu; vel *reſpectu autoritatis*, vel *originis*. Priori ſenſu Leges Civiles vocari poſſunt omnes leges, juxta quas in foro Civili jus redditur, undecunque demum illæ originem ſuam trahant. Poſteriori ſenſu leges civiles dicuntur, quæ primo à voluntate Summi Imperii Civilis profectæ ſunt, atque circa ea verſantur, quæ jure Naturali ac divino definita non ſunt, ſed ad peculiarem utilitatem ſingularum Civitatum faciunt.

§. III. Cæterum uti Legibus Civilibus nihil eſt ſanciendum, quod non *ad commodum Reipubl.* referatur: ita cum vitæ civilis decori & tranquillitati maximè expediat, Legem Naturalem à Civibus probè obſervari; hinc Summis Imperantibus incumbit, iſti *vim atque efficaciam Legis Civilis* impertiri. (1) Nam

§. III. (1) Et quidem Legi Naturali tàm *imperfectè obliganti*, v. gr.

Nam apud plurimos mortalium tanta deprehenditur malitia, ut neque manifeſta Legis Naturalis utilitas, neque metus divini Numinis ei reprimendæ ſufficiat. (2) Quo igitur utcunque vitæ civilis honeſtas ſervari queat, Summum Imperium efficere poteſt, Legibus Naturalibus vim Legum Civilium tribuendo.

§. IV. Conſiſtit autem *vis Legum Civilium* in hoc, ut præceptis de faciendo vel omittendo addatur *ſanctio pœnalis*; (1) ſive ut definiatur, quæ pœna in foro Civitatis ſit man-

v. gr. *ut fides etiam nudô pactô data ſervetur*; quàm *imperfectè tantum* ſtringenti, ſcilicet *in iis, quæ ex ſola humanitate* alias *procedunt*, vel *ſolo pudore hominum continentur*, cujus exemplum occurrit §. 1. *Inſt. de fideicommiſſar. hæreditat.* Objicias: *Ergone Jus Naturæ in ſe non ſat validum eſt, quia à Lege Civili vim expectat?* Reſponſio eſt in ſequentibus hujus textus verbis, & in §. IV.

(2) Videntur his contrariari, quæ ſequente §. IIX. dicuntur, *quod* ſcilicet *Jus Naturale confirmet obligationem legum Civilium in animis Civium*. Si enim hoc eſt, quod Jus Naturale firmet Leges Civiles, quomodo poteſt ſtatui, quod Leges Civiles firmare debeant Jus Naturale? Enimverò utrumque dici poteſt, & verum eſt. Do inſtantiam: *Summus Imperans eſt tutamen populi, & populus eſt tutamen Summi Imperantis*. Ita Lex Naturæ firmat LL. Civiles ſcilicet *intrinſecè*; & vice verſa LL. Civiles firmant Leges Naturales, ſcilicet *extrinſecè*, reſpectu improborum, cum probis vel ſola intrinſeca obligatio ſufficere poſſet.

§. IV. (1) Scilicet partim in hoc conſiſtit illa vis extrinſeca quâ Naturæ Legibus Leges Civiles ſuccurrunt, ut *ſanctionem pœnalem* ſuperaddant; partim ut *Actionem*, aliquando etiam iis, ad quæ non niſi imperfectè obligat Jus Naturæ, concedant; quo de §. V.

§. V.

manſura eum, qui facienda omiſerit, aut fecerit omittenda. Qua ſanctione pœnali quæ deſtituuntur Leges Naturales, in foro humano impunè violantur, ſalva tamen vindictâ tribunalis divini.

§. V. Præterea quia vitæ civilis indoles non fert, ut, quod quisque ſibi deberi arbitratur, propriam per violentiam exigat: (1) inde & in eo *Legi Naturali ſubveniunt Leges Civiles*, quod ad ea, quæ ex illa debentur, hæ *Actionem* accommodant; cujus vi iſta in foro civili per ſubſidium Magiſtratus exigi poſſunt. Quam vim quæ per Leges Civiles non acceperunt, ab invitis extorqueri non poſſunt, ſed ſolô debentium pudore & conſcientia ſtant. (2) Solent autem Leges Civiles illis potiſſimum obligationibus actionem accommodare, quæ per *expreſſa pacta* (3) inter homines contractæ ſunt. Cæteris, quæ ex indefinito aliquo Officio Legis Naturalis debentur, (4) fere actionem denegarunt, ut eſſet materia, qua virtutem ſuam exercerent probiores mortalium; inſignemque pararent lau-

§. V. (1) Ut in Statu Naturali, ubi quisque ſibi jus quærit per arma.

(2) Hæc ferè ſunt Officia humanitatis & alia Abſoluta, de quibus *L. I. c.* 6. §. 2. *ſeqq. c. IIX.*

(3) Nam per hæc demum jus perfectum adquiritur, *Lib. I. c.* 9. §. 4.

(4) V. gr. Grati animi declaratio, cujus exigendi de Jure nec Naturali, nec Civili datur Actio. Vid. *L. I. c.* 5. §. 8.

§. VI. (1)

laudem, ſi citra coactionem recte feciſſe viderentur. Sæpè etiam tanti non fuit viſum negotium, ut ideò Prætor fatigaretur.

§. VI. Cum etiam multa Lege Naturali indefinitè præcipiantur, adplicatione in cujusvis arbitrio relictâ: (1) inde Lex Civilis ad decus & tranquillitatem Civitatis ejusmodi *actionibus tempus, modum, locum, & perſonas* aſſignare, aliasque circumſtantias determinare, quandoque & præmiis homines ad eas ſuſcipiendas allicere ſolet. Si quid etiam in Lege Naturali obſcuri ſit, (2) Legis Civilis eſt explicare. Quam explicationem in agendo ſequi Cives tenentur; utut fortaſſe privata ipſorum opinio in diverſum abeat.

§. VII. Cum etiam plurimæ actiones per Legem Naturalem cujusque judicio & arbitrio ſint relictæ, quas tamen in Civitate uniformi modo temperari tranquillitatis & decoris publici intereſt: inde Leges Civiles ejusmodi actionibus & negotiis *certam formam* (1) ſolent aſſignare; uti contingit in Ultimis Volun-

§. VI. (1) V. gr. *Matrimonia*, imò *ut fides data ſervetur*. Poſſunt tamen LL. Civiles determinare, ne per ſimplicia pacta quæ datur, obliget, ſed, ut ſub certis demum modis & formis, qualis erat *Stipulatio* apud Romanos.

(2) Apparenter ſcilicet talis, vel ex pravitate ſiniſtrè exponentium. Alias Lex Naturalis in ſe omnis ſatis clara & perſpicua. Exemplum præbere poteſt *Uſucapio*, *L. I. c.* 12. §. 12. Item *Dominium Eminens*, infrà *c. XV.* §. 4. quæ duo Juri Naturali adverſa nonnulli putaverunt.

§. VII. (1) Puta *ſpecificam*, unde ejusmodi res in LL. Romanis

Voluntatibus, in Contractibus & multis aliis. Ob eandem cauſam etiam Leges Civiles exercitium eorum jurium, quæ naturaliter competunt, circumſcribere ſueverunt. (2)

§. IIX. Debent autem cives Legibus Civilibus, quatenus apertè Juri Divino non repugnant, *obtemperare* non velut ex nudo pœnæ metu, ſed ex *intrinſeca obligatione*, per ipſum Jus Naturale confirmatâ; quippe inter cujus præcepta quoque eſt, legitimis Imperantibus eſſe parendum. (1)

§. IX. Denique non minus *peculiaribus Juſſis* Summorum Imperantium, quam Legibus communibus, Cives obtemperare debent. Ubi tamen obſervandum eſt, utrum Summus Imperans Civem quid jubeat facere tanquam *actionem Civi propriam*; an verò mandet ſuſcipere nudam *executionem actionis*, quæ propria Imperantis eſſe debeat. (1) Nam

manis à jure Civili eſſe dicuntur. De Tutela vid. §. 1. *Inſt. de Tutel.* Et ex eadem ratione multi modi acquirendi Juri Civili adſcribuntur, qui tamen quoad formam genericam ſeu rem ipſam Juri Naturali non ſunt ignoti, §. 6. *Inſt. de Uſu & Habitat.* & *Titt. ſeqq.*

(2) Quatenus Jura pro Facultatibus, vor die Rechts-Befugniſſe/ accipiuntur. Ita Jus venandi initio omnibus datum, Leges Civiles multis in locis rectè circumſcripſere. Vid. *Not. 2. ad L. I. c. 3. §. II. p. 57.*

§. IIX. (1) Hinc etiam obligant in Conſcientia.

§. IX. (1) Illa ſanè diſtinctio rem non conficit, & utroque in caſu peccat, qui actionem exequitur *ſpontè* & *de injuſtitia certus*. Ut taceam, diſcrimen inter *actionem Civis* & *Imperanti propriam*, ſaltim ex propoſitis exemplis, non ſatis liquere.

Nam poſteriori caſu, neceſſitate ab Imperante adhibitâ, citra proprium peccatum poteſt aliquid agere Civis, quô patratô ipſe Imperans peccat. Sed ut Civis velut proprio nomine peccatum Legi Naturali & divinæ repugnans perpetret, fieri rectè non poteſt. Inde eſt, quod ſi in bello etiam injuſto Civis juſſu Summi Imperantis arma gerat, non peccet: (2) ſed ſi ejusdem juſſu aliquis innocentem damnet, falſum teſtimonium dicat, calumniam alicui intentet, utique peccat. Nam Civis militat nomine publicô; ſed propriô nomine judicat, teſtatur, accuſat.

quere. Jus enim ſententiæ ferendæ Judex æque à ſummo Imperante habet, ac miles jus militandi, quamvis alias diſtinctio inter actus Civium privatos ac publicos rectè ſeſe habeat. Quod rem ipſam attinet, ita ſentio paucis. Uti ſummus Imperans ad injuſta legibusque divinis adverſa mandanda *jus nullum* habet: ita ad ea exequenda Civibus *nulla* incumbit *obligatio*. Hinc nunquam excuſandi ſunt, ubi (1) de injuſtitiâ certi, (2) ſpontè mala imperata fecerint. Dico (1) *ſi de injuſtitia certi*. Nam, ſi dubii, debent ſequi id, quod certius, id eſt, juſſa facere, quia pro Imperantibus eſt præſumtio juſtitiæ, donec de contrario evidenter conſtet. Dico (2) *Spontè fecerint*. Nam de Coactis aliter pronunciandum, ubi metus ex coactione fuerit juſtus, ſecundum ea, quæ de Imputatione coactionis ſupra *L. I. c.* 1. §. 16. §. 24. & *C. V.* & alibi dicta fuerunt. Conf. Bœcler. *ad Grot. p.* 265. & Dn. Hockſteter. *Colleg. Puſendorf. p.* 105. qui etiam noſtræ ſententiæ accedunt.

(2) Id inde eſt, quia injuſtitiæ cauſa militibus ſemper dubia; illud autem præceptum: *Pare ſuperiori*, ſemper evidens eſt. Conf. de hoc argumento Autorem, in *Maj. Op. de J. N. & G. L. I. c.* 5. §. 9. & *L. IIX. c.* 1. §. 6. *ſeqq.*

CAPUT

CAPUT XIII.

DE JURE VITÆ AC NECIS, NEC NON DE POENIS.

§. 1. Duobus modis Summo Imperio jus in vitam Civium competit;
2. *Indirectè*, ob defenſionem Civitatis.
3. *Directè*, ob delicta, per modum pœnæ.
4. Pœnæ definitio, & diſcrimen à malis bellicis.
5. Jus puniendi eſt ab Imperio Civili.
6. Pœna debet habere certos fines.
7. Hi poſſunt eſſe varii.
8. Primus.
9. Secundus.
10. Tertius.
11. Pœnis humanis non ſubjacent actus merè interni.
12. Nec lapſus minutiores.
13. Nec quædam alia;
14. Nec vitia animi mortalibus communia.
15. Aliquando datur delictis venia.
16. Gravitas delictorum unde æſtimetur?
17. Determinatio pœnæ eſt Summi Imperii.
18. Reſpiciendæ puniendi qualitates.
19. Quomodo Univerſitas puniatur?
20. Damnum ex alieno delicto redundans non eſt pœna.

§. I.

SUmmo Imperio Civili in *vitam Civium duplici modo jus* competit; *indirectè* vel *directè*; illud quidem ad *defenſionem Civitatis*, hoc autem ad *compeſcenda delicta*.

§. II. Cum enim ſæpè vis exterorum per vim

vim ſit repellenda, aut jus noſtrum violenter ab ipſis vindicandum; licet utique Summo Imperio Cives ad hoc negotii compellere; (1) ubi de induſtria non id agitur, (2) ut Cives vitam amittant, ſed duntaxat periculo mortis eorum vita exponitur. Qualibus in periculis ut ſtrenue & dextrè ſeſe Cives gerere poſſint, Summum Imperium exercere eos & præparare debet. Nulli autem Civi ejus periculi metu ad munia militaria ſeſe inutilem reddere licet. Et qui militiæ eſt adſcriptus, hautquaquam aſſignatam ſtationem ex formidine deſeret, ſed ad extremum potius ſpiritum pugnabit, (3) niſi intelligat, Imperantis voluntatem eſſe, ut potius vitam, quàm locum conſervet; aut locus iſte tanti non ſit Civitati, quàm vita iſtorum Civium. (4)

Z §. III. Di-

§. II. (1) Vid. ſupra *L. I. c. 5. §. 23. not. 4.* & infra *C. XVI.*

(2) Agitur tamen aliquando, ſi per modum ſtratagematis tales objiciuntur hoſti, quos vellent perditos Summi Imperantes. Vid. Caſaubon. *ad Polyb. p.* 95. Imò dantur exempla, ubi jactura vitæ militibus demandata, & hi ad eam ſe obligarunt. Hûc pertinent Gallorum *Gents ſans quartier*, qui juratò promittunt, ſie wollen kein Quartier nehmen und geben. Et Claſſium Præfecti jurant; ehe ſie das Schiff dem Feinde laſſen wollen / ehe wollen ſie ſich mit demſelben in die Lufft ſprengen.

(3) Conf ſeq. *C. XIIX.* §. 11. 12.

(4) Rectè hinc ſe dedere poſſunt obſeſſi, ubi ab obſidione ſe liberari deſperant, & ad longiorem defenſionem neceſſaria deficiunt.

§. III. (1)

§. III. Directè autem vitam Civibus adimere poteſt Summum Imperium ob atrocia delicta, & per modum *pœnæ*; (1) quæ tamen & in alià hominis bona cadit. Quô locô de natura pœnæ quædam in univerſum erunt exponenda. *

§. IV. Eſt igitur *pœna* malum paſſionis, quod infligitur ob malum actionis; ſeu malum aliquod moleſtum, quod per modum coactionis & pro imperio, intuitu antegreſſi delicti (1) alicui imponitur. Licet enim ſæpè alicui pœnæ locô imperentur quædam actiones; in iis tamen ſpectatur id, quod laborioſæ & facienti moleſtæ ſint, quodque agenti paſſio quædam per eas inferatur. Invitis (2) autem pœna eſt infligenda, quia aliàs

§. III. (1) Reſultat hoc jus ſummi Imperii ex fine Civitatum principali, qui eſt *ſecuritas*, etiam *interna*. Hæc igitur dum ſæpe ſine ultimis ſuppliciis obtineri non poteſt; indè Summis Imperantibus, quibus jus datum eſt ad finem, datum eſſe etiam intelligitur ad hæc media. Nec de conſenſu Civium dubitandum eſt, qui, *ſaltim præſumtus*, ex pacto tam priore, quam poſteriore elicitur. Vid *præced. C. VI.* §. 5. *V.* & 9. Et hæc quidem uti manifeſta ſunt, ita tamen dici non poteſt, quod hoc vel illud ſupplicii genus huic vel illi delictò in ſpecie dictitet Jus Naturæ; Abſtinet enim hoc à ſpecialibus determinationibus, & eas Civili Imperio relinquit.

* Grot. *Lib. II. cap.* 20. & 21.

§. IV. (1) Pœna igitur delictum ſupponit; unde mala quibus infantes afficiuntur, non ſunt propriè pœnæ, quia delictorum non capaces. Conf. *L. I. c.* 1. §. 25.

(2) Imò verò *involuntarium ex voluntario ortum habetur*

pro

aliàs illa non obtineret finem ſuum,(3) qui eſt acerbitate ſua homines à peccatis deterrere. Quem effectum non habent, quæ quis lubens admittit. Denique pœnæ rationem non habent mala, quæ in bello pugnave inter repugnandum inferuntur; quia non pro imperio: (4) neque quæ per injuriam quis patitur, quia non intuitu antegreſſi delicti inferuntur.

§. V. Sicuti autem libertas naturalis hoc habet, ut, qui in ea conſtitutus præter Deum neminem habet ſuperiorem, divinis tantum pœnis ſit obnoxius: ita cum introducto inter homines Imperio, hoc quoque Imperantibus ſalus ſocietatum attribuit, ut ipſi malô repræſentatô malitiam ſubjecto-

pro voluntario, juxta Regulam Grotianam; ſeu, ut Philoſophi: *qui vult antecedens, vult etiam*, imo debet velle *conſequens*, videlicet pœnam. Licet enim *omnes obligationes criminales ex re*, i. e. occaſione rei ſeu maleficii, *naſcantur*, dicente Imperatore, *pr. Inſt. de Obligat. quæ ex delict.* cauſa tamen imputativitatis in pœnam proxima eſt conſenſus, ut in delictum, ita etiam in pœnam. Ergo hic locum habet, quod dicunt Imperatores Severus & Antoninus: *Ipſe te huic pœnæ ſubjeciſti.* Conf. H. Grotius, *J. B. & P. L. II. c. 20. §. 2. n. 3.*

(3) Inverto hoc potius, Finis pœnarum eſt emendatio, quæ longè certius ſperanda ab his, qui lubenter ſe pœnis ſubjiciunt, quam qui cum animi aſperitate. Acerbitas pœnarum eſt medium, utrique commune, tàm volenti, quàm invito.

(4) Adde: *nec intuitu antegreſſi* delicti.

§. VII. (1)

rum coërcere queant, quò plures homines ſecurè invicem poſſunt vivere.

§. VI. Etſi autem in eo nihil videatur iniqui, ut malum patiatur, qui male egit: in pœnis tamen humanis non ſimpliciter reſpiciendum eſt, quodnam malum ſit perpetratum; ſed & quæ *utilitas ex pœna* poſſit provenire. Sicuti & nequaquam eo fine pœnæ exercendæ, ut læſus animum paſcat, & voluptatem capiat ex dolore & ſupplicio lædentis; quippe cum hæc voluptas plane ſit inhumana, & ſocialitati repugnans.

§. VII. *Genuinus pœnarum humanarum finis* eſt præcautio læſionum & injuriarum; quæ provenit, ſi vel in melius emendetur, qui peccavit, aut alii ejus exemplô; ne deinceps velint peccare, vel ſi ita coërceatur, qui peccavit, ut non poſſit deinceps nocere. Id quod etiam ita poteſt exprimi, quòd in pœnis reſpiciatur vel utilitas ejus, qui peccavit, vel ejus, cujus intererat non fuiſſe peccatum, quique adeò per peccatum læſus fuit, vel indiſtinctim quorumlibet. (1)

§. IIX. Primum igitur in ſumenda pœna reſpicitur *utilitas ejus, qui peccavit*, dum dolore pœnæ ipſius animus emendatur, (1) & peccan-

§. VII. (1) Addi etiam debebat quarta utilitas, ſcilicet expiatio, ratione Legiſlatoris per violationem legis offenſi læſique.

§. IIX. (1) Breviter, ratione hujus finis eſt *Emendatio*.

(2) Im-

peccandi libido per eandem extinguitur. Quale genus pœnæ (2) etiam in plerisque Civitatibus in ſuos domeſticos exercere patribus familiâs relictum. Eó ſolô tamen fine ad mortem procedi poſſe non videtur; cum qui mortuus eſt, emendari nequeat.

§. IX. Deinde in pœna verſatur *utilitas ejus, qui læſus fuit*, ne tale quid impoſterum ab eodem aut aliis patiatur. (1) Quorum prius obtinetur, ſi vel tollatur, qui peccavit, vel vires nocendi, ſalva vitâ, ipſi adimantur, vel ſi malô ſuô dedoceatur delinquere. Poſterius autem obtinetur pœnâ apertâ & conſpicuâ, cujusque adparatus ad terrorem aliis incutiendum aptus ſit.

§. X. Denique in pœna *utilitas* quoque *omnium* quæritur, dum nempe id agitur, ut ne, qui uni nocuit, aliis deinceps noceat, vel ut exemplo territi cæteri à ſimilibus patrandis abſtineant. (1) Quod pari modo atque prius obtinetur.

§. XI. Quod ſi porrò tum fines pœnarum, tum conditionem generis humani conſide-

(2) Impropriè tamen pœnas dici ejusmodi coërcitiones ex præcedentibus patet.

§. IX. (1) Breviter ratione hujus finis eſt *ſecuritas* & cautio quoad futurum. Cum quibus non confundenda *reparatio damni*, læſo, ſicubi haberi poteſt, etiam non deneganda. Conf. Dn. Hochſteter *Colleg. Puſendorf.* in annexo Tractatu *de Pœnis*, p. 5. & 7.

§. X. (1) Breviter: ratione publici finis eſt *exemplum*.

§. XIII. (1)

ſideremus, adparet, *non omnia peccata eſſe ejusmodi indolis, ut in foro humano ea puniri* omninò conveniat. Inde pœnis humanis eximuntur *actus merè interni*, i. e. cogitatio delectabilis de peccato aliquo, cupiditas, deſiderium, deſtinatio citra effectum; etſi poſtea per ſubſequentem confeſſionem ad notitiam aliorum perveniant. Nam cum ejusmodi motu internô nemini noxa inferatur, nullius quoque hominis intereſt, ut ob eundem quispiam puniatur.

§. XII. Durum quoque nimis foret, pœnis humanis ſubjicere *minutiſſimos lapſus*, quos in iſthac naturæ conditione non datur effugere, quantamcunque attentionem quis adhibere inſtituat.

§. XIII. Præterea multos actus diſſimulant leges humanæ *ob tranquillitatem Civitatis*, (1) *aut alias ob rationes*; puta, ſi ſplendidior futurus ſit actus, ubi ex intuitu pœnæ non videatur ſuſceptus, (2) aut ubi operæ pre-

tium

§. XIII. (1) Ubi ſcilicet vitia in mores abierunt, de quibus circa fin. hujus §phi. Sunt enim mala quædam Civitatum neceſſaria, quæ non legum & pœnarum ſeveritate, ſed lenioribus remediis & prudentibus conſiliis extirpari atque tolli poſſunt. Vid. elegans Diſput. Dn. Rechenbergii, *De vitiis, quibus Civitas impar. Diſſertat. Hiſtorico-Polit. p.* 11. *p.* 47. *ſeqq.*

(2) Sic, quia in ingratitudinem ſimplicem pœna ſtatuta non eſt; idcircò grati animi ſpecimina, ſi qua eduntur vel ob hoc ſolum eò ſunt ſplendidiora, quia & impunè licebat eſſe ingratis iis, qui gratiam referunt.

§. XV.

tium non ſit judices inquietari, aut ſi obſcuriſſimæ res ſit diſceptationis, aut ſi inolitum planè malum citra convulſionem Civitatis tolli nequeat.

§. XIV. Denique & à pœna humana eximi neceſſe eſt illa *vitia animi, ex corruptione mortalium communi reſultantia*, quæ ita frequentia reperiuntur, ut defuturi eſſent, quibus imperaretur, ſi ſeveris iſta pœnis plectere velis; quousque in enormes actus non eruperunt; uti eſt ambitio, avaritia, inhumanitas, ingratus animus, hypocriſis, invidia, ſuperbia, iracundia, ſimultas & ſimilia.

§. XV. Neque tamen, ſi quæ peccata ſint patrata pœnis humanis idonea, ſemper neceſſum eſt pœnam exigi. Quin aliquando contingit, ut delinquentibus rectè peccati *venia* fieri poſſit. Id quod tamen citra graves cauſas fieri non debet. (1) Inter quas ſunt, ſi fines pœnarum in certo caſu non videantur neceſſarii, aut ſi venia majorem

§. XV. (1) Nam nimia Imperantium hac in re facilitas duo mala certiſſima gignit; *primum*, ut leges & earum autoritas vileſcat; *alterum*, ut indignatio inter Cives oriatur. Dum enim venia plerumque vel per nummos, vel per amicos impetretur, & adeò, juxta illud Poëtæ,

Det veniam corvis, vexet cenſura columbas,

non poſſunt non ii, quibus ad Principis gratiam per illa duo non patet aditus, cæteris iraſci, imò Miniſtris & ipſi Principi maledicere. Vide, quæ de nimia in *diſpenſando* facilitate dicta fuerunt ſuprà, *L. I. c. 2. §. 9.*

quam pœna producere utilitatem ſit idonea; aut ſi fines pœnarum aliâ viâ commodius obtineri poſſint. Item ſi, qui deliquit, alleget ſua aut ſibi conjunctorum eximia in rempubl. merita, peculiari præmio digna, aut ſi ab alia quapiam inſigni re commendetur, puta, à raro aliquo artificio; aut ſi ſpes ſit fore, ut peccatum illud egregiis factis eluatur: præſertim ubi aliqua ignorantia, licet non plane inculpabilis, intervenerit, aut ſi particularis ratio legis in aliquo facto ceſſaverit. Sæpè quoque ob multitudinem peccantium venia eſt danda, ne ſuppliciis Civitas exhauriatur.

§. XVI. *Gravitas* autem *delictorum* æſtimatur (1) ex objecto, in quod peccatum fuit, prout illud nobile & pretioſum habetur: item ex effectu, prout multum aut parum damni in rempublicam inde redundat; & denique ex pravitate intentionis, quæ ex variis indiciis colligitur; puta, ſi facile potuit reſiſte-

§. XVI. (1) Non enim omnia ſunt æqualia, uti Stoicis olim viſum, licet quoad conceptum genericum, omnia in anomaliâ quadam, conſiſtant, & quoad hoc inter ſe conveniant. An fortè ejusdem fuit ſententiæ Imperator, quando dixit: *obligationes ex maleficio unius generis ſunt. pr. Inſt. de Obligat. quæ ex delict.* Poſſit videri, quia veteres JCti ferè fuerunt Stoici. Sed perperam hæc ipſi mens tribueretur, dum contextus oſtendit, Imperatorem loqui de *cauſa* obligationis, quatenus una omnium ſunt delicta; non de *qualitate* aut æqualitate delictorum. Subjicit enim ſtatim: *Nam omnes ex re naſcuntur, i. e. ex maleficio.* Adde dicta ad *§. IV. huj. cap. not.* 2.

(2) Se-

reſiſtere cauſis, quibus quis ad peccandum fuit impulſus; aut ſi præter communem rationem peculiaris quædam acceſſit, quæ à peccando debeat abſterrere; aut ubi circumſtantiæ ſingulares factum aggravant; aut ſi animum quis habuerit idoneum ad reſiſtendum peccatorum illecebris. Sed & conſiderari ſolet, primus quis, an aliorum exemplo ſeductus, ſemel an ſæpius, & poſt conſumtas fruſtra admonitiones quis peccaverit. (2)

§. XVII. Quod tamen *pœnæ genus* & *quantum* præciſè ſingulis peccatis ſit infligendum, penes Summum Imperium Civile eſt definire: quod heic unice utilitatem reipublicæ præ oculis habere debet. Unde fieri poteſt & ſolet, ut eadem pœna imponatur duobus delictis inæqualibus. (1) Nam quæ æqualitas Judicibus circa reos obſervanda præcipitur, illa intelligenda eſt de reis, qui idem ſpecie delictum (2) commiſerunt, ha-

 ctenus,

(2) Septem modos, qui in pœnis conſiderari debent, proponit JCtus, *in l. 16. §. 1. ff. de Pœnis.*

§. XVII. (1) Ex. gr. Pœna carceris propter leviorem cauſam ruſtico: ſed honeſtiori non facilè niſi ob graviorem. *Multa eadem onerabit pauperem, divitem non onerabit; & vili ignominia leve erit malum, honorato grave,* ait Grotius, *L. II. c. 20. §. 33.* Et tamen hic etiam *æqualitas* obſervatur; non quidem *ſimplex*, ſed *comparata.* Conf. *ſeq. §. XIIX.*

(2) Sic ex. gr. Fur ruſticus, adulter ruſticus, homicida ruſti-

cus;

ctenus, ut, quod in uno vindicatur delictum, alteri citra graviſſimam cauſam condonari non debeat. Etſi autem, quantum fieri poteſt, homo in hominem lenior eſſe debeat: interdum tamen pœnas exaſperari ſalus Civitatis & ſecuritas Civium jubet: puta, ſi contra gliſcentia vitia aſperiore medicinâ opus ſit. (3) aut ubi delictum aliquod reipublicæ ſit perniciosiſſimum. Id autem omninò obſervandum circa magnitudinem pœnarum, ut illæ tantæ ſint, quantæ ſufficiant ad reprimendam libidinem mortalium, qua feruntur in peccatum, in quod pœnæ conſtituuntur: tum etiam, ne exigantur graviores pœnæ, quàm legibus definitæ ſunt; (4) niſi atrociores circumſtantiæ factum aggravent.

§. XIIX. Quia tamen eadem pœna non omnes æquè afficit, adeoque apud omnes non parem effectum producit circa reprimendam peccandi libidinem; inde tàm in generali pœnarum deſignatione, quam earundem ad ſingulos adplicatione, reſpicienda

cus; & alius ſimilium delictorum reus, quamvis in dignitate conſtitutus, eôdem modô puniri merentur.

(3) *Nonnunquam evenit, ut maleficiorum ſupplicia exacerbentur, quotiens nimirum multis perſonis graſſantibus exemplô opus eſt: l. 16. §. 10. ff. de Pœn.*

(4) Senſûs hic eſt ſatis apertus, legislatorem non debere graviores pœnas exigere, quàm quas in legibus à ſe publicatis ipſe dictitavit. Foret enim alias crudelis.

§. XIX. (1)

da eſt perſona ipſius delinquentis, & in eadem illæ qualitates, quæ ſenſum pœnæ augere vel minuere poſſunt; puta ætas, ſexus, ſtatus, opes, vires & ſimilia.

§. XIX. Porrò uti ob *alienum delictum* in foro humano pœnâ propriè dictâ nemo poteſt affici: ita ſi *ab Univerſitate aliqua delictum ſit admiſſum*, eô non tenebitur, qui in id non conſenſerit. Atque inde iſti diſſentienti nihil poterit eripi, quod nomine & beneficio Univerſitatis non obtinebat. Etſi ex occaſione punitæ Univerſitatis & innocentes incommodum ſentire ſoleant. (1) Expirant quoque delicta Univerſitatum, quando nemo amplius ſupereſt eorum, queis conſentientibus & cooperantibus illud delictum fuit patratum. (2)

§. XX.

§. XIX. (1) Uſus eorum, quæ Civitati communia ſunt, ut muri, theatra, balnea, agri publici &c. ſpectat quidem ſuo modo & ad ſingulos Cives. Sed quando hæc talia Civitati alicui propter delictum adimuntur, damnum ſimul in ſingulos iſtos redundat, qui ne quidem in delictum conſenſerunt, dum rerum iſtarum uſu carendum eſt. Vid. Grotius *J. B. & P. L. II. c. 21. §. 7. n. 2. 3.*

(2) *Extinctis illis, per quos ad Univerſitatem meritum deducebatur, ipſum quoque meritum extinguitur, ac proinde & pœnæ debitum, quod ſine meritô non conſiſtit.* Grot. *l. c.* §. *IIX.* ut rectè judicat Curtius de facto Alexandri, Branchidas ideò delentis, quod Miletum Urbem eorum anteceſſores Xerxi prodiderant: factum hoc probari non poſſe. *Hæc ſi in ipſos*, inquit, *proditionis Autores excogitata eſſent, juſta ultio eſſet, non crudelitas videretur. Nunc culpam Majorum poſteri luêre, qui ne viderant quidem Miletum, adeò Xerxi non potuerant prodere. L. VII. c. 5. 35.*

§. XX. Id tamen frequenter contingit, ut *alienum delictum occaſionem præbeat*, ex qua in alios incommodum proveniat, aut bonum antea ſperatum intercipiatur. (1) Sicuti bonis parentum ob delictum confiſcatis ad paupertatem rediguntur etiam innocentes liberi. Et reo aufugiente fidejuſſor exſolvere mulctam cogitur, non ex delicto, ſed quia in talem eventum ultrò ſeſe obligavit.

§. XX. (1 Grotius vocat *damnum, quod in conſequentiam venit*, *l. c.* §. *X.* 1. 2.

CAPUT XIV.
DE
EXISTIMATIONE,
Et de Jure Summorum circa eam Imperantium.

§. 1. Exiſtimationis definitio.
2. Diviſio in *ſimplicem & extenſivam*.
3. *Simplex naturalis*.
4. Eſt vel integra,
5. Vel diminuta,
6. Vel prorſus conſumta.
7. *Simplex civilis*;
8. Deficit vel ex ſtatu,
9. Vel ex Delicto.
10. Exiſtimatio *ſimplex naturalis* ab Imperantibus non poteſt eripi.
11. Exiſtimatio *intenſiva*, ſeu honor.
12. Ejus fundamenta.
13. *Remota*;
14. Jus imperfectum producentia, & *proxima*, indè jus perfectum.
15. Principum & Rerumpubl. Præcedentia.
16. In Civitate Princeps honores determinat.

§. I. *Exi-*

§. I.

E*Xiſtimatio* (1) in genere eſt valor perſonarum in vita communi, ſecundùm quem aptæ ſunt aliis perſonis exæquari aut comparari, eisque vel antehaberi, vel poſtponi.

§. II. Dividitur illa in *ſimplicem & intenſivam.* (1) Utraque conſideratur vel inter eos, qui *in naturali libertate*, vel qui *in ſtatu Civili* invicem degunt.

§. III. *Exiſtimatio ſimplex inter eos, qui in naturali libertate vivunt*, (1) in hoc potiſſimum conſiſtit, ut quis talem ſe ferat, & pro tali habeatur, quicum agi queat tanquam cum viro bono, & qui cum aliis ad præſcriptum Legis Naturalis vivere ſit paratus.

§. IV.

§. I. (1) Vita & fama pari paſſu ambulant. Dum igitur hactenus de jure Summorum Imperantium in vitam actum fuit; commodè nunc ſuccedit conſideratio Juris, quod hi habent in Exiſtimationem Civium.

§. II. (1) Exiſtimatio *ſimplex* German. ein ehrlicher Name. Exiſtimatio *intenſiva*, Ehre/ Ehren Stelle.

§. III. (1) In hâc cum quoque ſint Societates Gentium invicem relatæ, eatenus etiam inter eas locum habet Exiſtimatio ſimplex, quatenus, vel juxta vel contra legem Naturalem, actiones ſuas inſtituunt. Indè, quæ ex raptu vivunt, & prædonum vitam agunt, iis merito ſuo utique Exiſtimatio ſimplex à Moratioribus denegatur, fœdera cum iis nulla ineuntur, imò pro hoſtibus humani generis communibus habentur.

§. IV. (1)

§. IV. Atque iſthæc integra tamdiu habetur, quoad quis nondum per malitioſum aut enorme facinus ſciens volensque dolo malo Legem Naturæ adverſus alios violavit. Inde & naturaliter quilibet pro bono viro habetur, (1) donec contrarium probetur.

§. V. Eadem Exiſtimatio *diminuitur* per facinora enormia contra Legem Naturalem malitiosè patrata; quæ efficiunt, ut majore circumſpectione opus ſit, ſi quis cum tali agere velit. Ea tamen macula elui poteſt, præſtita ultrò damni dati reparatione, & edito ſeriæ pœnitentiæ documento.

§. VI. *Conſumit* eandem penitus vitæ genus & inſtitutum directè ſpectans ad aliis promiſcuè nocendum & rem ex manifeſtis aliorum injuriis faciendam. (1) Cujus farinæ homines, quamdiu reſipiſcere nolunt, tanquam communes hoſtes poſſunt tractari ab omnibus, quos ipſorum malitia ullo modo poteſt tangere. Reparare tamen hi exiſtimatio-

§. IV. (1) Juxta hanc omnes ſumus æquales, nec admittit ea magis & minus, ſi quidem vera fuerit. Obſervanda igitur ejus intuitu Regula ſupra *L. I. c.* 7. *propoſita*, , quæ jubet agnoſcere *naturalem hominum æqualitatem*, cujus inter alia etiam hoc eſt fundamentum, quod *uſum arbitrii* ſeu rectæ rationis Deus *æqualiter inter omnes diſtribuerit*. Vid. §. 5. ubi verò uſus rectæ rationis, ibi Exiſtimatio, ſimplex, vel certè iſtius fundamentum.

§. VI. (1 Id quod ita ſe habet in populis, de quibus modo dictum, *Not. 1. ad* §. *III.*

§. VII. (1)

mationem poſſunt, ubi præſtita refuſione damni, aut obtenta condonatione, honeſtum vitæ genus, vitioſo ejurato, ſubierint.

§. VII. *Exiſtimatio ſimplex intra civitates degentium*, eſt, quâ quis juxta leges & mores Civitatis pro vitióſo ejusdem membro non fuit declaratus, & aliquò Civium numero eſſe intelligitur. (1)

§. IIX. Iſthæc in Civitate *deficit* vel *ex mero ſtatu*, vel *ex delicto*. Prius contingit *duplici modo*; vel ut ſtatus ille in ſe naturaliter nihil turpe habeat; vel ut cum vitio, aut ſaltem ejus opinione, ſit conjunctus. *Illud* contingit in quibusdam Civitatibus, ubi ſervi nullo numero ſunt. (1) Hoc circa lenones, meretrices, & ſimiles obtinet; qui, quamdiu publicè tolerantur in Civitate, communi quidem defenſione fruuntur, honeſtorum tamen hominum conſortio excludendi. (2) Quod idem contingit quibusdam circa fœda aut vilia, licet naturaliter non vitioſa occupatis. (3)

§. IX.

§. VII. (1) Tametſi in aliquibus aliquando contra Jus Naturale peccet.

§. IIX. (1) Indè *capite diminuti* dicebantur apud Romanos, quia caput, i. e. Exiſtimationem aliquam non habebant.

(2) Horum Status *cum vitio* conjunctus eſt; imo ipſi ipſo jure habentur pro infamibus, *l.* 2. §. 5. *l.* 1. 4. §. 2. *ff. de his, qui notant. infam.*

(3) Horum ſtatus *cum opinione vitii* conjunctus eſt, & ſunt, qui vel ſordida vitæ genera exercent: v. gr. Lictores, carnifices

§. IX Ex *delicto* autem eadem planè deficit, quando quis juxta Leges Civiles ob certum delictum *infamia* notatur; (1) idque ut vel morte ſimul plectatur, & ſic memoria ejus damnetur: vel ut Civitate expellatur; vel ut in Civitate retineatur tanquam infame & putridum membrum.

§. X. Id autem manifeſtum eſt, Exiſtimationem ſimplicem, ſeu *naturalem honeſtatem non poſſe alicui eripi ex mero arbitrio* Summorum Imperantium. Cum id nullo modo ad utilitatem Civitatis facere, adeòque in ipſos nullo modo collatum intelligi

nifices &c. vel infeliciter nati ſunt, ut ſpurii, naturales &c. In Romanis Legibus *levis notæ maculâ adſperſi* vocantur. *l.27. C. de inoffic. Teſtam.* Poſſunt tamen tales ſpurii ad honores promoveri. Sic *Jaſon* magni nominis JCtus evaſit. Sic *Eraſmus* in ſumma celebritate vixit. &c.

§. IX. (1) Hæc eſt *infamia*, quam vulgo *Juris* nominant, & quidem vel *immediatè* ea irrogatur, & ipſo jure, in notoriis; quò pertinent exempla Paragraphô octavô allata; & inde obſervamus; poſſe infamiam & ex ſtatu & ex delicto ſimul naſci; vel *mediatè*, mediante judicis ſententiâ, in non notoriis, cauſis tamen famoſis, v. gr. tutelæ, depoſiti &c. ſi ſcilicet condemnatio fiat ob dolum. Præterea in Jure Romano alia *infamiæ* ſpecies occurrit, quæ *facti* dicitur, orta ſcilicet ex facto turpi, ſed jure ſpecialiter non notato, undè Exiſtimatio alicujus apud bonos & graves viros operatur. Exemplum eſt in *l. 25. C. ad L. Jul. de adulter.* de quodam, qui ancillas compreſſerat, ubi Imperator dicit: *gravatam ejus opinionem, non infamiâ afflictam.*

§. X. (1)

telligi poſſit. (1) Sicuti nec vera infamia videtur contrahi poſſe, dum quis juſſa Civitatis injuſta per modum nudi miniſtri exſequitur. (2)

§. XI. *Exiſtimatio intenſiva* eſt, ſecundum quam perſonæ, alias quoad exiſtimationem ſimplicem æquales, ſibi invicem præferuntur, prout uni præ altero inſunt; queis aliorum animi ad exhibendum honorem permoveri ſolent. Eſt autem *honor* propriè *ſignificatio judicii noſtri de alterius præſtantia*. (1)

§. XII. Hæc Exiſtimatio intenſiva conſiderari poteſt vel *inter eos, qui in naturali vivunt libertate*, (*) vel *inter cives ejuſdem Reipublicæ*. (*) Deinde expendenda ejuſdem *fundamenta*, & quidem prout producunt vel aptitudinem duntaxat ad honorem ab aliis expectan-

(*) De quo in §. *ſeq*. 15.

(*) De quo in §. *ſeq*. 16.

Aa dum,

§. X. (1) Ut igitur famam & exiſtimationem ſimplicem ſummus Imperans Civi præter juſtam cauſam eripere non poteſt, dum hæc poteſtas ipſi non data, & finibus Reipublicæ repugnaret, ita hoc tamen certum eſt, poſſe ſummum Imperantem ſubditum aliquem cogere ad opus peragendum, quod alias *levis notæ maculâ* infectum.

(2) Repete dicta ad *h. L. C. XII*. §. 9. & confer Dn. Hochſteter. *Colleg. Pufendorf. p.* 105.

§. XI. (1) Inde intelligitur, quid ſit, quando dicitur: *honorem eſſe honorantis, non honorati.*

§. XII. (1)

dum, vel *jus ſtrictè dictum*, quô idem ab aliis tanquam debitus poſtulari queat. (1)

§. XIII. *Fundamenta intenſivæ Exiſtimationis in genere* cenſentur omnia illa, quæ inſignem perfectionem & præſtantiam habent, aut eandem judicantur arguere, & quidem talem, cujus effectus cum fine Legis Naturalis aut Civitatum congruit. (1) Uti ſunt perſpicacia mentis, & capacitas varias ſcientias & artes addiſcendi, acre judicium, in rebus gerendis animus firmus & per externa inconcuſſus, illecebriſque ac terroribus ſuperior, eloquentia, forma (2) & dexteritas corporis, bona & fortunæ, & inprimis res egregiè geſtæ.

§. XIV. Hæc

§. XII. (1) Repetenda hic, quæ de jure perfecto & imperfecto in præcedentibus aliquoties monita fuerunt, imprimis ad *L. I. C.* 2. §. 15. *c. VI.* §. 5.

§. XIII. (1) Fines Juris Naturalis & Civitatum introductarum quinam ſint, patet ex præcedentibus. Quæcunque igitur apta ſunt ad bonum totius humanæ ſocietatis, vel ſaltim Civitatis promovendum, illà etiam ad honores gignendos ſuo modo idonea ſunt, ſeu fundamenta intenſivæ Exiſtimationis præbere poſſunt. Spectat huc doctrina de *Officiis hominis erga ſe ipſum*, quatenus illa ex *convenientia cum ſocialitate* profluunt; & quatenus utilitatem ſocietatis *indefinite* promovere jubemur; de quibus ſupra *L. I. c.* 5. §. 1. *ſeqq. C. IIX.* §. 2.

(2) Forma quidem per ſe & ſola verum honoris fundamentum non eſt; eſſe tamen poteſt cum cæteris conjuncta, dum & ipſi quoque virtuti ex ea non levis accedit commendatio;

Gratior eſt pulchro veniens in corpore virtus, ap. Virgil. *Æneid. V. verſ.* 344.

§. XIV. (1)

§. XIV. Hæc tamen omnia non producunt *niſi jus imperfectum*, ſeu aptitudinem ad habendum ab aliis honorem & venerationem. (1) Unde ſi quis eundem aliis etiam benè meritis denegaverit, non injuriam facit, ſed duntaxat ob inhumanitatem & velut incivilitatem malè audit. (2) Sed *jus perfectum* ad habendum ab altero honorem, aut ejus inſignia, provenit vel ex *imperio*, quod quis in iſtum obtinet, vel ex *pacto* cum eodem ea ſuper re inito, vel ex *lege* per communem dominum lata aut approbata. (3)

§. XV. *Inter Principes* autem & integros populos pro-eminentia & *præcedentia* ſolet allegari potiſſimum antiquitas (1) regni & familiæ, amplitudo & opulentia ditionum, & potentia, qualitas poteſtatis, quâ quis imperium in ſuo regno obtinet, (2) &

§. XIV. (1) Vide ſupra *L. 1. c.* 8. §. 3.
(2) Confer *L. I. c.* 6. §. 5.
(3) Quando igitur vel ex *imperio*, vel ex *pacto*, vel ex *lege* & juſſu ſuperioris quis alicui honores exhibere tenetur, tunc perfectè obligatus eſt; & ad officium hoc poteſt per vim & pœnas adigi, conf. *L. I. c.* 7. §. *fin.* Cœterum poſſe, imò debere hominem ad Exiſtimationem intenſivam adſpirare, in præcedentibus fuit probatum. Adde etiam *L. I. c.* 5. §. 5.

§. XV. (1) *Vetuſtas ſemper pro lege habetur, minuendarum ſcilicet litium causâ. l. 2. pr. ff. de aquâ & aquæ pluviæ arcendæ.*
(2) Id eſt, hæreditario an uſufructuario jure imperet: poteſtate abſolutâ, an reſtrictâ?

ſplendor tituli. Quæ tamen omnia per ſe non pariunt jus perfectum ad præcedentiam adverſus alios Reges Populosve, (3) niſi pacto aut conceſſione horum iſtud quæſitum fuerit.

§. XVI. *Inter Cives autem gradus dignitatis deſignare Summi Imperantis* eſt; qui tamen heic recte cujusque præſtantiam, & ad conferenda in Rempublicam merita aptitudinem reſpicit. Quem autem iſte Civi dignitatis gradum aſſignaverit, eum rectè hic contra concives ſuos tuetur: (2) nec minus eodem ipſe adquieſcere debet.

(3) Magis enim & minus non variant ſpeciem.

§. XVI. (1) Facit ad finem Civitatis, Honorum & Dignitatum præmiis Cives ad virtutem excitare; undè fluit, quod Jus Ordinum diſcernendorum itidem ad Rectores Civitatum pertineat. Vid. *L. I. c. 7. §. 1. not. 2.*

(2) Modis ſcilicet legitimis & ope ſummi Imperantis, cujus ad Officia ſpectat Civium inter ſe injurias prohibere. Vid. *præced. C. XI.* §. 8.

CAPUT XV.

DE POTESTATE SUMMI IMPERII IN BONA CIVITATE CONTENTA.

§. 1. Jus ſummi Imperii *in bona* Civitatis *privata* triplex,

2. *Primum* conſiſtit, in Legibus circa bona Civium ferendis.

2. *Secundum*

3. *Secundum* in exigendis tributis & vectigalibus.
4. *Tertium* in exercitio Dominii Eminentis.
5. Jus Summi Imperii in *bona publica.*
6. Summus Imperans an poſſit regnum alienare?

§. I.

Quemadmodum, ubi bona abs Summis Imperantibus in Cives profecta ſunt, (1) in iſtorum arbitrio eſt, quid hi in ea juris obtineant: ita in ea bona, quæ Cives propriâ ſibi induſtriâ, aut alio modo plene quæſiverunt, *triplex* potiſſimum *jus*, ex indole Civitatum reſultans, & ad harum finem neceſſarium, Summis Imperantibus competit.

§. II. *Primum jus* in eo conſiſtit, ut Civibus iſti poſſint *Leges præſcribere* circa uſum eorundem ad utilitatem Civitatis attemperandum, (1) aut circa modum, (2) qualitatemque poſſeſſionum, uti & rationem transferendorum in alios bonorum, & quæ ſunt ejus generis alia.

§. III. *Alterum jus* in hoc conſiſtit, ut poſſint particulam aliquam de ipſorum bonis

 tri-

§. I. (1) V. gr. in Civitatibus bello acquiſitis; Vid. *præced.* *C. X.* §. 2.

§. II. (1) Fluit hoc ex *pacto ſecundo*, de quo præced. *C. VI.* §. 9. Et *expedit ſanè Reipublicæ, ne quis re ſua malè*, vel in detrimentum Civitatis *utatur*. §. 7. *Inſt. de his, qui ſui vel al. jur.*

(2) Addi debebat; *adquirendo.*

§. III. (1)

tributi aut *vectigalis* nomine decerpere,(1) Cum enim Civium vita & fortunæ per Civitatem ſint defendendæ, oportet ut hi conferant, unde ſumtus ad eum finem neceſſarii tolerentur. Sic ut valdè impudens ſit, qui defenſione quidem & commoditate Civitatis frui vult, & tamen nihil operæ aut rei ad eandem ſervandam conferre. (2) Etſi hèic meritò prudentes ſeſe Rectores ad querulum vulgi ingenium attemperent, &, ut quàm minimo cum ſenſu iſta corrogari queant, laborent; inprimis æqualitatem obſervando, & modica potius, ac varia, (3) quam grandia ac uniformia exigendo.

§. IV. *Tertium jus* eſt *dominium eminens*,(1) * quod in eo conſiſtit, ut urgente reipubl.

§. III. (1) Confer *præced. C. VI.* §. 7.

(2) Inde rectè illi, qui propter Ordinem alias immunes ſunt, Clerici, Nobiles & alii, nonnunquam extra ordinem, ut conferant, adigi poſſunt, præcipuè quando neceſſitate aliqua Civitas premitur, nec ad ſumtus ferendos cæteri cives ſint pares.

(3) Adeò etiam in odioſis & ingratis aliquando varietas delectat. Audire ſemper eosdem exactionum titulos magna Ruſticis moleſtia eſt, quam nominum varietate aliquatenus levari ſibi perſuadent, dummodo & illa non juſtô longius continuetur.

* Grot. *Lib. I. cap.* 1. & 6. *Lib. II. cap.* 14. §. 7. *Lib. III. cap.* 19. §. 7. Junct. *Lib. III. cap.* 1. §. 15.

§. IV. (1) Dominium Eminens, quod primus, ni fallor, eo Nomine inſignivit H. Grotius (quem vide *L. I. c.* 1. §. 6. *C. II.* §. 6. *L. III. c.* 19. §. 7. *C. XX.* §. 7. & aliis plurimis in locis) apud multos malè audit, & ipſi, quod miror,

publ. neceſſitate bona ſubditi cujuſpiam, quibus præſens tempus maximè opus habet, ad uſus publicos arripi & adplicari queant; licet iſta longe ſuperent ratam partem, quam is ad ſumtus Reipublicæ conferre tenebatur. Ob quam tamen rationem iſti Civi, quod excedit, de publico, aut ex collatione cæterorum Civium, quantum ejus fieri poteſt, refundi (3) debet.

§. V. Præter hæc tria jura in multis Civitatibus dantur peculiaria *bona publica*, quæ *patrimonium Reipublicæ aut Regni* ſolent appellari. Quod alicubi iterum diſtin-

 guitur

miror, Zieglero *licentioris Politicæ commentum videtur. Not. ad Grot. L. II. c.* 3. §. 4. *p.* 244. ſed ſanè citra cauſam; dum *Neceſſitas*, quâ dominium iſtud obtinet, *Jus extraordinarium* largitur; quod, dum omnibus patet, quî ſolis ſummis Imperantibus poterit negari? Repetantur dicta de *Natura neceſſitatis ad L. I. c.* 5. §.23. *ſeqq.* & conf. Albericus Gentilis, *de Poteſtate Regis abſolutâ*, in *Præfat.* Meieri, *b.* 3. ubi dominium eminens defenditur.

(2) Conf. *L. I. c.* 5. §. 29.

(3) Sed de hoc dubitari poſſet, quia Summus Imperans id facit ex *Dominio*: quæ verò vi dominii ſumuntur, illorum refuſio exigi de jure non poteſt. Enimverò eſt luſus in voce dominii, quod hoc loco non ſtrictè accipitur; ſed quamcunque poteſtatem ſummi Imperii extraordinariam denotat. Neque dicitur, quod ipſe ſupereminens Dominus refundere debeat, ſed, quod æquum ſit, id fieri ex reditibus publicis, vel ex collatione cæterorum Civium, quorum conſenſu præſumto ubi damnum ex neceſſitate læſo datum; ita eodem quoque par fuerit, ut id ipſum reparetur.

§. V. (1)

guitur in ***patrimonium Principatus***, (1) & ***Reipublicæ***, (2) ſeu in fiſcum & ærarium. Quorum prius deſtinatum eſt ad ſuſtentationem Regis ejusque familiæ: poſterius ad publicas utilitates regni. Circa prius Rex habet uſumfructum, (3) & de fructibus inde provenientibus pro ſuo arbitrio diſponere poteſt. Circa poſterius autem adminiſtratoris munus obit, idemque uſibus, quibus deſtinatum eſt, adplicare debet. Neutrum, niſi conſenſu populi, alienare poteſt. (4)

§. VI. Multò minus autem, qui Regnum non habet in patrimonio totum Regnum, aut ejus partem, *alienare* poteſt, niſi accedat conſenſus populi; & poſteriore caſu, etiam peculiariter conſenſus partis alienandæ. (1) Sicuti nec vice verſa membrum aliquod à Civitate invita ſeſe abrumpere poteſt, (2) niſi per vim externorum hoſtium in eam ſit reda-

§. V. (1) Aliàs Bona dominica, die Cron-Güter/Cammer-Güter.

(2) Alicubi die Land-Caſſe.

(3) Scilicet in Regno *uſufructuario*: de *Patrimoniali* vix commodè ita loqui licet.

(4) Concedo, ſi eâ lege Regnum accepit. Aſt ubi ſuum ipſe ſibi fecerit populum Rex, & abſolutè regnet, quin ex reditibus prioris generis alienare poſſit, ecquis dubitaverit?

§. VI. (1) Eſſet enim contra pactum *primum*, ſi pars major populi vellet alienare minorem, ſine hujus conſenſu, & contra pactum *ſecundum*, ſi Rex vel ſummus Imperans, quos tueri promiſerat, eos à reliquis vellet avellere?

(2) Eſſet enim hoc utrique pacto contrarium. Conf. *præced. C. VI.* §. 9.

(3) Indè

redactum conditionem, ut aliter nullô modô ſalvum eſſe queat. (3)

(3) Indè excuſandi ſunt, & pro rebellibus neutiquam habendi, qui tempore belli vi majori cedere, & hoſti ſe ſubmittere coguntur.

CAPUT XVI.

DE

BELLO ET PACE.

§. 1. Belli ſtatus eſt homini extraordinarius.
2. Quæ ſint juſtæ belli cauſæ, & bellum quotuplex?
3. Amicis modis tentandum, ut bellum evitetur.
4. Injuſti belli cauſæ.
5. Modus in bello agendi.
6. Quid in hoſtem liceat?
7. Alia belli diviſio in ſolenne & minus ſolenne.
8. Jus Belli cui competat?
9. Quatenus injuria Civis præbeat cauſam belli contra Civitatem.
10. De æquitate repreſſaliarum.
11. Pro quibus bellum recte ſuſcipiatur.
12. De licentia bellica.
13. De Acquiſitione bellica rerum.
14. De Acquiſitione bellica Imperii.
15. Quid ſint induciæ.
16. Quotuplices ſint.
17. Finis belli eſt pax.

§. I.

QUanquam id Legi Naturali maximè ſit conveniens, ut homines pacem invicem agitent, ultrò ea præſtando, quæ debebant; imò pax ipſa ſit Status homini, quatenus à brutis diſtin-

 guitur,

guitur, peculiaris: (1) aliquando tamen ipſi quoque homini bellum fit licitum, (2) & quandoque neceſſarium, (3) quando nempè per alterius malitiam noſtra ſervare, aut jure noſtro potiri citra vim adhibitam nequimus. In

§. I. (1) Statum hominis naturalem & ordinarium eſſe *pacis*, aliquoties contra Hobbeſium, in præcedentibus fuit oſtenſum. Conf. *L. II. c.* 1. §. 3. *&* 11.

(2) Eſt enim jus belli *Jus pro facultate* acceptum, non regulariter *pro lege*; de quâ diſtinctione Grotius, *J. B. & P. L. I. c.* 1. §. 4. *&* 9. Id eſt, juſtè poſſunt homines bella gerere, ſed non tenentur regulariter. Quæ ſint Juris hujus ſeu facultatis fundamenta, videri poteſt ex iis, quæ ſupra, *L. I. c.* 5. §. 11. pro juſtitiâ *belli privati* adducta fuerunt. Ut igitur dubium non eſt, quin homines, quà homines, licite poſſint bella gerere: ita non æque expeditum eſt: *an Chriſtianis etiam eadem licentia data*, an verò propter verba Chriſti, *Matth. V*, 38. *ſeqq.* & rationes alias ipſis ademta. Diſtinguendum puto, inter Chriſtianos *in Statu & in ampliatione tales*. Affirmo de poſterioribus, de prioribus quæſtio fruſtranea eſt, cum *in Statu puri Chriſtianiſmi*, id eſt, *in Regno Chriſti*, nec litibus, nec armis, nec cædibus: verbo: bello non ſit locus. Conf. Grotius, *L. I. c.* 2. §. 8. *n.* 1. *ſeqq.* qui etiam alibi diſtinguit inter actiones, quæ Chriſtianorum ſunt, quà ut tales ſpectantur; & quas communes cum aliis hominibus Chriſtiani certis eventibus communes habere poſſunt. *L. I. c.* 2. §. 8. *n.* 14. Hanc diſtinctionem ſuperioribus annis, dum *de Habitu Juris Naturalis ad Religionem Chriſtianam*, diſputabam; aliquos capere non potuiſſe mirum eſt.

(3) Fuit hoc neceſſitas, quæ tantum valet, ut etiam aliquando id, quod alias tantum licitum eſt, in obligationem convertere poſſit. Vide dicta de Jure Neceſſitatis, *L. I. c.* 5. §. 23. *& ibi Not.*

* Grot.

In quo ipſo tamen prudentia & humanitas ſuadet, ut ne ad arma eamus, ubi ex injuriarum noſtrarum perſecutione plus mali in nos noſtrosque quam boni ſit redundaturum. *

§. II. *Juſtæ cauſæ*, (1) ob quas bellum ſuſcipi poſſit, huc redeunt, ut nos & noſtra ſervemus ac tueamur contra injuſtam aliorum invaſionem; aut ut, quæ nobis debita ab aliis exhiberi renuuntur, afferamus, aut injuriæ jam illatæ reparationem & cautionem impoſterum obtineamus. Ob priorem cauſam quod geritur, *bellum defenſivum*; quod ob poſteriores, *offenſivum* dicitur. * (2)

§. III. Neque tamen confeſtim, ubi quis ſeſe læſum arbitratur, ad arma eſt decurrendum, (1) inprimis ubi adhuc dubii aliquid circa jus aut factum occurrit, * (2) ſed tentandum, num *amica via* res poſſit componi: puta, colloquio inter partes inſtituto, provocatio-

* Grot. *Lib. I. cap.* 2.

§. II. (1) *Juſtifices* vocat Grotius *L. II. c.* 1. & de hoc agit usque ad ejusdem Libri *c.* 22.

* Grot. *L. II. c.* 1. *ſeqq. ad L. II. c.* 23. *excluſ.*

(2) *Punitivum* Grotii nullum eſt, de quo *Lib. II. cap.* 20. §. 38. 40. agit.

§. III. (1) Conf. *L. I. c.* 5. §. 12.

* Grot. *L. II. c.* 23. & 24.

(2) Legendus hic Grotius, *L. II. c.* 23. §. 6. *ſeqq.*

(2) Ea

catione ad arbitros facta, aut re ſorti commiſſâ. Præcipuè autem hæc via tentanda illi, qui petit; (3) quippè cum poſſeſſionem cum aliquo titulo favor utique comitetur. *

§. IV. *Injuſtæ* porrò bellorum *cauſæ* vel *apertè* tales ſunt, vel *colorem* * aliquem licet dilutum admittunt. (1) Illæ ad duo potiſſimum capita referuntur, avaritiam & ambitionem, ſeu, habendi & dominandi libidinem. Hæ variæ ſunt, puta, metus ex opibus & potentia vicini, (2) utilitas jure deſtituta, amor ſedes meliores parandi, (3) denegatio eorum, quæ ex ſimplici aliqua virtute debe-

(3) Eſt enim in dubio ſemper melior Conditio poſſidentis, utpote qui in ſuâ poſſeſſione ſecurus expectat, quid alii velint. Is ergò, qui petit & agit, omnia benè perpendat, &, vel maximè viam amicabilis compoſitionis ſedulò tentet, antequam ad conflictum procedatur. Eſt enim fortuna belli anceps valdè, & volubilis ambiguis paſſibus ambulat.

* Grot. *L. II. c.* 23. §. 12.

* Grot. *Loc. cit. cap.* 24. §. 4.

§. IV. (1) *Quaſi Juſtificas* ſeu *ſuaſorias* vocat Grotius *L. II. c.* 22. §. 4.

(2) Vid. *L. I. c.* 5. §. 15. *p.* 96.

(3) Ita veteribus Germanis bellandi cauſam fuiſſe, ut paludibus & ſolitudinibus relictis ſolum fœcundius poſſideatur, ex C. Tacit. *Hiſtor. L. IV.* 63. refert Grotius *Lib. II. cap.* 22. 8.

(4) Ex. gr.

debebantur, (4) ſtoliditas poſſeſſoris, (5) cupido extinguendi jus alterius legitimè quæſitum, quod nobis paulo moleſtius videtur, & ſimilia. *

§. V. Etſi autem *modus agendi in bello* maximè proprius ſit vis & terror: non minus tamen adverſus hoſtem fraude ac dolo uti licet, modo fides data non lædatur. Inde hoſtem licet decipere ſermone aſſertivo, ſeu per fictas narrationes, nequaquam autem per promiſſa aut pacta. (1) *

§. VI. Circa vim, quæ in bello adhibetur adverſus hoſtem ejusque res, diſtinguendum eſt inter id, *quod hoſtis ſine injuria pati poteſt, & quod ipſi ſalva humanitate non inferre poſſumus.* (1) Qui enim hoſtem

(4) Ex. gr. Denegatio matrimonii non eſt juſta belli cauſa, quia ad humanitatem refertur, filiam ſuam alicui in thorum concedere.

(5) Hoc prætextu uſu ſunt quondam Hiſpani; dum populos Americanos tanquam naturâ ſervos magna cum crudelitate ſibi ſubjecerunt. Cauſam hanc inter alios tuitus eſt Sepulveda, Libro de juſtis belli cauſis, qui quidem intercidit, ſed habetur ejus *Apologia*, in Opp. Sepulvedæ, *p.* 423.

* Grot. *Loc. cit. c.* 1. §. 17. *c.* 22. §. 5.

§. V. (1) In iis enim, quibus fidem damus, hoſtilitati renunciamus. Debet ergo dolus eſſe talis, qui perfidiâ caret, ut Grotius loquitur, *L. III. c.* 5. §. 4.

* Grot. *Lib. III c.* 1. §. 6. *ſeqq.*

§. VI. (1) Ab uno ad alterum non valet conſequentia, quod illuſtrari poteſt exemplo banniti: cujus occidendi poteſtas cunctis

ſtem ſeſe mihi declaravit, cum in hoc ipſo ſit profeſſio extrema mala mihi intentandi, eô ipſô quoque, quantum in ſe, mihi indulget facultatem adverſus ſe in infinitum. Humanitas tamen jubet, (2) ut, quantum armorum impetus patitur, non plus mali hoſti inferamus, (3) quam defenſio aut juris noſtri vindicatio, & inpoſterum ſecuritas requirit. *

§. VII. Solet bellum dividi in *ſolenne & minus ſolenne.* Ad illud requiritur tùm ut geratur autore utrinque eo, qui Summum habet Imperium; tùm ut præceſſerit indictio. (1) Minus ſolenne eſt, quod denunciatum

cunctis data, wenn er Vogel-frey gemacht worden. Sanè occiſus talis non patitur injuriam, ſed non facilè vir gravis & honeſtus ſanguine ejus ſuas manus maculaverit, quia ſalvâ humanitate & illæſa non poſſe fieri arbitrabitur. Euripid. *in Electrâ: juſta quidem illa patitur, tu verò non facis.*

(2) In bello enim licet non ſimus amici, manemus tamen homines; ergò rigor bellicus humanitate temperandus.

(3) Bellum gerimus propter pacem; cum ergò pax ſit belli finis; obligamur etiam, ut actus bellicos ita temperemus, quò ſpes finis iſtius maturetur, non ut proteletur, aut extinguatur prorſus.

* Grot. *Lib. III. c. 4. §. 2. c. 11. 12. ſeqq.*

§. VII. (1) Sed hoc potius à conſuetudine & moribus Gentium eſt, quam à Jure Naturali. Cum Indictione non confundendum *Manifeſtum*, ceu vulgò dicunt, ſive diploma illud, in quô belli cauſæ exponuntur, itidem à conſuetudine Gentium ortum trahens, nec abſolutè neceſſarium, ſæpè plus colorum, quàm veri in ſe continens.

* Grot.

tum non eſt, aut quod in privatos geritur. Quo etiam pertinent bella Civilia. *

§. IIX. *Jus bellum movendi* in Civitate uti eſt penes eum, qui Summum habet Imperium: ita iſtud uſurpare citra delegatam ab illo facultatem, ſupra menſuram Magiſtratus eſt, (1) etiam ubi hic conjicit, Summæ Poteſtati, ſi conſuleretur, placiturum heic & nunc bellum geri. Etſi omnibus, qui alicui provinciæ aut loco munito cum copiis militaribus præficiuntur, ex fine muneris ſui id quoque injunctum intelligatur, ingruentem hoſtem quovis modo à locis ſibi commiſſis repellere: ut tamen non temerè bellum in ditionem hoſtilem transferant. (2)*

§. IX. Cæterum uti, qui in naturali libertate vivit, ob injurias tantum abs ſe patratas bello poteſt peti: ita in Civitate ſæpè bello *invaditur Rector Civitatis* aut *tota Civitas*, etſi iſte autor injuriæ non fuerit. Sed ut rectè hoc fiat, neceſſum eſt, ut injuria iſta aliquô modô

* Grot. *Lib. I. cap.* 3. §. 4.

§. IIX. (1) Non competit vi Jurisdictionis, uti Grotius vult. *L. I. c.* 3. §. 1. Requiritur igitur ſemper ſpeciale mandatum à ſummo Imperante, etiam ipſis ſummis belli ducibus. Vid. *l.* 3. *ff. ad L. Jul. Majeſtat.*

(2) Hoc enim non permittit ratio poteſtatis prioris, quæ erat ingruens periculum avertere.

* Grot. *Lib. I. c.* 3. §. 1.

§. IX. (1)

modô in illum tranſierit. (1) Ac Rectores quidem Civitatum ex injuriis per antiquos Cives, aut qui recens ad eos confugiunt, patratis participant, ſi *paſſi* fuerint, eas patrari, aut ſi *receptum* præſtent. (2) Ut *patientia* ſit *culpabilis*, requiritur, ut quis & *ſciat* delinqui, & *poſſit* prohibere. (3) *Sciri* autem à Rectore Civitatis præſumuntur, quæ à Civibus apertè & frequenter fiunt. (4) *Facultas prohibendi* ſemper præſumitur, (5) niſi ejus defectus manifeſtè probetur. Ut tamen, qui noxium ad ſe confugientem *pœnæ duntaxat declinandæ cauſa recipit* & protegit, bello peti poſſit, id magis ex peculiari pacto inter vicinos & ſocios, quam communi aliqua obligatione provenit, (6) niſi iſte profugus apud nos hoſtilia in eam Civitatem, quam deſeruit, machinetur.

§. X.

§. IX. (1) Id eſt: ut ipſi quoad injuriam aliquid imputari poſſit.

(2) Ex. gr. Si à piratis divexari vicinos non hoſtes Reſpublica aliqua patitur; unde ſæpius bella graviſſima.

(3) Grót. *L. II. c.* 21. *§.* 2. *n.* 2. 3.

(4) V. gr. Si piratæ frequentent portus, & rapinas in Civitate divendant.

(5) Quælibet enim Reſpublica præſumitur idoneas & validas ad finem obtinendum vires habere.

(6) Ita reſpondebant Sueci Danis valdè propterea offenſis, quod Ulefeldium è Dania fuga elapſum ſuſceperunt. Vid. Puſendorf. *Rer. Suecicar. L. XXIII. §.* 43.

§. X. (1)

§. X. Sed & illud inter Gentes receptum,(1) ut pro debito Civitatis proprio, aut quod, juſtitiam requiſitam non adminiſtrando, in ſe derivavit, ſingulorum Civium bona teneantur, hactenus, ut extranei, quibus debetur, iſtis apud ſe deprehenſis manus injicere queant, ita tamen ut Civibus, quibus hoc modo ſua eripiuntur, refuſio ſit procuranda ab illis, qui debitum contraxerunt. Quales executiones ſolent vocari *Repreſſaliæ*, quæ frequenter ſunt bellorum præludia.*

§. XI. Bellum gerere poteſt non ſolum *quilibet pro ſe*, ſed & unus *pro altero*. Quod tamen ut rectè fiat, requiritur in eo, pro quo bellum geritur, juſta cauſa; in auxiliatore autem probabilis ratio, cujus intuitu pro iſto in alium hoſtilia exercere queat. Inter eos autem, pro quibus non ſolùm poſſumus, ſed & debemus, (1) arma ſumere, primò locô ſunt *Subditi* noſtri, non univerſi ſolùm, ſed & ſinguli: modò ex hocce Civitas non evidenter majoribus malis ſit involvenda. Se-

§. X. (1) Et quidem Jure Naturali conſentiente, dum, ex quibus fundamentis ipſum belli jus, ex iisdem etiam jus Repreſſaliarum deducitur. Ad Textus obſtantes ex Canonibus & Legibus reſpondet Ziegler, *de Jur. Majeſtat. L. I.* §. 34. *ſeqq.*

* Grot. *Lib. III. cap.* 2. §. 4.

§. XI. (1) Scilicet *ex Obligatione perfecta.*

quuntur *Socii*, in quorum fœdere id comprehenſum eſt. Qui tamen non modò Civibus noſtris cedunt, ubi ipſi eodem tempore auxilio opus habent; ſed & apud eosdem juſta belli cauſa, & aliqua prudentia in bello ſuſcipiendo, præſupponitur. Hos excipiunt *amici*, etſi peculiariter id ipſis non ſit promiſſum. (2) Denique ubi nulla alia ratio eſt, vel ſola communis cognatio ſufficere poteſt, ut *injuſte oppreſſum*, noſtra auxilia implorantem, quantum commode facere poſſumus, defenſum eamus.*

§.XII. *Licentia in bello* eousque ſe extendit, ut, quamvis quis cædes patrando, aut res vaſtando atque eripiendo, ultra, quàm humanitas admiſerit, ſit graſſatus, Gentium tamen opinione pro infami & quem honeſti viri adverſari debeant, non habeatur. Niſi quod cultiores Gentes modos quosdam nocendi hoſtibus viles habent; puta, veneno uti, (1) aut alterius Cives

(2) Adeoque his & injuſtè oppreſſis ex *obligatione imperfecta* tenemur.

* Grot. *Lib. II. cap. 25. per tot.*

§. XII. (1) Semper honeſtius habitum fuit & generoſius, aperto Marte, quam clandeſtinis talibus rebus, qualis venenum eſt, pugnare. Illud enim hoſtis, hoc malefici eſt. Vid. *l. 1. C. de Maleſ. & Mathemat.* Cæterum huc ſpectant Notata ad *præced.* §. *VI.*

(2) Ratio

ves militesque in dominorum cædem corrumpere. (2) *

§. XIII. *Res* mobiles in bello tunc demum *captæ* intelliguntur, quando perſecutionem hoſtilem effugerunt: (1) immobiles autem, quando ita à nobis detinentur, ut hoſtem inde arcendi ſit facultas. * Etſi, ut prioris domini Jus ad eas res recuperandas planè extinguatur, neceſſum ſit, ut, per ſubſequens pactum omni prætenſioni renunciaverit. (2) Alias enim vi partum vi licebit iterum eripere. Cæterum uti milites autoritate Civitatis belligerant: ita quæ ipſi hoſtibus eripiunt, proprie Civitati, non ſibi, adquirunt. (3) Etſi paſſim receptum,

(2) Ratio eſt, quia per perfidiam vincere turpe meritò habetur; id verò faciunt, qui domeſticos & milites eò adducunt, ut dominos ſuos contra fidem datam occidant. Idem judicandum de eo, qui alterius milites ad defectionem inducunt.

* Grot. *Lib. III. cap.* 1. *ſeqq. cap.* 4. §. 15. *ſeqq.*

§. XIII. (1) V. gr. quando intra Præſidia & ſtationes ſunt perductæ. Nec obſtat §. 17. *Inſt. de Rer. diviſ.* ubi dicit Imperator: *ea, quæ ex hoſtibus capimus J. G. ſtatim noſtra fiunt.* Nam & hoc cum latitudine aliqua accipiendum docent leges aliæ, v. gr. *l.* 5. §. 1. *l.* 19. §. 15. *ff. de Captiv. & poſtlimin. reverſ.*

* Grot. *Lib. III. cap.* 6.

(2) Sola enim violentia jus facere non poteſt. Vid *L.* 1. *c.* 2. §. 5.

(3) Et in bello ſociali, quæ ſocii res hoſti ab altero ſocio eripiuntur, eas Victor non ſibi ſervat, ſed ſocio reſtituit cum omni cauſa; ad quem & Cives, ex jure poſtliminii rever-

ut mobilia, præſertim quæ non ſunt magni pretii, militibus, qui ceperunt, relinquantur per conniventiam, aut præmii vel quandoque ſtipendii loco; aut ut alliciantur, qui citra neceſſitatem ſanguinem ſuum locare velint. * Quando autem res captæ iterum hoſti eripiuntur, immobiles quidem ad antiquos dominos redeunt; (4) nec minus mobiles debebant, etſi apud pleroſque populos & hæ militibus in prædam concedantur. *

§. XIV. Solet denique *bello adquiri* etiam *Imperium* tàm in ſingulos, quàm in integros populos victos. Quod tamen ut fiat legitimum, & conſcientias ſubjectorum ſtringat; neceſſum eſt, ut Victi victoribus fidem dederint, & hi hoſtilem ſtatum animumque adverſus illos exuerint. (1) *

§. XV. Suſpenduntur actus bellici per *Inducias*, quæ ſunt conventio, per quam ad tempus, *manente* belli *ſtatu*, ac lite, ex

qua

revertuntur. Vid. Grotius, *J. B. G. L. III. c.* 9. §. 12. *ſeqq. c.* 16. §. 2.

(4) Scilicet jure poſtliminii, id quod & Leges Romanæ admittunt, *l.* 20. *ff. de Captiv. & de poſtlimin. l.* 12. *C. de poſtlimin. reverſ.*

* Grot. *Lib. III. cap.* 9. §. 13. *ſeqq.*

§. XIV. (1) Vid. præced. *c.* 10. §. 2. Add. Grotius, *L. III. cap.* 8.

* Grot. *cap.* 7. *integr.* junge *cap.* 15.

§. XV. (1)

qua bellum fuit ortum, *bellicis actibus* offenſivis eſt abſtinendum; quibus elapſis, ni interea pax coiverit, citra novam indictionem ad hoſtilitatem reditur. (1)

§. XVI. Poſſunt autem *Induciæ dividi* in eas, quæ ineuntur ſubſiſtentibus in expeditione exercitibus, retentoque utrinque bellico adparatu; quæ ad modicum fere tempus ſumuntur: & in eas, quibus adparatus bellicus utrinque diſſolvitur. Hæ in ſatis longum tempus iniri poſſunt & ſolent, & plenæ pacis faciem gerunt, ac aliquando etiam pacis vocabulo inſigniuntur cum adjectione certi temporis. Nam aliàs regulariter omnis pax æterna eſt, ſeu in perpetuum extinguit controverſias, ob quas bellum conflatum erat. Quæ autem ſolent vocari *Induciæ tacitæ*, nullam continent obligationem, ſed partes ibi pro lubitu utrinque quieſcunt, & ad actus bellicos, quandocunque placitum fuerit, procurrere iterum poſſunt. *

§. XVII. Penitus autem tollitur bellum, ſancita per Summos utrinque Imperantes *pace*; cujus leges & conditiones definire uti eſt penes paciſcentes; ita illæ fideliter

§. XV. (1) Vid. Grotius, *Lib. III. c. 21. §. 3. ſeqq.*
* Grot. *Lib. III. cap. 21. §. 1. ſeqq.*

& convento tempore exſecutioni dandæ & ſervandæ ſunt. In cujus rei firmitatem non modò jus jurandum ſolet interponi, & obſides dari; ſed & ſæpè alii, inprimis qui paci conciliandæ interveniunt, ejus obſervationem præſtandam recipiunt, auxilio promiſſo ei, qui contra leges pacis ab altero læſus fuerit, *

* Grot. *Lib. III. cap.* 20. §. 2. *ſeqq.*

CAPUT XVII.

DE

FOEDERIBUS.

§. 1. Fœderum diviſio in humanitatis,
2. *Communia*,
3. Et *ſingularia* neceſſitatis, quæ ſunt vel *æqualia*,
4. Vel *inæqualia*.
5. Horum quædam faciunt Confœderatum inferiorem.
6. Cauſæ pangendorum fœderum.
7. Alia diviſio Fœderum in *realia & perſonalia*.
8. Quid Sponſiones?

§. I.

BElli juxta ac pacis temporibus inſerviunt *Fœdera*, ſeu pacta inter Summos utrinque Imperantes inita. * Iſthæc

* Grot. *Lib. II. cap.* 15. *per tot.*

§. I. (1)

Iſthæc *intuitu materiæ poſſunt dividi* in ea, *quæ conſtituunt de aliquo Officio* invicem præſtando, *quod jam antea Lege Naturali præcipiebatur* : & *quæ Officiis Legis Naturalis aliquid ſuperaddunt*, aut ſaltem eadem, ubi indefinita videntur, ad certi quid determinant. (1)

§. II. Ad *priorem claſſem* referuntur fœdera, quibus de ſimplici duntaxat humanitate exercenda, aut noxa non inferenda, convenitur. Quo pertinenr & ea, quibus ſimplex duntaxat amicitia citra peculiarem præſtationem ſancitur : aut quibus jus hoſpitii aut commerciorum, quatenus id Naturali Legi debetur, ſtabilitur.

§. III. *Poſterioris claſſis* Fœdera (1) ſunt vel *æqualia* vel *inæqualia*. *Illa* ſunt, quæ utrinque eôdem ſe modô habent; ſeu quando non ſolùm æqualia utrinque promittuntur, ſimpliciter aut obſervatâ proportione virium ; ſed & æquali modô, ita ut neutra pars præ altera ſit deterioris conditionis, aut alteri obnoxia.

§. IV. *Inæqualia ſunt*, quando vel inæquales præſtationes invicem exhibentur; vel

§. I. (1) Conferri hic poreſt. *L. I. c.* 9. §. 2. &, quæ de uſu *pactorum in genere* ibi dicta fuerunt, ſuo modo ad Fœdera adplicari.

§. III. (1) Vide de his Grotium *L. II. c.* 15. §. 6.

* Grot.

vel altera pars eſt deterioris conditionis. Promittuntur autem inæqualia vel *à fœderato digniore*, vel *minus digno*. *Prius* fit, ſi potentior auxilia promittat alteri, nec reſtipuletur, aut ſi majori proportione quàm alter, promittat. *Poſterius* contingit, ſi fœderatus inferior plura teneatur præſtare, quàm ab altero recipit. *

§. V. Eorum, quæ à fœderato inferiore præſtantur, quædam ſunt *conjuncta cum imminutione Summi Imperii*; puta ſi conventum ſit, ne inferior Socius partem aliquam Summi Imperii exerceat, niſi cum conſenſu Superioris. Quædam autem *Summum Imperium non diminuunt*, (1) licet adjunctum habeant aliquod *onus tranſitorium*, (2) ſeu quô ſimul & ſemel licet defungi; putà, ſi ex Fœdere pacis alter teneatur ſtipendium ſolvere alterius militibus, belli ſumtus reſtituere, certam ſummam pecuniæ ſolvere, mœnia diruere, obſides dare, naves, arma tradere. Imò nec quævis *perpetua onera* Summum Imperium diminuunt. Qualia ſunt: eosdem cum altero amicos & hoſtes habere, ſed non

* Grot. *Lib. I. cap.* 3. §. 21.

§. V. (1) Grot. *L. I. c.* 3. §. 21. *ſeqq.*

(2) Actum tranſeuntem vocat Grotius *Lib. I. cap.* 3. §. 21. *num.* 1.

(3) Phra-

non reciprocè; ne liceat certis locis munitiones extruere; ne ad certa loca navigare &c. Item, ſi unus Sociorum alterius Socii Majeſtatem comiter teneatur colere, (3) ſeu reverentiam quandam ipſi exhibere, & ſeſe ad ejusdem placitum modeſtè attemperare. (4)

§. VI. Cæterùm Fœdera tam æqualia quam inæqualia varias ob cauſas ſolent contrahi: inter quas arctiſſimam Fœderum ſpeciem producunt, quæ ad conjunctionem aliquam perpetuam plurium Civitatum ſpectant. (1) Frequentiſſima autem ſunt, quæ ad auxilia in bello defenſivo aut offenſivo præſtanda, aut ad commercia regenda, pertinent.

§. VII. Celebris quoque eſt diviſio Fœderum in *realia & perſonalia*. Quorum hæc ſunt, quæ cum *Rege* intuitu perſonæ

(3) Phraſis hæc in formulis Fœderum Romanorum ſubindè occurrebat, quamvis apud Ciceronem potius habeatur: *Comiter Majeſtatem conſervare*, qui ita explicat, quod *Comiter* ſignificet *benignè, non gravatè. Orat. pro L. Cornel. Balbo. c.* 16.

(4) Ad hæc onera etiam referendum, ſi quando ſocius alteri Socio Jus Protectionis ſeu Advocatiæ concedit, quod ſine jacturâ Majeſtatis fieri poteſt. Ut enim patrocinium privatum non tollit libertatem perſonalem; ita patrocinium hoc publicum non tollit libertatem civilem. Grot. *L. I. c.* 3. §. 21.

§. VI. (1) Quæ de ejusmodi Syſtematibus dicta fuerunt. Vid. *præced. Cap. IIX.* §. 15.

ipſius ineuntur, eoque defuncto ſimul expirant. Illa verò ſunt, quæ non tàm ipſius regis, populive Rectorum, ut talium, quàm Reipublicæ & regni intuitu contrahuntur, ac perdùrant, iſtis licet mortuis, qui eorundem autores fuerant. (1)

§. IIX. Conjunctæ Fœderibus ſunt *Sponſiones*, (1) quæ propriè vocantur iſta pacta, quæ à Miniſtro Summæ Poteſtatis circa negotia ad eandem ſpectantia ſine ipſius mandato ineuntur. Quibus uti Summus Imperans non tenetur, niſi poſtquam eadem rata habuerit: ita ſi Miniſter easdem abſolute contraxerit, & ratihabitio ſecutà non fuerit, ipſe viderit, quomodo ſatisfaciat illis, qui ejus fidem ſecuti inanibus pactis decepti ſunt.

§. VII. (1) De hac diviſione conſulatur Grotius, *L. II. c.* 16. §. 16. *ſeqq.*

§. IIX. (1) Differunt tamen cauſa efficiente, & effectu imprimis, uti Dn. Thomaſius monuit, Diſſert. *de Sponſione Romanorum Caudinâ.* §. *LI. ſeqq.* Apud Romanos duæ ejusmodi ſponſiones præ cæteris celebres fuere, dicta *Caudina* & *Numantina.* Utramque doctis diſſertationibus illuſtravit laudatus Thomaſius.

CAPUT

CAPUT XVIII.

DE

OFFICIIS CIVIUM.

§. 1. Officia Civium ſunt duplicia.
2. *Generalia.*
3. Erga Rectores Civitatis & ſtatum;
4. Erga totam Civitatem;
5. Erga Concives.
6. *Specialia.*
7. Quatenus ſe exerunt in Conſiliis ferendis.
8. In Sacris obeundis.
9. In Doctrinis.
10. In Jure dicendo.
11. In Apparatu Bellico curando.
12. Officia Militum in ſpecie.
13. Officia Legatorum.
14 Officia eorum, qui Ærarii curam gerunt.
15. Quouſque durent officia?

§. I.

OFficium Civium eſt vel *generale*, vel *ſpeciale*. Illud oritur ex communi obligatione, quâ iſti Imperio Civili ſunt ſubjecti; hoc vero ex peculiari munere & functione, quæ per Summum Imperium ſingulis eſt injuncta.

§. II. Officium generale Civium reſpicit vel *Rectores Civitatis*, vel *totam Civitatem*, vel *Concives*.

§. III. *Rectoribus Civitatis Civis debet* reverentiam, fidelitatem, & obſequium. Cui conjunctum eſt, ut idem præſenti ſtatu adqui-

quieſcat, neque ad res novandas animum adjiciat, neque alteri cuivis adhæreat magis, eundemve admiretur & veneretur; utque benè & honorificè de iisdem, & eorum actionibus ſentiat, atque loquatur.

§. IV. *Erga totam Civitatem Officium boni Civis* eſt, ut ejus ſalute & incolumitate nihil habeat carius; ut vitam, opes, fortunasque ſuas ad eandem ſervandam libenter offerat: ut ad eandem illuſtrandam, ejusque commoda promovenda, omnes ingenii & induſtriæ nervos intendat.

§. V. *Erga Concives Civis Officium* eſt, amicè & pacificè cum illis vivere, commodum ſeſe ac facilem præbere, nec moroſitate aut pervicacia ſua turbas dare, cæterorum commodis non invidere, aut eadem intervertere.

§. VI. *Specialia Officia* vel per univerſam ſeſe Rempublicam velut diffundunt, vel circa certam duntaxat partem occupantur. Circa quæ omnia hoc generale præceptum habetur: *ne quis ullum Officium in Republica affectet aut ſuſcipiat, ad quod ſeſe ineptum deprehendit.*

§. VII. Qui *Conſilio* ſuo Rectoribus Civitatum adſiſtunt, in omnes Reipublicæ partes aciem mentis convertant; quæ ex uſu Republi-

publicæ videbuntur eſſe, dextrè & fideliter, citra affectus ac pravos reſpectus, exponant; ſalutem Reipublicæ in omnibus conſiliis pro ſcopo habeant, non proprias opes, aut potentiam: pravis affectibus principum adulando non velificentur; factionibus & contentionibus illicitis abſtineant; nihil, quod taceri oportet, eliminent; exterorum corruptionibus impenetrabiles ſeſe præbeant; privatis ſuis negotiis aut voluptatibus publica negotia non poſthabeant.

§. VIII. Qui publicè conſtituti ſunt ad *Sacra obeunda*, in iisdem gravitatem & attentionem adhibeant, vera de cultu Numinis dogmata proponant, eorum, quæ ipſi docent, populo ſeſe conſpicuum exemplar exhibeant, nec pravitate morum muneri ſuo dignationem, doctrinæ pondus detrahant.

§. IX. Queis publicè injunctum, variarum *Scientia* rerum animos Civium imbuere, nihil falſi aut pernicioſi doceant: vera autem ita tradant, ut auditores iis aſſentiantur, non tàm adſuetudine audiendi, quàm quia ſolidas eorundem rationes perſpexerunt, omnia dogmata ad Societatem Civilem turbandam directa fugiant; *omnem ſcientiam humanam inanem habeant, ex qua nulla*

nulla in vitam humanam & civilem utilitas redundat.

§. X. Qui *Juri dicundo* præficiuntur, quibusvis facilem acceſſum præbeant, plebem ab oppreſſionibus potentiorum protegant; jus æque pauperi & humili, quàm potenti & gratioſo dicant, lites ultra neceſſitatem non extrahant; à corruptelis abſtineant; in cognoſcendis cauſis diligentiam adhibeant, omnesque affectus, ſinceritatem judicii corrumpentes, ſeponant; rectè faciendo neminem timeant.

§. XI. Quibus Armorum cura commiſſa, militem diligenter & tempeſtivè exerceant, & ad tolerandos militiæ labores firment, diſciplinam militarem ſartam tectamque habeant, milites hoſti jugulandos temerè non objiciant; annonam & ſtipendium, quantum in ſe, promtè procurent; nec de eo quidquam intervertant; milites ſemper, ut Reipublicæ faveant, curent, nec unquam eos ſibi adverſus Rempublicam concilient.

§. XII. *Milites* contra ſtipendiis ſuis contenti ſint; ab expilandis & vexandis paganis abſtineant; labores pro tuenda Republica libenter & ſtrenuè obeant; pericula per temeritatem non arceſſant, per ignaviam non defugiant; fortitudinem in hoſtem, non in

com-

commilitones oſtentent; ſtationem aſſignatam maſcule defendant, honeſtam mortem turpi fugæ & vitæ præferant.

§. XIII. *Quorum opera Civitas apud exteros utitur*, cauti ſint & circumſpecti, inania à ſolidis, vera à fabuloſis, diſcernere callidi; ſecretorum tenaciſſimi; pro utilitate ſuæ Civitatis adverſus quaslibet corruptiones obſtinati.

§. XIV. Qui *opibus Civitatis colligendis* aut diſpenſandis præſunt, caveant, ab omni non neceſſaria acerbitate, nec ob proprium quæſtum, aut per petulantiam vel malignitatem animi, oneris quid adjiciant; publici nihil intervertant; quibus de publico quid ſolvendum, illis citra moras non neceſſarias ſatisfaciant.

§. XV. Durat autem Civium *ſpeciale Officium*, quamdiu in ea functione ex qua illud profluit, ſunt conſtituti: quâ ubi abeunt, & illud expirat. *Generale* itidem durat, quam diu Cives ſunt. (1) Cives autem eſſe deſi-

§. XV. (1) Hoc utique rectè, & quidem vi utriusque pactorum, de quibus aliquoties in præcedentibus locuti ſumus. Malè ergò, qui noſtra hac ætate in Palatinatu præſertim & alibi;

—— diffugiunt, cadis
Cum fece ſiccatis,
Ferre jugum pariter doloſi.

Ut

deſinunt, vel ſi conſenſu expreſſo aut tacito Civitatis diſcedant, & alibi ſedem fortunarũ figant: vel ſi ob delictum in exilium ejiciantur, & jure Civitatis priventur: vel ſi hoſticâ vi oppreſſi in victoris ditionem concedere adigantur.

Ut illa Horatii huc traham, ex *L. I. Od.* 35. 26. *ſeqq.* Ruſticos intelligo, qui, Laribus relictis, & inſalutatis Dominis, etiam gregatim diſcedunt, & *Carolinam* petunt, ubi aurea, qualia Saturni finguntur, ſecula ſperant, expectant, ſomniant. Conf. Grot. *L. II. c.* 5. §. 24.

SOLI DEO GLORIA.

INDEX

INDEX I.
CAPITUM,
LIBRI PRIMI.

CAPUT I. De actione Humana.
Cap. II. De Norma actionum Humanarum, ſeu, de lege in genere.
Cap. III. De lege naturali.
Cap. IV. De Officio hominis erga DEUM, ſeu, de Religione naturali.
Cap. V. De Officio hominis erga ſeipſum.
Cap. VI. De Officio quorumlibet erga quoslibet; & primo, *de non Lædendis aliis*.
Cap. VII. De Officio quorumlibet erga quoslibet, & quidem ſecundo: *De agnoſcenda naturali hominum æqualitate*.
Cap. VIII. De Officio quorumlibet erga quoslibet, & quidem, *de promiſcuis Officiis humanitatis*.
Cap. IX. De Officio Paciſcentium in genere.
Cap. X. De Officio Sermocinantium.
Cap. XI. De Officio Jurantium.
Cap. XII. De Officio circa adquirendum rerum Dominium.
Cap. XIII. De Officiis, quæ ex Dominio rerum per ſe reſultant, & b. f. poſſeſſione.
Cap. XIV. De Pretio.

Cap. XV. De Contractibus, qui pretia rerum præſupponunt, & fluentibus inde Officiis.
Cap. XVI. Quibus modis ſolvantur obligationes, quæ ex Pactis oriuntur.
Cap. XVII. De Interpretatione.

LIBRI SECUNDI.

CAPUT I. De ſtatu hominum naturali.
Cap. II. De Officiis Conjugalibus.
Cap. III. De Officiis parentum & liberorum.
Cap. IV. De Officiis Dominorum & Servorum.
Cap. V. De cauſa impulſiva conſtituendæ Civitatis.
Cap. VI. De interna Civitatum ſtructura.
Cap. VII. De partibus ſummi Imperii.
Cap. VIII. De Formis Rerumpublicarum.
Cap. IX. De affectionibus Imperii civilis.
Cap. X. De modis adquirendi Imperium, inprimis Monarchicum.
Cap. XI. De Officio ſummorum Imperantium.
Cap. XII. De Legibus Civilibus in ſpecie.
Cap. XIII. De Jure vitæ ac necis.
Cap. XIV. De exiſtimatione.
Cap. XV. De Poteſtate ſummi Imperii in bona civitate contenta.
Cap. XVI. De Bello & Pace.
Cap. XVII. De Fœderibus.
Cap. XIIX. De Officiis Civium.

INDEX II.

INDEX II.

RERUM ET VERBORUM.

A.

ACceptilatio. 231
Acceſſiones. 184
Achaicæ Reſpublicæ. 322
Acquiſitio Imperiorum. 333
Acquirendi modi originarii, derivativi. 181
Actio humana quæ, & quotuplex? 2 ſeqq.
Actionum humanarum ſubordinatio. 10 ſeq.
Diviſiones variæ. 19. 41 ſeq.
Actio noxalis. 22
De pauperie. ibid.
Actionem habent LL. naturales à jure Civili 348
Actiones naturâ ſuâ honeſtæ & turpes quo ſenſu dici poſſint? 57
Actiones ob promiſſum ex errore, ex dolo, & metu, ſi leges Civiles tribuunt, id nihil habet iniqui. 145. 147. 151
Actionis bonæ & juſtæ diſcrimen. 42
Addictio in diem. 217
Adoptionum Jura. 276 ſeq.
Adpetitum humanum ſtimulantia. 84
Æqualitas hominum communis. 122
In quibus conſiſtat. 123
In ſtatu naturali viventium. 250. 253

Æqualitas in contractibus oneroſis ſervanda. 211
Æquitas quid? 40
Falſo communiter definitur. ibid. 243
Ærarium. 311. 373
Affectus quid poſſint in moralibus? 16
Circa eos hominis officium. 86
Affirmativa præcepta quomodo obligent? 262
Aggreſſor quandoque legitimam defenſionem habet. 104
Aleam continentes Contractus. 223
Aleæ nihil committendum. 84
Aliena in caſu extremæ neceſſitatis licet eripere. 108
Item perdere. 109
Aliena quatenus imputentur. 21 ſqq. 28 ſq. circa aliena obligatio quatenus procedat? 155
Alienatio Regni quatenus licita? 376
Alimenta debentur liberis naturalibus. 188
Amicabilis compoſitio in Gentium litibus quam maximè tentanda. 256. 379
Amor. 87
Anima mundi DEUS non rectè vocatur. 65
Animæ immortalitatem quatenus gentiles cognoverint? 72
In Animalia jus hominum. 177
Animi cultura quid requirat? 78
Propter ſocialitatem neceſſaria eſt. 129
Antichreſeos pactum. 227
Arbitri quales eſſe debeant? 259
Arbitri in cauſis gentium. 256
Arbitrii rectus uſus præcipuum eſt, unde homo æſtimandus. 83. 127. 366
Artium ſtudia quatenus ad officia hominum ſpectent? 88
Aſſecuratio. 150. 225
Atheiſmus. 64
Societati humanæ pernicioſiſſimus. 75. 79
Auctio. 218
Averſio, emptio per averſionem. ibid.
Autochiria jure Nat. prohibita. 90

Licitam

Licitam eam ſtatuerunt Stoici, cujus doctrinæ veſtigia in LL. Romanis. 90

B.

Belli & pacis jus. 92. 94. 377 ſeqq.
Belli cauſæ. 379
Bellum offenſivum & defenſivum. ibid.
Solenne & minus ſolenne. 382
Bellum gerere an liceat Chriſtianis? 978
Bellica licentia. 381
Bellicæ acquiſitiones. 193. 328
Regnorum. 328. 388
Beneficentia & beneficia. 131
Bona civitatum publica. 375
Bona in civium quale jus Summo Imperanti competat? 374
Bona fides quid? 194
Bonæ fidei poſſeſſio, & quid circa hanc juris? 194. ſeqq.
Bonitas à juſtitia quomodo differat? 42

C.

Cælibatus. 261
Carnium edendarum jus. 177
Carthaginis deletio Romanis pernicioſa. 318
Caſus quid ſit? 22. 83
Caſus ſi puri, non imputantur. 22
Quis præſtet in Emt. vendit. caſum? 153
Caſus rariores quis in locatione conductione præſtet? 219
Cauſarum concurſus. 22. ſeq. 116
Ceſſio, jus ceſſum. 152
Ceſſionis & delegationis diſcrimen. 233
Civis quotuplici ſenſu dicatur? 304
Civis bonus quis? 290
Civium Officia. 395

Civitatis definitio. 302
Ejus voluntas quomodo ſe exſerat? ibid.
Civitatum conſtituendarum cauſæ. 288. 292
Structura interna. 296
Finis. 308
Civitates an conveniant ſtatui integritatis? Præfat. Autor. §. 12. & ibid. Not. 4.
Clauſula cum commiſſoria delata Regna 326
Coactus quæ quis agit, ea non imputantur. 26
Cogitationes non ſunt objectum fori humani. 11
Cognitio ſui ipſius homini neceſſaria. 83
Colliſio Officiorum apparens. 104 ſeqq. 245 ſeq.
Colliſio Officiorum & Jurium. 91. 92. 104
Commercio res quædam exemtæ. 201
Commiſſoriam legem an pignori liceat adjicere? 227
Commodatarius præſtat culpam leviſſimam. 214. ſeq.
An præſtet quoque caſum? ibid.
Commodatum. 213
non niſi finito uſu revocari poteſt. 214. 244
Communio primæva. 109. 177
Quomodo ab ea diſceſſum? 180
Communione in primæva an quædam permanſerint? ibid.
Communio negativa. 177
Poſitiva. 180
Communio mulierum eſt contra jus naturæ. 261
Communis res quæ? 177
quomodo habenda? 125
& quomodo à communione diſcedendum? ibid.
Compenſatio. 230
Concubinatus libidinoſus Juri naturæ adverſus. 261
Concurſus plurium ad unum actum. 116
Conditio promiſſorum & pactorum. 156
tacita ineſt juramentis. 175
Condonatio debiti. 230
Conjecturæ in interpretatione ſenſus ambigui unde petendæ? 236. ſeqq.
Conjugalis ſocietas. 259

Conju-

Conjugum officia 260 ſeqq.
Conſcientia quid, & quotuplex? 5. ſeqq.
Conſcientia cur non ſufficiat reprimendæ hominum malitiæ? 294. ſq.
Conſenſus parentum in nuptiis liberorum cur requiratur? 278
Conſenſus expreſſus, tacitus, præſumtus. 141. ſeqq. 182. 194
Hic quomodo à tacito differat? 142
Conſenſus in pactis neceſſarius 141. ſignis exprimitur, ibid.
Debet eſſe mutuus. 151
Conſequentis jus. 104
Conſiliariorum officia 396
Conſiliis qualis obligatio inſit? 32. 257
Conſilium inſtructorium, monitorium. 30. 116
Conſuetudinis efficacia in moralibus. 16
Contractus Jure Nat. omnes conſenſuales 210
Contractuum & Pactorum differentia 209
Contractus aleam continentes. 223
Contractus alii benefici, alii oneroſi 210
Corporis cultura quid exigat? 88
Correalis obligatio. 116. ſeq.
Culpa. 45. 117. ſeq.
Quomodo præſtetur? 118
Cultus divinus ritualis jure Nat. non neceſſarius 71. 80
Cura bonæ mentis. 79. ſeqq.

D.

Damni variæ acceptiones. 113. ſq.
Quot modis damnum detur 115
& reparetur? 117. ſq.
Damna dividua & individua 117
Defenſio inculpata. 94. 99
Defenſio cruenta ſtare poteſt cum ſocialitate. 103
Defenſionis cruentæ juſtitia 91
Defenſio incruenta quæ? 91. ſqq.

Delegatio 233
Delicta pœnis humanis exempta. 358
Non ſunt omnia æqualia. 360
Delictorum gravitas unde æſtimetur? ib.
Democratiæ gaudent Majeſtate. 315
Demonſtratio à poſteriori eſt vera demonſtratio. 55
Depoſitum. 214
miſerabile, irregulare. 215
Depoſitarius ad quam culpam teneatur? 214
Deus legis Naturalis auctor. 55
Erga eum hominis officia. 62. ſqq.
Providentia ejus mundus regitur. 66
Divinorum attributorum expreſſio. 67. ſqq.
Dei cultum externum an jus Nat. requirat? 71
Diſpenſatio. 41
Differt ab interpretatione reſtrictiva. ib.
Diſſenſu mutuo quatenus tollantur obligationes? 231
Diſſimulatio licita 163
Diviſio rerum quomodo cœperit? 180
Divortii cauſæ. 256
Doctorum publicorum officia. 397
Doctrinæ publicæ ad civitatis bonum comparatæ eſſe debent. 312. 338
Dogmata civitatibus damnoſa. 79. ſeqq.
Dolus in conventionibus interveniens. 147. ſeqq.
Dominium. Ejus Definitio vulgaris correcta. 179
Ex dominio reſultantia officia. 178. 194. ſeq.
Dominium eminens. 374
Dominiorum introductio. 179
eorum indoles. 180
Dominia Juris Nat. etiam nudis pactis ſine traditione acquiruntur. 146. 153. 216
Dominus manet, etiam qui Dominus eſſe non vult. 152
Dominiorum officia. 281
Donandi animus unde colligatur? 229
Donationes quatenus ex conventione procedunt? 141. 151
Dorophagia in judicibus & miniſtris non toleranda. 341
Duella in ſtatu naturali licita & juſta. 94

Privata in civitatibus non habent favorem legitimæ defenſionis. 101

E.

Ebrietas animi morbus. 17
consenſum in pactis & promiſſis impedit. 143
Electitia regna. 329. ſeq.
Electio Pontificis. 303
Emancipatio. 276
Emens b. f. rem alienam an à Domino pretium repetere poſſit. 198
Emtio venditio. 216
In emtione venditione caſum præſtat emtor. 153. 216
Epicurus an divinam providentiam negaverit? 66
Eripere licet alteri res ſuas in caſu extremæ neceſſitatis. 108
Error quid & quotuplex? 7
Juris non excuſat. 24
Regulariter nocet erranti. 99
Conſenſum impedit. 145
Regulæ circa errorem in conventionibus occurentem 145
Ethica quomodo differat à Jure Naturali? Præf. Autor §. 9. & ibi Not.
Eventus rerum dubii. 86
Exhæredatio liberorum. 188
Exiſtimatio ſimplex & intenſiva. 85. 365
Illius integritas homini maximè curanda. 85
Expromiſſor. 226
Exſecutionem quis faciat in ſtatu naturali? 257
Exſequi mandata Principis injuſta quatenus liceat? 350
Extra nos poſita quomodo conſideranda & tractanda? 84. ſeqq.

F.

Facti debitor an præſtando intereſſe liberetur? 229
Fati ſtoici dogma Civitatibus noxium. 79
Favorabile quid? 240
Fictus ſermo omnis non eſt mendacium. 165. ſeqq.

Fidejuſſio, fidejuſſores. 225
Finem circa quomodo voluntas verſetur? 9
Finis Societatum eſt menſura poteſtatis & juris. 273. 302
Firmamenta pactorum & contractuum. 228
Fœderum jus. 390. ſeqq.
Fœdera æqualia & inæqualia. 399
Realia, perſonalia. 401
Fortunam fabricare pro lubitu non poſſumus. 84
Fraudem in legis quæ fieri dicantur. 242
Fructus. In fructibus etiam damnum datur. 114
Fructuum æſtimatio. ib.
Circa fructus à b. & m. f. poſſeſſore perceptos quid juris? 196. ſeqq.
Fugam quandoque intermittere licet. 101
Fungibilia quæ? 220
Furioſi non obligantur. 143
Furtum non facit, qui in caſu neceſſitatis rem alteri eripit. 108.

G.

Gentium jus à Naturali non differt ſpecie. 62
Gentium æqualitas. 123
Gladii jus in ſtatu naturali non habet locum. 274. 284
Gratitudo. 132
Erga viros egregios. 130

H.

Hiſpanorum crudelitas erga populos Indicos. 381
Hobbeſii Philoſophia in Politicis periculoſa. 301
Homo naturâ animal miſerrimum & nocivum. 49. ſeqq. 249. 258
Hominem eſſe quanta dignatio? 123
Homo ſubjectum Juris Naturalis, in hac doctrina non ut integer, ſed ut corruptus concipiendus. Præfat. Aut. §. 4. §. 10. §. 11. & ibid. Not. 3
Honor quid? 69

Quo-

Quomodo circa eum ſe gerere homo debeat? 86.371
Humanitatis officia promiſcuè præſtanda. 129. ſq.
Humilitas generoſitatis comes. 127
Hypotheca. 228

I.

Ignorantia quid & quotuplex? 8
Invincibilis in præceptis Juris Nat. obtendi nequit. 5
Quatenus imputetur? 24
Illicitorum nulla eſt obligatio. 153
Immortalitas animæ an & quatenus gentilibus cognita? 72
Immutabilitas Jur. Nat. 57
Impenſæ rerum & fructuum. 196
Imperantium ſummorum officia. 336
Imperium familiare. 275
Imperii ſummi ſanctimonia. 324
Impoſſibilia non imputantur. 26
Impoſſibilis conditio quid operetur? 156
Imputatio damnorum. 115
Imputationis regulæ. 20. ſq.
Imputativitas actionum humanarum præcipua affectio. 20
Inceſtus an detur lege naturali? 276
Induciæ. 388
Infamia. 375
Ingenii humani diverſitas. 12. ſeqq.
Unde ſit in diſtinctis nationibus? 13
Ingratitudo; ingrati actio non datur. 134. 135. 356
Injuria quid? 45. 113
Quomodo differat ab inhumanitate? 54. 140
Injuriæ verbales, reales. 128
Injuriâ non fit volenti. 154
Injuſtitia, quot modis committatur? 44
Inſtinctus naturales ſimul cum obligatione ſtare poſſunt. 76
Intellectûs definitio. 5
Intellectûs judicium theoreticum & practicum. 5
Intellectûs humani in principiis moralibus cognoſcendis rectitudo. 5. 82

Ad quid in moralibus conducat? 83
Interna cogitata non ſubjecta ſunt Majeſtati civili. 358
Internuncii. 158
Interpretatio quid & quotuplex? 37. 234
Interpretatio juramentorum. 175
Interregnum. 329
Inventio rerum amiſſarum. 198
Invidia. 87
Invita actio. 18
Inviti conſentiunt conſenſu præſumto. 192
Ira. 87
Irregularis eſt omnis Reſpublica, ubi Sacrorum jus non ad Regalia refertur. 313. 344
Irregularis Reipublicæ denominatio non involvit ignominiam. 320
Judicum officia. 341
Judices dorophagos Princeps ferre non debet. ib.
Judiciaria poteſtas. 309
Juramentum quid, & quæ jurantium obligatio? 167. ſeqq.
Accommodandum ad religionem jurantis. 170
Non producit novam obligationem. 171
Dolo metuque exactum. 173
Ex mente deferentis interpretationem accipit. 175
Juramentorum Diviſio. 176
Jus hominum in res & animalia. 176
Jus irregulare. 103. 105
Jus perfectum & imperfectum. 36. 45. 139. ſeq. 150. 379. ſeqq.
Jus vitæ ac necis parentibus in liberos Jur. Nat. non datum. 272
Nec in ſervos. 284
Jus naturæ ambitu hujus vitæ includitur. Præfat Aut. §. 8.
Ad forum humanum adaptatur. ib. & §. ſeqq.
Jus naturale conſtituit peculiarem diſciplinam. Præfat. Autor. §. 4. ſeqq.
Quatenus id leges civiles firment. 346
Jus Nat. ſpecialia non determinat. 27. 144. 191
Jus Nat. ſumitur vel pro lege, vel pro facultate. 57

Jus Naturale eſt vel hominum vel gentium. 61
Juris Nat. habitus ad Jus civile. Præfat. Autor. §. 4.
Ejus diſcrimen in ſtatu integro & corrupto. ib. §. 12
Juris Naturalis diſcrimen ab Ethica. 42. 43
v. Lex naturalis.
Juſtitia, ut Legum effectus, in quibus conſiſtat? 42
Juſtitiæ attributum perſonæ vel actionum. 41. ſq.
Juſtitiæ & bonitatis diſcrimen. 42

L.

Læſio omnis injuſta prohibita. 11. 213
Læſio ultra dimidium. 212
Lætitiæ affectus. 86
Legatorum officia. 407
Legislatoria poteſtas. 313. 346
Lex. Ejus neceſſitas. 31
Definitio. 32
Diſcrimen à conſilio & pacto. 32
Partes. 38
Diviſio. 46
Lex ad caſum, cujus eadem ratio, extendi debet. 243
Legum multitudo an argumentum felicitatis? 339
Legis rationem ut ſciant ſubditi non neceſſarium eſt. 239
Lex commiſſoria. 215. 228
Leges circa bona civium. 382
Leges divinæ poſitivæ univerſales. 47. 270
Leges civiles. 353. ſqq.
earum ultima obligandi ratio. Præf. Aut. §. 4.
ſanctio earum pœnalis. 356
Accommodant actionem LL. naturalibus. 348
& negotiis humanis certam formam adſignant. &c. 349
Lex naturalis definitur. 46
Ejusdem fundamentalis propoſitio. 54
Eſt immutabilis. 57
Quomodo ea dicatur naturâ nota? 58
Et cordibus hominum inſcripta? 59

Non

Non ſufficit coërcendæ hominum malitiæ. 298. 355
Legum naturalium obligationes cur non omnes actionem producant? 348
Legis nat. uſus in omni Juriſprudentia, Præf. Aut. §. 3. & in Not.
Lex poſitiva quid ſit? 44
Liberi qui vocentur? 197
Liberorum debita. 286
Liberos an vendere oppignorareque pater poſſit? 281
Libertas quotuplex? 4
Libertas voluntatis, 9
homini naturaliter aſſerenda. 84
Ejus rectus uſus verum homini dat pretium. 136
Libido vaga juri Nat. repugnat. 263
Licitum quid ſit? 41
Lites ſuper ſucceſſionibus Regnorum ortas quis componere debeat? 334
Litigandi modus inter Gentes. 258
Locatio conductio. 219
Locationis conductionis objecta ſunt res & operæ. 221
Lotaria 226
Ludi, quibus pretio certatur. 225
Luxuria perdit populos. 324
Luxuria hominum auget rerum pretia, 204

M.

Magiſtratus. 317 348
Majeſtas quid? 312
Quomodo à Deo ſit? 305
Majeſtatis jura & partes. 313
Ejus affectiones. 330
Subjectum proprium & commune. 330
Major pars concludit. 303
Mala civitatum neceſſaria. 366
Mandatariorum obligatio. 158. 214
Mandatum, 213
Non admittunt omnia officia. 229

Mariti Jus in bona uxoris. 264
Mater an poteſtatem in prolem habeat? 275
Matrimonium. 262
Matrimonii pacta. 265
An ad tempus contrahi poſſit matrimonium? 265
Contrahere poteſt quilibet cum qualibet. 269
Media circa quomodo homini procedendum? 10
Membrorum defenſio. 101
Membrum abſcindere aliquando licet. 105
Mendacium. 165. ſq.
Mercatorum ſolertiæ aliquid indulgendum. 206
Eorum expenſæ. 207
Metalla ad recipiendum pretium eminens aptiſſima. 208
Metallorum loco aliæ res adhibitæ. 207
Metus. 27
Circa pacta obveniens. 149
Juramenta metu exacta. 172
Militis officia. 362. 407
Miniſtri Principum. 348
Quales eſſe eos deceat? 349
Mixtæ actiones. 19
Mixtæ Reipublicæ non commodè dicuntur, 321
Mixtum ex favorabili & odioſo. 243
Moralis doctrina in ſenſu lato accepta. Præfat. Aut. §. 2. in Not.
In moralibus non omnia ad vivum reſecantur. 100
Moraliſtarum Scholaſticorum vituperium. Præf. Aut. §. 2. in Not.
Moralitatis in actionibus quodnam principium? 56
Morbi rationem impedientes. 18
Morbi Rerumpublicarum. 323
Moroſi eſt periculum. 153. 218
Morte tolluntur obligationes. 234
Motus primi non ſunt in poteſtate hominis. 11
Mutuum. 222.

N.

Nationes diſcrepant moribus. 12.
Natura non eſt Deus. 65

Natura-

Naturaliſtæ qui? 65
Naufragis quid in neceſſitate liceat? 106
Nauticæ leges. 110
Neceſſitatis jus. 92. 104. ſqq. 108. 278. 378
Neceſſitas auget rerum pretia. 203
Neceſsitas quid ſuaſerit circa nummos? 207
Notitia ſui ipſius homini cuivis commendanda. 81
Noxa, noxia, noxalis actio. 114
Noxæ deditio. 119
Nullius res quæ ita dicantur? 180. 183
Nummus ſuſtinet rerum pretia. 206
ejus valorem definiunt ſummi Imperantes. 208
Nuptiarum impedimenta. 266. ſeqq.
Solennia. 268
Nuptiæ fœminarum cum patruele & avunculo prohibitæ. 241

O.

Obligatio quid, & quæ ejus indoles? 32. ſqq.
Perfecta & imperfecta. 36. 114. 139
Quomodo tollatur? 230
Occaſionis requiſita. 25. 84
Occupatio. 192
bellica regni. 328
Oceanus vaſtus eſt in communione primæva. 180
Et extra commercium. 201
Odioſum quid? 240
Odii affectus. 87
Officium quid? 2
Diviſio officiorum juxta Jus Nat. 59
Officiorum humanorum tres fontes. Præfat. Aut. §. 4.
Officia abſoluta quandoque evadunt Hypothetica. 194
Officia hominis erga Deum. 62
Et erga ſeipſum. 76
Erga ſocios *abſoluta*. 111. ſeqq.
Humanitatis promiſcua. 129
Hypothetica. 158. ſeq.
Olla fortunæ. 226
Opes circa quod hominis ſit officium? 85. ſeq.

P.

Pactum quid? 218
Quomodo differat à lege? 32
Pactorum neceſſitas. 137
Fines varii. ibid.
Requiſita. 141
Pacta tacita. 142
Pactorum materia. 152
Pacti & promiſſi gratuiti differentia. 251
Pacta obligatoria, liberatoria. 230
Pactorum & Contractuum differentia. 209
Pacta Contractibus adjecta. 215
Pacta Civitatem conſtituentia. 305
Parentum officia. 273. 283
Patria poteſtas. 273
Quouſque ſe extendat? 272
Patrimonium Principatus & Reipublicæ. 375
Pax. 396
Peculium liberorum regulare & irregulare. 278
Permiſſio quid? 41
Permutatio. 201. 217. 224
Perturbatio animi aliquando excuſat. 100. 108
Phantaſia. 28
Philautia humana. 49. ſeqq. 76. 94.
Colliſa cum ſalute ſocii. 92. 109. 118. 130. 259
Pignorum jura. 227
Pignoribus quatenus legem commiſſoriam liceat adjicere? ibid.
Platonis error circa neceſſitatem precum. 70
Plures ad unum actum concurrentes. 116
Pœnæ. 194. 315. 347. 562. ſeqq.
Earum finis. 116. 364
Pœnis humanis quæ non ſubjaceant? 366
Pœnæ quando exaſperandæ? 242
Pœnæ ut effectum habeant, non requiritur, ut qui eas ſuſtinent, ſint inviti. 363
Politicum animal quo ſenſu homo dicatur? 293
Polygamia. 267.

*P*oſſeſſionis favor. 387
*P*oſſeſſor bonæ fidei ad quid obligetur? 404
*P*oſſibile in mortalibus temperamentum habet. 21. 24. 155
*P*oſſibilitas moralis & phyſica. 152. 157
*P*oteſtas in prolem an etiam matri competat? 278
*P*ræcedentia *P*rincipum & populorum. 380
*P*ræſcriptionis jus. 189. ſeq.
*P*ræſcriptio non currit non volenti agere. 234
*P*retium quid? ejus diviſio in vulgare & eminens. 201. ſeqq.
*P*retium res quædam non recipiunt. 203
Ejus intenſio & remiſſio unde? 204
*P*retium affectionis. 205
*P*retia quis definiat? ibid.
*P*retii pars dies. 207
*P*retium eminens in metallis. 208
*P*rincipes: Eorum ſtudia. 343
*P*rincipum actus publici & privati. 325
*P*rincipum juſſa injuſta quat. liceat exſequi? 358
*P*rincipia actionis humanæ. 1. ſeqq.
*P*rincipium Jur. Nat. cognoſcendi genuinum. 54. ſeq.
*P*rior tempore potior jure. 156
*P*robabiliſmus moralis. 6
*P*romiſſio perfecta & imperfecta. 140
*P*romiſſio facta tertio in præjudicium ejus, qui jus quæſitum habet. 156
*P*romiſſio pura & conditionata. ibid.
*P*romulgatio legum ad obligationem producendam neceſſaria. 36
In quibus conſiſtat? ibid. ſeqq.
*P*roprietas rerum quomodo introducta? 189
*P*rotectio non tollit Majeſtatem. 400
*P*rotimiſeos jus. 216
*P*rudentiæ civilis œconomia. 15
*P*udicitiæ defenſio etiam cruenta Jure Nat. licita. 102

Q.

Quantitates quæ in Jure dicantur? 222

R.

Rationis imbecillitas in pueris an terminum habeat Jure Nat. 155
Regna patrimonialia. 326
Religio naturalis eſt fundamentum Juris Nat. ultimum. 55 60. 62. 72. 78
Ejus uſus intra hanc vitam terminatur. 60. 71
quæ ejus capita? 61
Abſolvitur cultu interno & externo. 69
Non tamen ſola ſufficit reprimendæ hominum malitiæ, 390
Religioni naturali adverſa dogmata. 78. ſeqq.
Religionis cura quà pertineat ad ſummos Imperantes? 344
Relocatio tacita. 234
Repræſentationis jus. 189
Repreſſaliæ. 392
Res. Earum defenſio. 102
Reſervationes mentales. 167. 171
Reſpublica quomodo conſtituatur? 305
Et quæ ejus formæ? 319
Regulares & irregulares 319. 320. 237
Rerumpublicarum morbi & vitia. 323
Retractus. 215
Retrovenditionis pactum. ib.
Rhodia lex. 110
Rudium, ruditatis vituperium. 130

S.

Sacerdotum officia 405
Sacrorum jus pertinet ad ſummum Imperium. 318
Sanctimonia ſummi Imperii. 331
Sanctio quid? 38
Separatio à thoro & menſa. 269
Sermo, Sermocinantium officia. 159. ſeqq.
Servi naturâ an dentur? 285
Servo poteſt fieri injuria. 286
Servi damna data quomodo reſarciant? 119
Servilis proles ad quem ſpectet? 190
Inter fructus referenda. 286

Servitus cum æqualitate naturali ſtare poteſt. 285
Servitutis origo. 286
Diſcrimen. 286. ſeqq.
Servitus pactitia, legalis. 286
Servitutes prædiorum. 186
Silentium aliquando conſenſûs ſignum. 153
Simonia. 210
Simulatio licita. 163
Socialitas homini neceſſaria. 54
Eſt fundamentum Juris Nat. & principium cognoſcendi. ibid. & Præfat. Autor. §. 4
Non infert appetitum Societatis Civilis. 293. ſeqq.
Societatis contractus. 223
Societas conventionalis, incidens. ib.
generalis, ſpecialis. 224
Socius quid præſtare teneatur. 223
Solutiones obligationum. 230
Somniantium facinora an imputentur? 28
Sors, Sortitio. 127
Spes. 87
Spei emtio. 226
Spinoſa, Atheus & Naturaliſta. 64
Spinoſiſmus. 80
Sponſiones. 225
Spontaneitas homini in naturalibus aſſerenda. 11
Status quid & quotuplex? 251
Status naturalis ordinarius. 253. ſeqq.
Status naturalis extraordinarius. 95. 253
Status naturalis jura atque conditio. 255
Status hominis naturalis. 48. 250
Ejus incommoda. 257
Quis in eo viventium Judex? 262
Status hominum naturalis eſt rationalis. 49. 251. 258. 261. 296. 385
& pacis. 96
licet non ſatis fidæ. 95. 260. 351
Status integritatis non eſt principium cognoſcendi Juris Nat. Præf. Aut. §. 4. & ibid. Not. §. 11. & ib. Not. 55
Status hominum adventitii. 262

Status civilis indoles. 296
Status civilis & naturalis comparatio. 257. 294
Status mutatione mutantur & jura eidem annexa. 234
Status vitia. 322
Stipulatio in diem. 156
Stratagemata bellica. 388
Studia literarum ad officia hominum quatenus ſpectent? 91
Succeſsio ab inteſtato & ejus ordines. 187. ſeq.
Succeſsionis modi in Civitatibus. 338. ſeqq.
Succeſsio linealis Caſtiliana, Francica. 340
Super ſucceſsione ortæ lites per quos tranſigendæ? 342
Suffragia numeranda, non ponderanda. 303
Summitas Imperii vel abſoluta vel reſtricta. 332
Superbia. 127
Supplicia ultima quatenus ex civium conſenſu? 354
Suſpicari non ſufficit. 96. 149
Syſtemata Civitatum. 321

T.

Temperamentum hominis quid poſsit in moralibus? 15
Tempus aliquando tollit obligationes. 232
Teſtamentorum jus. 193
In Teſtamentis quid operentur juramenta? 173
Teſtes quales eſſe debeant? 259
Theologiæ moralis & Philoſophiæ moralis diſcrimen. Præfat. Autor. §. 4. ſeqq.
Theſaurus. 184
Traditio an ad validitatem pacti requiratur? 147. 153. 218
Tributa, & quid circa ea juſtum? 350. 382
Triſtitiæ affectus. 86
Turpium obligatio nulla. 154
Tutela inculpata? 94. ſeqq. 96. ſeqq.

V.

Varietas adpetitus & actionum in hominibus unde ſit? 12. ſeqq. 52
Vectigalia. 382
Vendibiles ſervi bello capti. 291
Venditio ad corpus, ad menſuram. 219

Venditor vitia rei vendendæ occulta debet indicare. 211
Venia delictis aliquando concedenda. 359
Venia pœnitenti danda. 121
Vergentiæ voluntatem hominis inclinantes. 13. ſeqq.
Veritas quid? 164
Vernæ. Eorum conditio. 290. ſeq.
Victoriam quouſque proſequi liceat? 98
Vindicta in Statu Nat. licita. 97. 121
Violenter aliquando licet alteri res ſuas eripere. 108
Virgo etiam honeſta poteſt maritum circumſpicere. 262
Vis compulſiva, expulſiva, ablativa. 19
Vis non ſufficit ad introducendam obligationem. 35
Vitam circa quodnam hominis officium? 89
In vitam ſubditorum quid liceat Imperanti? 96. 105. 352
Univerſitates quomodo puniendæ? 363
Voluntas quid? 10
Voluntatis actio. 18
Voluntas quomodo circa actiones ſe gerere debeat? 83
Voluptates circa quodnam ſit hominis officium? 85
Votum caſtitatis Monachorum & Monialium quale? 265
Uſucapio, modus acquirendi Juris Naturalis. 198
Uſufructuaria Regna quatenus dicantur? 326
Uſuræ. 222
Utilitatis innoxiæ res. 130.

Emendanda.

Pag. 182. lin. 24. in Not. pro *prius* lege *poſterius*.
p. 224. lin. 14. in Not. deletis vocibus: *reſtrictionem ſive coarctationem*, lege: *extenſionem*. Et lin. 15. poſt verba: *in dubio*, interſere: *ubi verba nimis reſtricta ſunt*.
Eadem. Dele, quæ in quinque ultimis lineis continentur.

APPENDIX
THEMATUM
Quorundam
SELECTIORUM,
Ex
Illuſtris PUFENDORFII.
DE
OFFICIIS
Libello
excerptorum,
Et
Publicis Diſputationibus
in Academiâ Gieſſenſi
A. A. MDCCIII. & IV.
ventilatorum.

DISPUTATIO PRIMA.

Reſpondente

Joh. Friederich Käyſer/ Gieſſ. LL. Studioſ.

THEMA I.

ABsque *doctrina Juris Naturalis perfectus JCtus eſſe nequit.* (Ad Præfat. de Offic. H. & C.)

RATIO, Quia (1) ultima Juris humani ratio ferè in Jure Naturæ quærenda. (2) Genuinæ interpretationis & applicationis media Jus Naturæ ſuppeditat. (3) Principiis id conſtat univerſalibus; reliquum Jus non niſi particularibus, unde omnes caſus decidi non poſſunt, minimè omnium negotia Gentium.

CONSENTIUNT Mevius, *præfat. Nuclei J. N. & G.* Ziegler *præfat. Notar. ad Grot.* Dn. Thomaſ. *Diſſert. Proœmial. ad Inſt. Juriſpr. div.* §. 14. 15. Dn. Hertius noſter, *Comment. de Juriſpr. Univerſali Sect.* 1. §. 8. Dn. Andr. Oekel. *in JCto rationali, præf. it. c.* 111. *th.* 19. paſ-

paſſim; Et imò è recentioribus plurimi, imprimis, qui ſcriptis Jurisprudentiam Naturalem illuſtrarunt, ut Dn. Coccejus, Vitriarius, Felde, Henniges, Culpiſius, Teſmar, Becmann, Simon, Tullecken, Borgeſius, &c.

DISSENTIUNT antiquiores ferè omnes, & qui vel ex ſolo Jure Romano perfectum JCtum exſculpere cupiunt.

THEMA II.

Jus Naturæ eſt diſtincta non ſolum à Theologia, a) *ſed & Philoſophia morali* b) *diſciplina.*

RATIO a) Quia differunt principio cognoſcendi, forma, objectô & fine. *Principium* cognoſcendi Theologiam moralem eſt Revelatio; Jus Naturæ, Natio. *Forma* Legis divinæ revelatæ conſiſtit in obligatione ad fœderis modum contractâ; ſed Juris Naturæ præcepta obligant ſimpliciter ex LLatoris voluntate. *Objectum* Theologiæ moralis ſunt interna primariò, externa per conſequentiam; viceverſa ſe res habet in Jure Naturæ. *Finis* Theologiæ moralis eſt æterna ſalus; Juris Naturæ beatitudo civilis. *b)* Quia (1) Philoſophia moralis præcipuè honeſtum in actionibus humanis conſiderat; Jus Naturæ verò juſtum. (2) Illa rectitudi-

nem internam & emendationem affectuum; hoc rectitudinem externam intendit, interna & affectuum emendationem ſupponit. Ubi enim deſinit Ethicus, ibi incipit JCtus.

CONSENTIUNT omnes hodie, qui ſobriè philoſophari, & fines diſciplinarum regere didicerunt. Confer Dn. Hert. *l. c.* §. 4.

DISSENTIUNT *Scholaſtici*, & vulgò ſic dicti Moraliſtæ omnia ſurſum deorſum vertentes, & ex Theologia, Philoſophia morali, Jure Naturali & civili unum aliquod Chaos conficientes. *Diſſentiunt* etiam, qui præcepta Decalogica pro ipſo Jure Naturæ haberi volunt.

THEMA III.

Citra Impietatem & pugnam licet in Diſciplina Jur. Nat. aliqua ſupponere, quæ S. Scriptura in theſi aliter tradit.

RATIO, quia (1) abſtrahentium & præſupponentium non eſt negatio. (2) Quælibet diſciplina juxta modum cognoſcendi ſibi convenientem agit, nec tamen una alteri verè contradicit.

CONSENTIUNT omnes, qui regulas veræ contradictionis intelligunt, & rectè applicant.

DISSENTIUNT, qui vel ex ſtupiditate vel

malitiâ

malitiâ peccantes in Pufendorfio hoc ferre nolunt, quod conditionem primi hominis ad captum rationis, non ad ductum verbi revelati formaverit. Vid. Pufendorf. Erid. Scand. *Præfat.* it. *p.* 20. *p.* 220. *ſeqq.* 258. 358. 372. 377. Ven. Lipſ. Pul. p. 11. 16. 36. 44. 46. 52. 54.

THEMA IV.

Ea hominis quoad intellectum & voluntatem idoneitas eſt, ut, quæ naturaliter juſta ſunt, percipere, & ad ea ſe componere poſſit.

(Ad L. I. c. I.)

RATIO, quia (1) aliàs homines ſocialiter non vivere (2) quibusvis ſuis delictis ignorantiam invincibilem obtendere, & ad rationes vocanti exceptionem impoſſibilitatis opponere poſſent; Imò (3) ne quidem pro auctoribus ſuarum actionum eſſent habendi.

CONSENTIUNT non tantum S. literæ *Rom. II. v.* 14. 15. ſed & omnes Philoſophi pariter & Theologi, qui notitiam recti & juſti naturalem & ſpontaneitatem in Civilibus & naturalibus homini relinquunt.

DISSENTIUNT, qui notitias naturales negando, tabulæ raſæ hominis mentem comparant; Item qui fato Stoico, ſiderum influxui & ſimilibus externis princi-

piis omnia adſcribentes, voluntatis libertatem tollunt.

DISSENTIUNT etiam, qui facultates animæ humanæ, quas non habet in Spiritualibus, confundunt cum iis, quas habere diximus in naturalibus, id quod, craſſo admodum calumniandi artificio, fecerunt Pufendorfii adverſarii, in indice novitatum art. XVI. ſed ab eodem ſufficienter depexi, in Apolog. §.XXI. quæ habetur Erid. Scand. *p.* 37.

THEMA V.

Voluntatis potiores in actionibus humanis ſunt partes, quàm Intellectus.

RATIO, quia (1) voluntas dirigit imperio practico, (2) ipſæ Sacræ Literæ omnem προαίρεσιν cordi i. e. voluntati acceptum referunt. (3) Sæpe & plerumque intellectus cognita judicio theoretico aliter non approbat, quam quatenus voluntati viſum eſt & gratum.

CONSENTIUNT Dn. Thomaſius, Ausübung der Sitten-Lehr *cap.* 1. §. 26. *ſeq.* & omnes illi Philoſophi, qui vim directivam animæ facultatum theoreticam à practica probè ſecernunt.

DISSENTIUNT Doctrinæ Philoſophorum communes, Intellectum pro Duce in actio-

nibus

nibus humanis agnoſcentes, cùm tamen *Daduchus* potius, quàm *Dux* ſit.

THEMA VI.

Hominis naturæ non convenit, ut vivat exlex. (Ad c. II.)

RATIO, quia omnis homo (1) liberum habet arbitrium, nec ad uniformem agendi modum determinatus, (2) ad Legem & LLatorem cognoſcendum idoneus, (3) actu Legislatori ſubjectus eſt, & (4) ſine Lege finem, ad quem creatus, non eſſet obtenturus.

CONSENTIUNT omnes, quibus ratio pro duce eſt, ipſe etiam Plato, licet ſine Legibus civitatem eſſe poſſe ſtatuerit, *de Republ. Dial. IV.*

DISSENTIUNT omnes in ſtatu beſtialitatis conſtituti, quales ſunt Legum frena mordentes, in quocunque vivant ſtatu & ordine.

THEMA VII.

Solus homo eſt Legum & obligationis capax.

RATIO, quia ſolus Legem intelligit, & ex ejus præſcripto agere tenetur.

CONSENTIUNT omnes, qui rerum moralium exactiorem habent notitiam.

DISSENTIUNT DD. Juris Romani, qui jus naturæ etiam in bruta cadere ſomniant,

decepti definitione Ulpiani, *L.* 1. *§.* 3 *ff. de Juſt. & Jur. pr. J. de Jur. N. G. & Civ.*

THEMA IIX.

Vis obligativa Legis omnis eſt à voluntate imperantis.

RATIO, (1) quia imperans eſt hujus effectus adæquata cauſa, (2) citra hanc Jus, Lex, obligatio & officia non niſi inania futura eſſent vocabula.

CONSENTIUNT DD. & Philoſophi communiter.

DISSENTIUNT, qui decepti per Scholaſticos, docentes, quod actiones in ſe & ſua natura honeſtæ vel turpes dentur, etiam antecedenter ad Voluntatem Dei, cum Grotio Juri Naturæ obligationem tribuunt, poſito DEUM non eſſe, vel non curare res mortalium; item Haberkorn, qui vim obligativam in jure & æquitate conſtituit, *Relig. J Ctor. p.* 52.

THEMA IX.

Optimè illi, qui convenientiam cum Socialitate pro Juris naturæ fundamento agnoſcunt, & tale Principium formant: *Qu. cum Socialitate convenit, illud eſt Juris Naturalis.* (Ad c. III.)

RATIO, quia hoc principium eſt (1) proprium & verum, (2) adæquatum, (3) evidens,

dens, id quod latius Dn. Præſes, *Differt. de Lege naturali, ad Pufend. Offic. c. III.* §. 8. 9. monſtravit, ubi etiam conſentientes & diſſentientes pluribus adduxit.

THEMA X.

Principia Juris naturalis rectæ rationi attemperata eſſe debent a) *ipſe autem homo non niſi juxta corruptum ſtatum conſiderari poteſt.* b)

RATIO, *a*) quia ex pravis principiis non poſſunt non pravæ concluſiones emergere. *b*) Quia moralis medicina ſupponit moraliter ægrotum.

CONSENTIUNT, qui, cum Dn. Pufendorfio, in Jurisprudentia Naturali hominem concipiunt juxta veram indolem, quâ præditus hodiè deprehenditur.

DISSENTIUNT, qui cum D. Valent. Alberti hominem ut integrum ſupponunt, & ipſum Jus Nat. in perfectione Statûs integritatis vel formali vel normali quærunt.

THEMA XI.

Jus naturæ eſt immutabile a) *& indiſpenſabile.* b)

RATIO *a*) quia finis ejus & fundamentum immutabile eſt, ſalus ſcil. ſocietatis humanæ, quâ ſtante ne Deus quidem jus illud mutare poteſt; *b*) quia nemini hominum circa divinas Leges diſpenſare licet.

CONSENTIUNT Dd. Juris Naturalis, imò Theologi noſtrates & JCti communiter.

DISSENTIUNT, qui Pontifici diſpenſandi in divinis facultatem tribuunt; Diſſentit etiam ſibi ipſi non ſatis conſtans Mevius, qui diſpenſando, ait, Deum poſſe indulgere, imo injungere, quæ alias naturaliter improba, *Nucl. Jur. N. & G. Inſp. II. n.* 38. §. 23.

THEMA XII.

Jus Naturæ ita tradendum eſt, a) *ut foro humano aptum ſit, & per conſequens* b) *directo non niſi circa formandas hominis exteriores actiones verſatur.*

RATIO, *a*) Quia (1) alias nullus ejus futurus eſſet in vita civili uſus; quum tamen (2) juxta hoc etiam pronunciare debeant Judices humani.

b) Quia (1) interna ad divinum tribunal pertinent. (2) Judices humani non ſunt ſcrutatores cordium; (3) actiones hominis interiores formare vel Ethicæ eſt, vel diſciplinæ ſublimioris.

CONSENTIUNT omnes, qui Philoſophiam & Theologiam moralem cum Jure Naturali non confundunt.

DISSENTIUNT Scholaſtici & fermento Scholaſticorum infecti Theologi, JCti &

Phi-

Philoſophi non pauci; Item, qui ex verbis Pufendorfii perperam acceptis probare conantur, Jus Naturæ internam mentis probitatem reſpuere, adverſus quos diſputat *Erid. Scand. p.* 262. 355. 371. 378.

THEMA XIII.

Jus Naturæ & Gentium non ſpecie, ſed ſubjectis potiſſimùm ab invicem differunt, adeò ut ſi ſpectetur Jus illud cognitum in negotiis ſingulorum hominum, *dicatur Jus Naturæ hominum*; ſi in negotiis integrarum Gentium, *dicatur Jus Naturæ Gentium.*

RATIO, quia (1) utriusque juris eſt idem principium, ſcil. dictamen rectæ rationis, ſuper ſocialitate reflexum; (2) eadem eſt vis obligandi, divina voluntas; (3) ſunt eadem præcepta, quæ dirigunt actiones hominum ſingulorum & Gentium, modò quod pro ſubſtrata materia aliquam variationem accipiant.

CONSENTIUNT Hobes *de Cive c. XIV. n.* 4. Bœcler. *Inſt. Polit. l.* 2. *c.* 3. Pufendorf. *L. II. J. N. G. c.* 3. *n.* 23. Dn. Thomas. *Inſt. Jurispr. div. Lib. I. c.* 2. §. 2. Dn. Hertius, *Jurispr. Univerſal. Sect. I.* §. 3. *it. Diſſertat. de Lytro. Sect. I.* §. 6. Conf. §. 11. *Inſtit. de R. D.*

DIS-

DISSENTIUNT Dd. Juris Romani communiter, qui Jus Nat. & Gent. ſpecie differre putant. Ipſe etiam Grotius Jus Gentium voluntarium fingens, & qui vel cum eo ſentiunt, vel eum tuentur, allegati a Dn. Præſide *dict. Diſſert. ad* §. *ult. p.* 31.

THEMA XIV.

Officia hominis erga DEUM a) *ſaltim per indirectum ex ſocialitate demonſtrari poſſunt,* b) *id quod ſufficit.*

(Ad c. IV.)

RATIO *a*) quia ſunt medium ad ſocialilitatem ſummè & præcipuè neceſſarium. Quicunque igitur obligat ad finem, ille etiam intelligitur obligaſſe ad medium ſummè & præcipuè neceſſarium. *b*) Quia directa demonſtratio officiorum erga DEUM ad Theologiam naturalem pertinet.

CONSENTIUNT, qui concedunt, uſum Religionis ſecundarium eſſe, ut promoveat ſocialitatem. Nec non qui Theologiam naturalem diſtinctam à Jurisprudentia naturali diſciplinam ſtatuunt.

DISSENTIUNT, qui utrumque hoc negant, qui officia erga Deum ex ſocialitate deduci nullo modo poſſe cum Velthemio clamitant. vid. Erid. Scand. *p.* 300. qui etiam in Jur. Nat. directò & per modum theſeos

officia

officia hæc tractanda putant, quod facit Gœdhard. Borgeſius *Enodat. I. Nat. c. II. p.* 27. *ſeqq. c. III. p.* 67.

THEMA XV.

Religio eſt ultimum & firmiſſimum ſocietatis humanæ vinculum.

RATIO, (1) quia religio & metus DEI animos civium omnium optimè continent. (2) Quia religio, maximè Chriſtiana, etiam futurum poſt hanc vitam tribunal inculcat, ubi occultè patratorum à quovis rationes reddendæ.

CONSENTIUNT, qui finem & uſum Religionis etiam Chriſtianæ, duplicem agnoſcunt, ita ſc. ut ad beatitudinem quoque civilem porrigatur, juxta confeſſionem Pauli 1 *Timoth.* 2. *v.* 2.

DISSENTIUNT, qui pro Machiavellico dogmate hoc habent, Autores Indicis Novitatum. *Art.* 1. Frider. Geſenius, Zentgravius, alii, quibus reſpondet Pufendorfius, in Eride Scand. *p.* 84. 109. 326. 350.

THEMA XVI.

Ut ritu externo Deus colatur, naturalis Lex non dictitat.

RATIO, (1) quia ritus ſunt ex inſtituto hominum; (2) Deus coli poteſt ſine externo

ritu;

ritu; (3) ritibus Deum affici naturæ lex non dictitat.

CONSENTIT & propugnat Dn. Thomaſius, Juriſprud. Div. *L. II. c.* 1. §. 7. *ſeqq.* Introduct. German. ad Ethicam. *cap.* III. §. 37. Confer Hiſtoriam Controverſ. in Append. ad Inſt. Juriſpr. Div. *l. c. p.* 372.

DISSENTIUNT, qui cultum externum cum ritu confundunt, in ſpecie Placcius.

DISSENTIUNT etiam, qui templa, ſacrificia, & ſimilia, ad ritum ſpectantia apud omnes ferè Gentes recepta, à jure naturali profecta credunt, contra quos, quod ſacrificium in ſpecie attinet, diſputantem vid. Strimeſium, *Praxiolog. apodict. p.* 134.

THEMA XVII.

Dantur a) *officia hominis erga ſeipſum, eaque* b) *ex ſocialitate probantur.*

(Ad. c. V.)

RATIO *a*) quia (1) non à ſe ipſo eſt, nec ſibi vivit; (2) habilis creatus ad maximas perfectiones ſibi acquirendas; *b*) quia, niſi ſinguli ad ſocialitatem, tanquam finem communem ſe pararent, univerſi eam nunquam eſſent accepturi. Quatenus ergo cultura hominis, & conſervatio eſt modus ſocialitatis obtinendæ, eatenus etiam ſocialitas ea exigit.

CON-

CONSENTIUNT, quoad prius, omnes, qui ad officia circa ſeipſum obſervanda à Deo hominem obligari poſſe admittunt. Quoad poſterius Dn. Thomaſius *l. c. L. I. c.* 4. *L. II. c.* 2. & alii, qui ſocialitatem ex mente Pufendorfii recte capiunt & explicant.

DISSENTIUNT, qui vel omnino nulla ſtatuunt hominis erga ſeipſum officia, decepti *L.* 22. *pr. ff. de Legat.* III. vid. Dn. Thomaſ. *L.* I. *c.* 1. §. 76. vel ex ſocialitate tantùm officia erga Socios derivari poſſe perſuadentur. vid. Erid. *pag.* 300.

THEMA XIIX.

In extremæ neceſſitatis caſu licet alteri res ſuas eripere.

RATIO, quia (1) in caſu extremæ neceſſitatis reviviſcit communio primæva (2) jus exigendi ab altero imperfectum mutatur in perfectum.

CONSENTIUNT Grot. J. B. & P. *L.* II. *c.* 2. *§.* 6. *ſeqq.* Dn. Thomaſ. J. D. *L.* II. *c.* 2. §. 168. Dn. Jo. Frid. Heuniſch. Diſput. de moralitate ablationis rei alienæ, habit. Lipſ. 1683.

DISSENTIUNT Scholaſtici & Theologi ferè communiter, Commentatores Grotiani, Ziegler, Henninges, Felden, Oſiander &c.

THE-

THEMA XIX.

Falſum eſt, quod vulgo dicitur, neceſſitatem Lege carere.

RATIO, quia neceſſitas (1) dirigitur à Lege Naturæ, (2) locum facit juri extraordinario.

CONSENTIT Dn. Thomaſ. *l. c. c.* II. §. 123. *ſeqq.* ubi docet, nullum neceſſitatis caſum evenire, qui non ex Legibus divinis dijudicari queat.

DISSENTIUNT vulgo omnes, qui nudè & crudè dicterium id accipientes, neceſſitatem ſimpliciter omnia Legum repagula convellere exiſtimant.

THEMA XX.

Vulnerare tantum mandans, & cædem prohibens, ubi data opera mandatarius mandati fines exceſſerit, de hoc exceſſu ille non tenetur. (Ad c. VI.)

RATIO, quia (1) delicta diſtinguit animus (2) non ex cauſa mandati, ſed ex propria fraude mandatarius exceſſum committit.

CONSENTIUNT, & extraordinariâ tantùm pœnâ afficiendum ſtatuunt Mandantem Harprecht. *ad Inſt.* §. 8. *ff. mandati, n.* 18. Franzkius *Exerc.* 14. *Quæſt.* 8. *p.* 1134. Gothfr. Anthonius, *Qq. Jur. Miſcellan. Poriſm.* 6. Huber. Prælect. *ad Inſt. d. l. n.* 5.

n. 5. alii allegati ap. Carpz. *Pr. Crim. p.* 1. *q.* 4. *§.* 19. Conf. *l.* 22. *C. de Pœn. l.* 26. 42. *ff. eod. l.* 22. *ad SCtum Vellej.*

DISSENTIUNT Treutler. *P. I. Diſſ.* 27. *th.* 3. *in fin.* & *P. II. Diſſ.* 32. *th.* 5. Menoch. *Arb. Jud. Quæſt.* 356. Carpzov. *l. c. §.* 21. & plerique DD. civiles, decepti *l.* 15. *ad L. Cornel. de Sicar. l.* 38. *§.* 5. *ff. de pœn.*

THEMA XXI.

Maxima illa, quæ inter homines ratione ordinum & dignitatum exiſtit, inæqualitas, non tamen tollit præceptum de agnoſcenda colendaque naturali hominum æqualitate. (Ad c. VII.)

RATIO, quia (1) inæqualitas illa introducta eſt ſalva communione jurium humanitatis, juxta quam omnes omnino homines adhuc intelliguntur æquales; (2) jura humanitatis nec eripi juſtè poſſunt, nec iis renunciare licet. Quare nullo facto vel pacto licitè alicui eripi poſſunt.

CONSENTIUNT, qui ſummis in faſtigiis conſtituti, cæteros ut æquè homines habendo eos amant, & humanitatis jurium participes faciunt.

DISSENTIUNT, qui inſtituta humanitati adverſa introducunt, & ut licita defendunt, quale erat apud Romanos barbara

ſervitus, quâ non civitatis ſolum, ſed & ipſa humanitatis jura multis in capitibus miſeris eripiebantur.

THEMA XXII.

Actio ingrati non datur. (Ad c. IIX.)

RATIO, quia (1) ingratus peccat contra humanitatem duntaxat, non contra jus perfectum, (2) ad ſolam hanc actionem tribunalia non eſſent ſuffectura.

CONSENTIUNT Dd. communiter, qui ingratitudinem ſimplicem à qualificata ſecernere ſciunt.

DISSENTIT Bœcler. *diſſert.* III. annex. not. ad Grot. qui exiſtimat, & poſſe & debere locum eſſe huic actioni in Rebuspublicis.

THEMA XXIII.

Ex pactis etiam nudis vera datur obligatio.

RATIO, quia (1) nihil tam congruum eſt fidei humanæ, quam ea, quæ inter nos placuerunt, ſervare *l.* 1. *ff. de pact.*

CONSENTIUNT Grotius *L. II. c.* 11. *§.* 1. *ſeqq.* Pufendorf. J. N. & G. *L. III. c.* 5. §. 9. 10. 11. & Dd. qui aſſertum Juris Canon. *c.* 1. *&* 3. *X. de pact. c.* 34. *X. de ſent. excommunicat.* dmittunt. Vid. Vinnius, *de Pactis, c.* 7. *§.* 4.

DISSENTIUNT jura Romana & Dd. Civiles,

les, imprimis Franciſc. Connanus, Comment. Juris Civil. *L. V. c.*1. quem refutant Grotius *L. II. cap.* 11. §. 1. & Pufendorf. *L. III. cap.* 5. §. 9. *ſeqq.*

THEMA XXIV.

Pacta per ſe non obligant.

RATIO, quia (1) ineuntur à paribus, vel quâ talibus, (2) vim obligandi habent à voluntate ſuperioris ſeu Legislatoris.

CONSENTIUNT, qui Jus Gentium voluntarium ex pactis conſtitutum adverſus H. Grotium negant.

DISSENTIUNT, qui tale Jus pactis ſuperſtructum aſſerunt. It. qui pacta pro legibus habent, quæ in Jure Romano aliquando hoc nomine venire vident.

THEMA XXV.

Officia ſermocinantium ſaltem aliqua, ſi non omnia, etiam pacto nituntur.

(Ad c. X.)

RATIO, quia (1) verba valent non naturâ, ſed ex hominum impoſitione; (2) homines non tantum loqui, ſed & tacere, imo (3) aliter loqui, aliter ſentire poſſunt.

CONSENTIUNT, qui facultatem loquendi ab ipſo ſermone ſecernunt, quorum hic ex pacto, illa à natura eſt.

DISSENTIUNT, qui officia ſermocinantium non ad hypothetica, ſed abſoluta ſpectare

putant. Item, qui officia abſoluta in theſi cum talibus in hypotheſi confundunt.

THEMA XXVI.

Tantum abeſt, omnem ſimulationem & diſſimulationem eſſe illicitam, ut cæteris paribus eæ quandoque inter officia referantur.

RATIO, quia ſæpè (1) aliis directo ſermone prodeſſe non poſſumus, imo potius noceremus, hinc ſimulandum, (2) aliis manifeſtare, quæ ſcimus, prohibitum & illicitum, hinc diſſimulandum.

CONSENTIUNT omnes, qui inter falſiloquia & mendacia, ſimulationes & diſſimulationes noxias & innoxias diſtinguere ſciunt.

DISSENTIUNT, qui ex imperitia rerum moralium utrumque tanquàm Pſeudo-Politicis proprium rejiciunt.

THEMA XXVII.

Juramentum per vim extortum non obligat. (Ad c. XI.)

RATIO, quia (1) coactio & metus omni obligationi obſtant. (2) Juramentum non debet eſſe vinculum iniquitatis. (3) Actui illegitimo leges divinæ & humanæ validitatem haudquaquam concedunt.

CONSENTIUNT è JCtis plerique.

DISSENTIUNT ex falſa hypotheſi, quod

Deo

Deo juratum ſit, Grotius L. II. *cap.* 13. §. 14. 15. L. III. 19. 5. & ejus Commentatores, Ziegler, *in not. ad d. l.* Kulpiſius *Colleg. Grotian. ad h. l. p.* 74. Vel decepti ex non recte intellecta doctrina Juris Civilis, quâ adverſus metu coactum, dolo inductum &c. ſi quid promiſerit, datur actio §. 1. *J. de Except.* Potiores inter Diſſentientes ſunt Franzkius L. II. *reſolut.* 2. *num.* 11. & Rauchbar. L. II. *quæſt.* 4. *num.* 19. ſed iis reſponſum à Dn. D. Hertio, *Parœm. Jur.* XXXI. §. 1. Confer. ejusd. *Comment. de Lytro, Sect. II.* §. 24.

THEMA XXIIX.

Oceanus vaſtus nec eſt, nec eſſe poteſt in dominio.

RATIO, quia (1) ejus cuſtodia eſt impoſſibilis, (2) uſus ſufficit omnibus.

CONSENTIUNT Grot. L. II. *c.* 2. §. 3. *c.* 3. *à* §. 8. *ad* 16. & in Diſſert. *de Mari libero*, aliique allegati à Bœcler. *not. ad Grot. d. l. p.* 50.

DISSENTIUNT, qui argumentis ad proprietatem marium particularium demonſtrandam idoneis decepti ſunt. Selden. *in Mari clauſo.* Joh. Strauchius, *diſſert. de Imperio maris c.* 2. Hulder. Eyben, *Obſerv. ad Inſt. diſquiſ.* VI. *obſ.* 3. Struv. Syntagm. *Jur. Feud. c.* 6. *aphor.* 7. Kulpiſ. *Colleg.*

Grot. ad d. l. Grot. Exerc. III. *p.* 28. Felden *in Not. ad Grot. p.* 125. Hoppius *ad* §. 1. *Inſt. de Rer. diviſ. p.* 273.

THEMA. XXIX.

Teſtamenta non ſunt inventum Juri Civili proprium, ſed æque ad Naturæ Jus ſpectant. (Ad c. XII.)

RATIO, quia (1) ſunt modus transferendi dominia, quem recta ratio dictitat, & aliquando ſocialitas requirit (2) per teſtamentum etiam, qui juri civili ſubjecti non ſunt, invicem res ſuas transferre poſſunt, v. gr. regna patrimonialia. Grot. L. I. *cap.* 3. §. 12.

CONSENTIUNT Grotius, L. II. *c.* 6. §. 14. ibique Bœcler. & Kulpiſ. Pufendorf. *J. N. & G.* L. IV. *c.* 10. §. 4. 5. Dn. Thomaſ. I. *Jurispr. Div.* L. II. *c.* 10. §. 162. *ſeqq.* Confer Schneidevvin. *ad J. de Teſt. Ordinand. n.* 12. *ſeqq.*

DISSENTIUNT, qui decepti §. 6. J. *de Uſu & habit.* aliisque civilis juris textibus, Teſtamentum ad jus civile, Juri Gentium naturali (ut §. 11. J. *de rerum diviſ.* vocatur) contradiſtinctum referunt. Item, qui eo ipſo, dum *ſpecificam* aliquam formam à Legibus Civilibus Teſtamentum accipere vident, *genericam* ipſi à Jure Nat. denegari omninò perſuadentur; *rem cum rei modo* perperàm confundentes.

THEMA XXX.

Uſucapio eſt modus acquirendi Juris Naturalis & Gentium.

RATIO, quia (1) recta ratio ſuper ſocialitatem reflexa dictitat, dominia rerum non ſemper debere eſſe in incerto, (2) qui rei ſuæ longo ſatis tempore curam nullam habuit, rationis conjecturâ eam dereliquiſſe cenſetur.

CONSENTIUNT Dd. qui in Jure Gentium, non accepto pro moribus, præcipuam ejus rationem quærunt.

DISSENTIUNT cum Petr. Gregor. Tholoſan. *Syntagm. Jur. L. XL. c. 2. n. 4. ſeqq.* Benjam. Leuber/Stapel-Unfug/ *n.* 1129. & alii, qui jus Romanum cauſam productricem omnium jurium ſomniantes, ſolius iſtius hoc inventum credunt. Item qui ad cauſam finalem ſecundariam, coercitionem ſcilicet ſocordiæ ſubditorum, res ſuas juſto diutius negligentium, unicè & vel maximè reſpiciunt. Nec non, qui crudè accipiunt verba *Novell. IX. Proœm.* ubi *impium præſidium* vocatur. Denique qui adeò damnant, quod *nemo cum alterius damno debeat locupletari. l.* 206. *ff. de R. J.*

THEMA XXXI.

Etiam m. f. poſſeſſor ut impenſas tàm

utiles, quàm neceſſarias recuperet, naturaliter juſtum eſt. (Ad c. XIII.)

RATIO, quia æquius eſt, ut nemo cum alterius damno locupletetur.

CONSENTIUNT etiam ex Dd. Civilibus hodie aliqui, vid. Struv. *Juriſpr. forenſ. L.* II. *Tit.* 13. §. 8. *p.* 202. *L.* II. *Tit.* 33. §. 10.

DISSENTIENTES vide ap. Treutler. *Vol.* 1. *Diſp.* 14. §. 19.

THEMA XXXII.

Pretia rerum ab impoſitione hominum veniunt. (Ad c. XIV.)

RATIO, quia (1) à dominio & introductâ rerum proprietate habent originem; (2) vel lege vel conventione conſtituuntur.

CONSENTIUNT, qui in cõmerciis quoad precii determinationem non omnia incerta relinquunt, ſed fundamenta officiorum hic obſervandorum monſtrant, ut egregiè facit Bœclerus, *Diſſert.* II. *de menſurâ precii*, ſubnex. *Comment. ad Grot. p.* 33. *ſeq.* Thomaſius I. J. *D. L. II. c.* 11.

DISSENTIUNT, qui precia rerum cum fundamentis pretioſitatis, & cum ipſa aptitudine, quam res habent, confundentes planè naturalia ea credunt; vel qui in iis exigendis nullum ſibi modum ſervandum eſſe exiſtimant.

THEMA XXXIII.

Pactorum & Contractuum diſcrimen eſt à jure Civili Romano.

(Ad c. XV.)

RATIO, Romani videntes, ſæpe ex inconſulto impetu homines promittere; ut huic malo mederentur, nullam promiſſionem & obligationem validam eſſe voluerunt, niſi quæ vel Contractuum publicè receptorum ad modum, vel Stipulationum formulis eſſet concepta. *Ex pactis igitur nudis nulla ab initio dabatur obligatio.* Sed quum negotiorum Civilium conditio tam anguſtos efficacium obligationum cancellos non commodè ferret, *validitatem etiam pactis tribuendam* eſſe perſpicientes, ſucceſſivè non ſolum *quaſi Contractibus*, ſed & variis *pactis*, non quidem *nudis*, (ne ſemel aſſerti puduiſſe videretur) ſed *adjectis*, *legitimis*, & neſcio quibus non aliis ſua autoritas enata fuit; Nihilominus tamen ſemel receptum *Contractuum* & *pactorum diſcrimen* in Latina lingua conſtanter permanſit.

CONSENTIT Dn. Thomaſius I. *J. D. L.* II. *c.* 11. *§.* 58. *ſeqq.*

DISSENTIUNT vulgò Dd. qui in alia omnia abeuntes, diſcrimina varia confin-

gunt. Deceptus hinc etiam ipſe Pufendorfius perperàm diſcrimen quærit in objecto, rebus ſcil. & actionibus in commercium venientibus, tanquam Contractuum propriis. Quaſi verò non & pacta ipſa circa hæc talia verſarentur.

THEMA XXXIV.

Ut Lex Commiſſoria pignori adjiciatur, naturali Juri & æquitati non repugnat.

RATIO, quia naturaliter juſtum eſt, remediis uti, quibus moroſi Debitores coërceantur, nec tamen iis noceatur.

CONSENTIUNT, qui in hoc argumento diſpoſitiones Juris Civil. à J. Nat. ſecernunt.

DISSENTIUNT LL. Civil. *L. ult. C. de pactis pignor. L.* 22. *C. de uſur.* & Dd. communiter.

THEMA XXXV.

Uſuræ licitè accipi poſſunt.

RATIO, quia æquum eſt, ut in partem lucri veniam, quod alter mea pecunia ſibi facit.

CONSENTIUNT LL. & Dd. Civiles. vid. pluribus notata à Kulpis. *Colleg. Grot. Exerc. VI.* §. 5. Teſmar. *Not. ad Grot.*

L. II.

L. II. *c.* 12. §. 20. Theologi etiam plerique tùm noſtrates, tùm alii.

DISSENTIUNT è Theologis Belgis Cloppenburgus, & alii. Confer Gronovii, Schockii, Salmaſii in hanc rem edita ſcripta.

THEMA XXXVI.

Delegatio, ſi à Creditore pure acceptata, a) *modus ſolvendi obligationem Jure naturali, quo etiam* b) *conſenſus debitoris præciſè non requiritur.*

(Ad c. XVI.)

RATIO, *a*) quia hoc Jure ſufficit ſola partium circa ſolutionem obligationis conventio; *b*) quia (1) id inventum eſt Juris Civilis, ut per hoc differat delegatio à ceſſione, *l.* 1. *C. de Novation.* Et (2) nihil intereſt debitoris, deleganti ſolvat an delegantis creditori.

CONSENTIUNT ad *a*) etiam Dd. Juris Civilis, apud Finckelthauſ. *Obſ. XCI.* ad *b.*) qui ſubtilitates Juris Civilis in Naturali Gentium Jure non venandas eſſe norunt.

DISSENTIUNT ad *a*) qui putant: Anweiſung ſey keine Zahlung. vid. Finckelt. *l. c. in rat. dubit.* §. 1. Ad *b*) quia in hoc omnia ad dictaturam Juris Romani metiun-

tiuntur, ac ſtatim lapſos putant Interpretes Juris Nat. ſicubi non convenientes ſuis labris lactucas inveniant.

THEMA XXXVII.

Quatenus officia hominis circa interpretationem ſignorum animi receptorum, & maximè ſermonis ſpectantur, eatenus etiam rectè de hoc argumento in doctrina Jur. Nat. agitur.

(Ad c. XVII.)

RATIO, quia ubi officia ſeu præſtationes jure debitæ, ibi jus; & ubi jus, ibi Jurisprudentia.

CONSENTIUNT, qui inter officia hominis reputant, ut is ita interpretetur dicta ſcriptaque ſociorum, prout ea ſecundum officia ſermocinantium comparata eſſe debebant: & in dubiis ex circumſtantiis verum & genuinum ſignorum ſenſum manifeſtet.

DISSENTIUNT, qui (1) interpretationem in actu ſignato conſideratam, cum tali in actu exercito confundunt, (2) ab officiis, qua regulas artis denotant, ad officia, qua Juridica ſunt, argumentantur.

THEMA XXXIIX.

Regula de odioſis reſtringendis & favora-

vorabilibus extendendis caute adhibita, in Jurisprudentia naturali tolerari poſſe videtur.

RATIO, (1) quia dantur in rebus humanis tùm favorabilia tùm odioſa ſimpliciter, intuitu nempe publici & ſingulorum ſimul talia; ſaltim judicio rationis, ſi non perceptione ſenſuum. Illuc referimus pœnas; huc immoderatas uſuras; (2) quia etiam in actibus mixtis, i. e. unius reſpectu favorabilibus, alterius reſpectu odioſis, ultra qualitas præponderet, in comparatione ad publicum, evidens & moralis certitudo haberi poteſt.

CONSENTIUNT Dd. communiter.

DISSENTIT Dn. Thomaſ. *Inſt. Jurisprud. Divin. Append. ad L.* II. *p.* 372.

DISPU-

DISPUTATIO SECUNDA,

Reſpondente

JO. ALBERTO Hartmañ/ Halâ-Suevo.

THEMA I.

STatus hominum naturalis ſic concipiendus eſt, ut ab eo recta rationis dictamina & Naturæ Jura non excludantur.

(Ad L. II. de O.H.&C. c. 1.)

RATIO, quia (1) alias Creatoris intentioni adverſus eſſet, qui hominem rationalem & ſocialem eſſe voluit; (2) in ſtatu naturali tam ordinariè quam extraordinariè exiſtentes planè omnis Juris forent expertes, & per conſequens belluarum more agerent.

CONSENTIUNT, qui notitiam aliquam juſti ac recti homini cuivis naturâ ineſſe concedunt, ac ſpontaneitatem in actionibus naturalibus relinquunt.

DIS-

DISSENTIUNT Hobbes, qui ſtatum naturæ hominis bellum omnium adverſus omnes ſomniat, adeoque planè ut in ſe hoſtilem concipit. *De Cive Lib. I. c. 7.* Et ſpinoſus Philoſophus Spinoſa, qui eum infinitæ licentiæ prædicat. *De Libertat. Philoſophand. c.* VII. & XVI. Pejor tamen Spinoſa Hobbeſio, quod à ſuo ſtatu per dictamina rationis hic hominem abducendum, ſicque eum corrigendum docet; ille verò ipſam ſui ſtatus qualitatem hanc pro Principio Juris Naturalis habet, & retinendam inculcat, ſic ut ex ejus mente, quousque hominis libido ac potentia, eousque etiam ejusdem Jura ſeſe extendant. Ab errore Hobeſiano non ſatis ſibi cavit ipſe noſter Author, dum ſui oblitus hominem in ſtat. nat. imperio affectuum ſubjicit, bellumque ei proprium facit. *§. 5. h. c.*

THEMA II.

Status Naturalis quatenus Civili opponitur, reverâ adhuc datur, & non per ſolam fictionem concipitur.

RATIO, quia (1) ordinariè ſumma Rerumpublicarum capita, immò integræ Civitates ad invicem relatæ communem Imperantem non habent; (2) extraordinariè

in

in hunc ſtatum pervenire intelliguntur, qui mediâ licet in Civitate (multo magis in loco à Civibus remotiore, v. gr. viâ publica, ſylva &c.) conſtituti in eas anguſtias incidunt, ut ab Imperio civili præſidium nullum expectare poſſint; vel etiam, qui v. gr. naufragio in regiones deſertas protruduntur.

CONSENTIUNT Dd. Juris Nat. atque Civilis, nec non Politici communiter.

DISSENTIUNT, qui poſt introductas ubique Civitates & Imperia Civilia ſtatum naturalem vel omnino ceſſare, vel Gentium negotia legibus Civilibus regi poſſe, vanè ſibi perſuadent.

THEMA III.

Communio Uxorum Juri Naturæ adverſa eſt. (Ad. c. II.)

RATIO, quia metuenda (1) ſuper fœminis pulchrioribus, tam copioſe ſaltem uno codemque in loco non obviis, diſſidia; (2) Conceptionum & prolium incertitudo. (3) Sobolis in educatione neglectus, (4) futura cognationum confuſio. Conf. pluribus Pufendorf. *J. N. & G. L. VI. c.* 1.

CONSENTIUNT Theologi, JCti, Philoſophi communiter.

DIS-

DISSENTIT Plato, qui in perfecta ſua, quam fingit, Republica, quo felicius promoveatur communis & mutuus omnium Civium amor, ut reliquarum rerum omnium ita & mulierum communionem introducendam putavit. *L. V. de Republ.* & *in Præfat.* Marſil. Ficinus. Cum Platone faciunt ferè Stoici; & ad argumenta ſupra propoſita reponit nonnulla Dn. Thomaſius, quæ vide *Introduct. Jurisprud. div. L. III. cap.* 2. §. 207. *ſeq.*

THEMA IV.

Uti (1) *Polyandria Juri Nat. repugnat, ita de* (2) *Polygynia idem dici nequit.*

RATIO, (1) quia Deus circa poſteriorem in Republ. Judaica diſpenſavit, quod non potuit circa priorem. Et id quidem (2) propter rationem diſparitatis. Polygynia enim nec ſobolis procreationem impedit, ſed potius promovet; nec alias fœditates inducit, quas ex Polyandria naſci in præced. them. diximus.

CONSENTIUNT, quoad *prius* Dd. communiter; quoad *poſterius* hodie fere omnes, qui in hac Juris diſciplina diſtinctius philoſophari didicerunt, tum Theologi, tum JCti & Politici, quorum elen-

chum vide ap. Kulpiſ. *Colleg. Grotian. ad L. II. c. 5. n. 6. not. ad lit. q.* & adde ex Theologis Calixtum *Diſſertat. de Conjug. & Divort. n. XI.* Scherzer. *Colleg. Definit. Loc. XXVII. ad* §. 14. Adde quoque Selden. de *J. N. L. V. c. 6. p.* 582.

DISSENTIUNT circa *prius* in Them. præced. adducti. Circa *poſterius* plurimi è Theologis & JCtis, qui vel omnino id negant, vel non niſi nudam aliquam Dei tolerantiam in Polygyniâ Judæorum agnoſcunt. Conf. itidem Kulpis *l. c. p.* 46.

THEMA V.

Conjugium vetulæ cum juvene in J. N. æque prohibitum eſt, ac eunuchi cum Juvencula.

RATIO; Quia ubique eſt eadem prohibitionis ratio. Nam (1) ut ille generare, ita hæc concipere per rationes phyſicas nequit, atque hinc (2) ceſſat reſpectus finis ſecundarii, ſ. mutui adjutorii, quando alterutra conjunctarum perſonarum ad finem primarium obtinendum idonea & prona eſt, (3) in illa conjunctione fœmina, in hac mas nonniſi fœdas libidines ſectantur, (4) in illa mas, in hac fœmina ſcienter copias ſuas ac naturæ dotes teme-

rè

tè profundunt. Loquimur autem de vetulis, non de provectioris aliquanto ætatis fœminis; imò de his loquimur vetulis, quarum nullum ver aridis flores producit in arvis.

CONSENTIUNT, vel per neceſſariam conſequentiam conſentire tenentur, qui Eunuchorum matrimonia improbant. Quoad prius in ſpecie etiam conſentit Arniſæus, *de jure Connubiorum, c. II. ſect. 4. p. 78.*

DISSENTIUNT, ſed malè, Leges & praxis temporum ſuperiorum æque ac noſtrorum.

THEMA VI.

Nuptiæ (1) parentum & liberorum ut inceſtæ Jure Naturali probentur, firmioribus argumentis opus eſt, quàm quæ à Grotio & Pufendorfio aliisque vulgò adferuntur. (2) Fratrum & Sororum matrimonia hoc iure licita pronunciamus.

RATIO *prioris*, quia (1) argumentum à reverentia deſumtum, quam cum familiaritate conjugali ſtare non poſſe putat Grotius *L. II. c. 5. n. 12.* ſolidè ſolutum à Dn. Thomaſio, *L. III. c. 2. §. 220. ſeq.* (2) in altero, ab abhorrentia & nauſea naturali petito, & major & minor vacillant. (3)

Æquè parum momenti habet ratio Puſendorfii à pudore, i. e. verecundia in celandis genitalibus præcipuè hic neceſſaria deſumta, *L. VI. c.* 1. §. 32.

RATIO *poſterioris* manifeſta, quia DEUS ipſe talium matrimoniorum autor eſt.

CONSENTIUNT, quoad *prius*, & debilitatem argumentorum Grotii agnoſcunt Oſiander, *Comment. ad h. l. Obſerv. ad Th. XII.* ipſe Puſendorf. *l. c.* §. 25. Dn. Thomaſ. *l. c. &* §. 288. Kulpiſ. *Colleg. Grotian. ad L. II. c.* 5. *n.* 7. *& not. ad lit. a.* Ziegler. ad *l. c. pag.* 276. *ſeqq.*

CONSENTIUNT quoad *poſterius* Grotius *l. c.* §. 13. Oſiander (quamvis perperam hic diſtinguat inter Jus Nat. abſolutum & hypotheticum. *Comment. ad h. l.*) Bœcler. *Comment. ad Grot. l. c. pag.* 170. Puſendorf. Thomaſius, *ll. cc.*

DISSENTIUNT quoad *prius*, qui ſat robuſta ea argumenta reputant, Bœclerus *l. c.* alii fortaſſe plerique tàm Theologorum quàm JCtorum. Conf. Jo. Muſæi *Diſſert. de Conjugio*, §. 106. ubi Puſendorfium notat.

DISSENTIUNT quoad *poſterius* itidem multi tam Theologorum quàm JCtorum.

THEMA VII.

Divortia (1) *non Naturali Jure, ſed* (2) *lege divina poſitivâ Univerſali prohibita, nec* (3) *niſi propter ſolum adulterium concedenda ſunt.*

RATIO *prioris*, quia hoc Jure matrimonium ſolo mutuo Conjugum conſenſu nititur. (2) Socialitati & dictamini rationis non repugnat, talem quoque ſocietatem ad tempus contrahi. Vid. Dn. Thomaſ. *l. c.* §. 112. 115. *ſeqq.* aliàs (3) non potuiſſet licentia divortiorum tàm facile ac diu tolerari in Gente Judaica.

RATIO *ſecundi aſſerti*, quia indiſſolubile hoc vinculum eſſe voluit DEUS in ipſa prima matrimonii inſtitutione, id quod (a) ſpiritu divino inſtructus profeſſus eſt Adamus *Gen.* II, 24. (b) declaravit optimus legum divinarum interpres Chriſtus *Marc. X*, 7. adde *I Cor. VII*, 15. *Eph. V*, 13. & confer. *I Tim.* III, 2. ubi divortiorum licentia, juxta veriorem interpretationem, Epiſcopis in ſpecie interdicta.

RATIO *tertii*, quia non niſi unicam hanc exceptionem à Regula tradit Chriſtus *Matth. XIX*, 9. hominum verò non eſt, in LL. divinis diſpenſandi arbitrium ſibi arrogare.

CONSENTIUNT quoad *prius* Doctores

omnes communiter. Vid. Marc. Anton. de Dominis, *L. V. de Republ. Eccleſ. c.* I I. *n.* 2.

CONSENTIUNT quoad *alterum* Grotius, Pufendorfius, Thomaſius *ll. cc.* &, niſi fallor è Theologis omnes, qui harmoniam aliquam LL. divinarum in V. T. latarum & in N. reſtauratarum capiunt, & admittunt, præſertim cum hæc ſententia etiam autoritate Patrum nitatur, quorum teſtimonia collegit Hochmannus, *Comment. de benedictione nupt. c. IV. §.* 17. *ſeqq.*

CONSENTIUNT quoad *tertium* Theologi pariter & JCti, qui divortia non niſi ob adulterium & malitioſam deſertionem (tanquam adulterii ſpeciem) concedenda ſtatuunt. Conf. Pufend. *J. N. G. Lib. VI. c. I. §.* 24. Theod. Beza, de *Repud. p.* 116. 227.

DISSENTIUNT quoad integrum Thema hoc, qui divortiorum licentiam cauſarumque determinationem vel à *bona gratia* conjugatorum, vel Legislatorum civilium arbitrio dependere exiſtimant. Indeque eſt, quod Imperatores Romani, etiam ex quo Chriſtiani facti, v. gr. Juſtinianus, & ejus ex Sorore nepos Juſtinus II. (nequidquam reclamantibus Eccleſiæ Doctoribus) divortiorum licentiam adprobarunt,

runt, *Novella* XXII. *cap.* 4. 15. 18. 19. *Novell.* CXVII. *cap.* 8. 10. *Novell.* CXL. quæ quomodo tàm in Oriente, quàm in Occidente continuata fuerit, docet Strauch. *Inſtit. Jur. Publ. Tit. XXXV.* §. 1. 2. Ubi etiam ob plures, quam adulterii cauſas divortia permittenda ſtatuit, modò cauſà prius judicio cognitâ. Quod admitti non poteſt, niſi loquatur de eo caſu, ubi matrimonium propter defectum requiſiti eſſentialis, & maximè quia, vinculum divinum non adeſt, *Matth. XIX,* 6. adeoque ipſo jure nullum declaretur.

THEMA IIX.

Poteſtas parentum in liberos proximè & immediatè ex ipſa Lege Naturali deſcendit. (Ad c. III.)

RATIO, quia medium eſt, ſine quo finis, educatio ſcilicet ſobolis ad vitam ſocialem, obtineri nequit. Jam vero ſatis conſtat, jus, quod obligat ad finem, ſuppeditare etiam media, ſine quibus finis obtineri nequit.

CONSENTIUNT, Oſiander, qui primarium juris hujus fundamentum dicit eſſe ipſum mandatum divinum. *Not. ad Grot. Obſ. ad th.* 1. *p.* 725. & Pufendorf. *J. N. G. L. VI. c.* 2. §. 4. Dn. Thomaſ. *l. c. L. III. c.* 4. §. 10. *ſeqq.*

DISSENTIUNT, Grotius *l. c. L. II. cap. 5.* §. 1. & cum eo Bœclerus, Comment. *pag.* 150. ac Claſen. *Polit. l.* 3. 4. Kulpis Exerc. IV. *p.* 37. qui ex *generatione* deducunt, Hobbes, qui ex *vita ſervata*, & jure velut victoriæ, unde matri primas partes defert, ſeu jus originarium, patri non niſi derivativum, *de Civ. c.* 9. quem refutarunt Puſendorf. *l. c.* §. 2. 3. Kulpiſ. *loc. cit. ad lit. b.* Nec in hoc adſtipulari poſſumus Pufendorfio; quando etiam ex *conſenſu præſumto* infantum, nec aliis, qui ex *pacto Conjugum* jus illud immediatè deducere conantur, ſiquidem non de occaſione juris illius exercendi, ſed de prima ejus origine loquuntur. Circa Pufendorfii ſententiam monuit nonnulla B. Jac. Thomaſius, *Diſſ. de Patria poteſt.* §. 49. & hunc tuitus eſt Filius JCtus, *l. c. L. III. c.* 4. §. 15. *ſeqq.* Craſſa eſt illorum Philoſophia, qui ex *Jure opificis*, quod in ſuum opus habet, Jus patriæ poteſtatis derivare, vel hoc cum illo comparare conantur, quo de vide rectè monentem Oſiandrum, *Obſerv. ad Grot. Lib. II. cap.* 5. *th.* 1. *pag.* 723. *ſeq.* & confer Autoris noſtri §. 4. *h. c.*

DISSENTIUNT etiam, qui quicquid eſt hujus poteſtatis, unice ad Leges Romanas

nas referunt, decepti inter alia §. 2. *Inſtit. de Patr. poteſt. ſed non ſatis recte intellecto.*

THEMA IX.

Jus vitæ & necis in liberos in ſtatu naturali Parentibus non competit.

RATIO, (1) quia jus gladii tantum ad Imperium Civile ſpectat. (2) ad finem ſocietatis paternæ, qua menſura juris eſt, tam lata poteſtas non requiritur; ſive ſpectentur patres, ut tales, ſive ut ſimul ſunt capita ſuarum familiarum. Ejici è domo patria, vel familia, ſicque etiam, ut hoſtes, per defenſionem cruentam abigi improbos poſſe concedo; ſed directò ultimis ſuppliciis afficiendos nego.

CONSENTIUNT Autor *h. c.* §. 4. 7. Grotius *l. c.* §. 7. Oſiander *ad h. l. Grotii p.* 731. Bœcler. *loc. cit. p.* 156. & JCti ferè omnes, qui rigorem Juris Romani (quo Jus hoc patribus olim competebat, *l.* 11. *in fin. ff. de Liber. & poſthum. hæred. l. ult. C. de Patr. poteſt.* adeò, ut ex lege Romulea ſententiam Judici præſcribere potuerint, teſte Dion. Halicarnaſſ. *Lib. II.*) improbant & rectè ſublatum tradunt.

DISSENTIT Jo. Bodinus, ipſa etiam lege naturæ jubente Jus hoc patres in liberos

habere, ac ideò reſtituendum aſſerens, *de Republ. Lib. I. cap.* 12. ſed meritò refutatus à Jo. Zobel. *Diſcurſ. Anti-Bodin. th.* 4. *ap. Arumæ. Jur. publ. Vol.* 1. *diſc.* 34. *pag.* 1072.

THEMA X.

Et (1) *perſonali & (2) Civili libertate homines privari poſſe dubium non eſt; modo tamen (3) id fiat ſalva humanitate, & Juris Nat. communione.*

(Ad c. IV.)

RATIO, quia, quamvis non dentur ſervi naturâ, ſtatu ſcilicet, tales; (1) tamen ſocialitatis officia, niſi admiſſâ ſubindè libertatis perſonalis jacturâ exerceri non poſſunt. (2) Civilis libertas per modum facultatis ineſt, quæ autem ita inſunt, & lege & pacto mutari poſſunt. (3) Hæc enim nec à volentibus deſeri, nec invitis eripi poſſunt.

CONSENTIUNT quoad *primum* praxis ipſa univerſi generis humani; quoad *ſecundum* integræ Gentes, apud quas rigidior olim illa ſervitus omnium Jurium Civilium expers recepta fuerat, orta quidem præcipuè ex jure belli & victoriæ; quoad *tertium* Imperatores Romani, Hadrianus (quo de Jul. Capitolinus teſtatur, *cap. XIIX. & l.* 2. *ff. de his, qui ſui vel alien.*)

alien.) Antoninus *l. d. ff.* Conſtantinus *l. un. C. de Emendat. Servor.* qui, quod Nat. juri adverſum erat in ſervitute, id ſuſtulerunt.

DISSENTIUNT, quoad *tertium* Hobbes, qui ſervis injuriam nullam fieri poſſe pronunciat, *de Civ. cap. VIII. §. 7.* & Seneca apud Grotium *Lib. III. cap. 7.* §. 4. qui & ipſe juſto rigidius in ſervos bello ſervatos ſtatuit. Conf. Pufend. *Jur. Nat. Gent. L. VI. c. 3. §. 8.* Ziegler & Oſiander *ad dict. loc.* Grotii.

THEMA XI.

Poſita ſocialitate in homine non ſtatim ſequitur, hominem natura ferri ad ſocietatem Civilem. (Ad c. V.)

RATIO, quia (1) poſitâ ſocialitate in homine degente in ſtatu naturali, ſequitur, ad eas tantùm ſocietates eum ferri ordinariè, quæ ſtatui naturali ſunt convenientes. (2) Imperium Civile libertati naturali adverſum eſt. (3) Officia ex Civitatum inſtituto orta ſæpe cum philautiâ hominis naturali colliduntur.

CONSENTIUNT Conring. *Prudent. civil. c. VI.* & *Diſſertat. de Civitate nov. §. 17. ſeq.* Pufendorf. *Lib.* VII. *c. 1. §. 3. ſeqq.* Dn. Thomaſius *I. J. D. L. III. c. 6. §. 7. ſeqq.* Dn Hertius *Element. prudent. civil. p. 1. Sect. 3. §. 2.* DIS-

DISSENTIUNT Ariſtotelis interpretes, & ſectatores, qui ex eo, quod is hominem ζῶον πολιτικὸν dixit *l. Polit.* 1. & 2. 1. *Nicomach.* 7. 9. inferunt, ergo natum eſſe hominem quemvis, & deſtinatum ad ſocietatem civilem, tanquam omnium perfectiſſimam. His accenſendi Bœcler. ad *Grot. L. I. c.* 3. §. 6. *p.* 193. Hornius, *de Civit. c.* IV. §. 6. Ziegler. ad *Grot. L.* II *c.* 20. §. 8. *p.* 435.

THEMA XII.

Cauſa conſtituendarum Civitatum, ſeu, quæ homines, deſerta libertate naturali, ad amplectendum Imperium Civile impulit, alia excogitari non poteſt, quàm evitatio malorum, ſtatum naturalem comitantium, utpote quæ prohibuere, quò minus ii ſatis ſecuri, & αὐταρκεῖς eſſe potuerint.

RATIO, quia (1) alias inſipienter feciſſent, abjectâ libertate naturali omne jus ſuum in ſummos Imperantes transferendo. (2) Cætera omnia, quæ non ad ſecuritatem & αὐτάρκειαν ſpectant, etiam citra Imperium Civile obtineri potuerunt.

CONSENTIUNT Hobbes, *l. c. c.* 1. Grotius *prolegom. ad J. B. & P.* §. 19. Dn. Thomaſius *l. c.* §. *ſeqq.* Dn. Hertius *l. c.*

§. 3.

§. 3. Perinde enim eſt, ſive metum, infirmitatem familiarum ſegregum, & fugam indigentiæ pro cauſis impulſivis habeas; ſive cum laudato Dn. Hertio generaliter *evitationem malorum, naturalem ſtatum comitantium, pro iisdem* agnoſcas.

DISSENTIUNT præter adductos in them. præced. *naturam & naturalem hominis appetitum* crepantes, illi qui (1) ex violentia nata ſumma Imperia putant, allegati ap. Dn. Hertium *l. c. p.* 71. urgentes inter alia, *Gen. X*, 8. 9. quo de tamen vid. Gerhard. *de Magiſtr. Pol.* §. 21. 48. Diſſentit (2) ἰδεῖνα, qui ex Jure, quod magnarum familiarum capitibus & Senioribus in membra competiit, & tum maxime, cùm in partes iverunt, ſe exeruit, omnia Imperia exiſtimat, aſſerens, *primos Principes non alios, quàm Patres familias, eorum magnas familias Civitates primas fuiſſe, Majeſtatemque Magiſtratuum paternæ auctoritati ortum debere*; provocans vel maximè ad *Gen. X.* Enimverò (1) in hiſce aſſertis confunditur *imperium familiare cum Civili, & poteſtas Majeſtati analoga* cum Majeſtate proprie ſic dicta. In magnis illis familiis utrumque *prius* agnovit ipſe Pufendorfius *Offic. H. & Civ. c. III.* §. 7. Conf.

J.N.

J. N. G. L. VII. *c.* 3. §. 9. ſed indè non ſequitur utrumque *poſterius*, ceu quidem cum Aſſertore horum putavit jam dudum ipſe Hobbes, fruſtra *regnum aliquod Patrimoniale*, ut vocat, hoc ſenſu fingens, *de Civ. c.* IX. §. 7. 10. (2) *In cap. X. Geneſ.* primordia Gentium recenſentur, non verò aſſeritur, primos quosque Conditores habuiſſe poteſtatem Regalem propriè dictam, quæ quando in ſpecie in poſteris Semi apud Judæos cœperit, docere poteſt I *Reg.* VIII, 3. (3) Ipſe Dn. Autor horum aſſertorum fateri cogitur: *infirmiores patres familias à potentioribus oppreſſos, ſuum ius atque auctoritatem potentioribus conceſſiſſe, & ſic iis paruiſſe.* Quid hoc aliud eſt, ac ſi diceret cum Pufendorfio: Patresfamilias ſegreges propter infirmitatem ſe ſubjeciſſe imperio Civili. (4) Notandum, Pufendorfium in argumento hoc loqui ex conjecturis rectæ rationis, quibus enarrationes S. Codicis non erant opponendæ.

THEMA XIII.

Deus eſt (1) *cauſa Maieſtatis*, *ſed* (2) *hodiè non immediata.* (Ad c. VI.)

RATIO, (1) quia ſumma Imperia ſunt ex ordinatione divina, & faciunt quàm maximè

Le

ſive Voluntas Imper

eſt Norma ac

cui Ac

convenientes, honeſtæ ſeu virtuoſæ

ſe ex

erga

DEUM, per Pietatem,

Seipſum, per Amorem & ſtudium ſui,

Socios, per Juſtitiam, quæ conſiſtit in

recto uſu facultatis

recta præſtatione obligationis.

minus plenæ, ſ. imperfectæ,	plenæ, ſ. perfectæ,	minus plenæ, imperfectæ,	plenæ, perfectæ,
nimirum		nimirum	
Juſtitia Univerſalis, undè *juſtum humanitatis* (i. e. quod homini, quâ homo eſt, competit,) *activum* Grotio dicitur *aptitudo*, v. gr. ut pauper poſſit eleemoſynas exigere.	Juſtitia particularis, undè *juſtum exercentis*, in ſpecie *jus ſuum*; quale eſt v. gr. Creditoris, dum debitum exigit.	Juſtitia Univerſalis, undè *juſtum humanitatis*, (i. e. quod homo, quâ homo, aliis debet) *paſſivum*, v. gr. ut pauperibus eleemoſynas porrigamus.	Juſtitia particularis undè *juſtum*, *tribuentis alteri* in ſpecie *jus ſuum*; quale eſt, v. gr. Debitoris, ut Creditum exſolvat.

x,

Ad pag. 46. §. XV.

antis Lege expreſſa,
ionis hominis,
iones

repugnantes,
turpes ſeu
vitioſæ

runt

erga

DEUM, per Impietatem,	Seipſum, per Odium & neglectum ſui,	Socios, per Injuſtitiam, quæ conſiſtit in

pravo abuſu facultatis	prava detrectatione obligationis.

minus plenæ, imperfectæ,	plenæ, perfectæ,	minus plenæ, imperfectæ,	plenæ, perfectæ;
nimirum		nimirum	
Injuſtitia Univerſalis, undè *injuſtum inhumanitatis activum;* v. gr. ſi pauper eleemoſynas importunis verbis extorquere velit.	Injuſtitia particularis, undè *injuſtum*, quod in ſpecie *injuria*; v. gr. ſi Creditor debitum ante terminum ſolutioni deſtinatum exigere velit.	Injuſtitia Univerſalis, undè *injuſtum inhumanitatis paſſivum;* v. gr. ſi eleemoſynæ inhumaniter denegentur.	Injuſtitia particularis, undè *injuſtum*, quod in ſpecie *injuria*; v. gr. ſi Creditori debitum non ſolvatur.

vetat; *adeoque non eſt indiviſibilis ratione* (1) *ſui*, *ſed ratione* (2) *Subjecti*, *quod eam ſuſtinet.* (Ad c. VII.)

RATIO, Quia eſt aliquod totum, & per partes ſeu diſtinctos actus ſeſe exſerit. (2) Quia ſi plures diviſim & independenter jura Majeſtatis in Republica poſſiderent, ſequeretur, dari uno plura ſumma capita in Republica, quod abſurdum.

CONSENTIUNT quoad *prius* Ziegler. *ad Grot. L. I. c.* 3. §. 20. *p.* 154. Quoad *poſterius* Bodinus, *de Republ. L.* II. *c.* 1. *p. m.* 287. rectè vel ex hoc mixturam formarum in Republica negans, quoad utrumque Kulpis, *ad Monzamban. part.* II. *c.* 6. §. 7. *pag.* 229.

DISSENTIUNT; qui ſimpliciter indiviſibilem eam dicunt, & ſaltem in diverſis objectis varia nomina accipere putant, ut Vitriarius, *Inſt.* J. P. L. I. *tit.* 7. §. 5. vel qui actus Majeſtatis cum Sole, qui unâ eâdemque operatione liquefacit & indurat, comparant, ut ſibi non ſatis conſtans Kulpiſ. *loc. cit.*

THEMA XV.

In Ariſtocratia & Democratia æque vera Majeſtas eſt, ac in Monarchia.

(Ad c. IIX.)

RATIO, quia (1) ubique adeſt ſumma poteſtas,

eſtas, in certum Subjectum, idque ſeu phyſicè ſeu moraliter unum, ex conſpiratione omnium civium collata. (2) In prioribus æque eſt ordo Imperantium & parentium, ac in poſteriore. (3) In Democratia major pars ſuffragantium repræſentat voluntatem totius populi; in Ariſtocratia Senatus Optimatum.

CONSENTIUNT Doctores & Politici omnes.

DISSENTIT Jo. Frid. Hornius, *de Civit. L. III. c. un.* qui prioribus, quas liberas vocat Reſpublicas, Majeſtatem omninò denegat. Motus his, ſed ficulneis rationibus, (1) quod Majeſtas in pluribus nec diviſim nec indiviſim eſſe poſſit. (2) Quod in *ſpecie in Democratia* Subjectum imperans à parente non poſſit diſcerni. Nec enim univerſos imperare, quum ſic nulli futuri eſſent ſubditi; nec ſingulos, cùm ex ſingulis univerſi conſtituantur; nec majorem partem ſuffragantium in Comitiis popularibus cum (1) hæc partis voluntas non ſit voluntas totius, (2) in ſingulis Comitiis diverſum futurum ſit Majeſtatis Subjectum. (3) Quod *in ſpecie in Ariſtocratia* fieri poſſit, ut (1) propter paritatem votorum negotia non habeant exitum. (2) Optimatum Senatus adverſus Rempublicam

delinquat, & ſic à reliquo populo ſit ad rationes vocandus ac puniendus. Sed vid. reſponſiones ap. Puſendorf. *J. N. & G. c. 5. §. 5. ſeqq.* Achill. Epſtein, *in Not. ad Horn. dict. loc.*

THEMA XVI.

Dantur utique Reſpublicæ irregulares. (Ad c. IX.)

RATIO, quia non omnes Rerumpublicarum formæ ad tres modô recenſitas usque adhuc pro regularibus habitas referri poſſunt.

CONSENTIUNT ipſe Ariſtoteles, (dum regulares reſpublicas ad anomalias varias declinare poſſe; & non πρoτέρας tantùm, ſed & ὑςέρας ſeu *ſecundi ordinis dari Civitates* docuit) *III. Pol.* 1. *Puſendorf. J. N. G. l. c.* §. 14. *ſeqq.* Diſſert. Acad. VI. *p.* 301. *ſeqq.* Monzambanus, *de Stat. Imperii c. V.* §. 9. Dn. Hertius, *l. c. p. I. ſect.* 2. §. 5. *ſect.* 11. *per tot.* Dn. Thomaſ. *Inſt. Jurispr. div. l. III. c. 6.* §. 40. *ſeqq. & Not. ad Monzamban. dict. loc.*

DISSENTIUNT Martinus Schookius, Pacificus à Lapide, i. e. Phil. Andr. Oldenburger, alii, refutati à Puſendorfio, in dicta *Diſſert. Academica*; Carolus Scharſchmidius, cui reſponſum *Erid. Scand. p.* 175. *ſeqq.* Kulpiſius, *Comment. ad Monzamban.*

ban. cui ſatisfactum à Dn. Thomaſ. Not. *ad Monzamban. c. V.*

THEMA XVII.

Ad rationes de ſuis actionibus reddendas ſubditis ſummi Imperantes non tenentur.

RATIO, quia hic eſt actus ſubjectionis; Summi verò imperantes ſunt ἀνυπεύθυνοι, & legibus humanis ſoluti; niſi quatenus vel ex pactis ſeipſos adſtringunt, vel ex generoſitate legibus civilibus actus ſuos accommodant.

CONSENTIUNT moderatiores Politici omnes; neque unquam ad rationes vocari vel puniri poſſe ſummos Imperantes cenſent. Licet adverſus eum, qui hoſtis reipublicæ ſit, leges Imperii fundamentales hoſtili animo intervertendo, vel, ubi tales non fuerint, aliàs apertam hoſtilitatem exercendo tandem arma ſumi poſſe concedant. Sic enim non adverſus ſummum Imperantem ut ſubditi, ſed ſoluto obſequii & civilis ſocietatis nexu, ut liberi, inque ſtatum naturalem redacti, adverſus hoſtem agunt, vid. Arn. Anton. Tulleken. *Diſſert. de Jur. Nat. fonte, c.* III. *G. v.* Muelem *de Sanctit. ſummi Imperii Civil.* cautè tamen etiam legendi.

CONSENTIUNT etiam, qui depoſitionem Wenceslai Imperatoris ac ſimiles, propter

cauſas non ſatis idoneas, injuſtas pronunciant. Vid. Dn. Thomaſ. *Quæſt. Hiſtorico-Philoſophico-Juridic. IX.*

DISSENTIUNT Politici Monarchomachi, imprimis Steph. Jun. Brutus, *Vindiciis contra tyrannos*; It. Jo. Miltonus, *Apologia, pro populo Anglicano*, & *defenſione pro ſe ac pro populo Anglicano*, quæ confoſſa calamis Salmaſii, *Apolog. pro Rege & populo Anglican.* Caſpar. Alexandri Mori, Regii *ſanguinis clamore ad cœlum*, & *Fide publica*, Ziegleri *Exercitat. circa Regicidium Anglorum.* Joh. Schalleri, *Diſſert. ad loca quædam Miltoni.*

THEMA XVIII.

Omnis ſummi Imperii acquiſitio eſt ex conſenſu populi. (Ad c. X.)

RATIO, (1) quia quocunque modo habeat Imperans jus in civitatem, ſive per occupationem bellicam, ſive per electionem, ſive etiam per hæreditatem, nullo tamen horum ſecurus eſſe poteſt, niſi fide & voluntate ſubditorum nitatur, quod etiam exinde patet, quia (2) ſemper homagia à ſubditis exiguntur.

CONSENTIUNT Doctores & Politici communiter. Confer tamen Achill. Epſtein. *l. c. ad c.* IX. *p.* 51.

DISSENTIUNT Hobbes, qui generaliter negat, pactum aliquod imperantes inter & ſubditos intercedere, & quidem ex vano metu, ne, ut, obligatio ex pactis reciproca eſt, ſic etiam jus æquale utrinque naſcatur, *de Cive, & in Leviathane*, refutatus à Puſendorſio *Lib.* VII. *c.* 2. §. 9. *ſeqq.* Et Hornius, qui in Regno per violentiam ex juſta cauſa occupato, conſenſum populi, ut pro Rege habeatur, non expectandum putat. *l. c.* IX. §. 2. *p.* 463. ad quem locum vide Epſteinium in Notis, it. Puſendorf. L. VII. *c.* 7. §. 3. Thomaſ. *l. c.* L. III. *c.* 6. §. 94. *ſeqq.*

THEMA XIX.

Summorum Imperantium inter cætera eſt proſpicere, ut in Republica Cives ſanis & ad finem ac uſum Reipublicæ attemperatis doctrinis tam quoad Religionem, quam quoad alias ſcientias humanas imbuantur. (1) *Loquor autem potiſſimùm de Religione naturali, non de Chriſtiana.* (2)

(Ad c. XI.)

RATIO *prioris*, quia (1) magnam vim doctrinæ habent in animis hominum, eos vel ad obſequium, vel ad ſeditionem diſponendi (2) quia pleriq; magis præjudiciis à Magiſtris ſuis hauſtis, quam veritate & rationibus ducuntur, Autor, *J. N. & G.* L. VII. *c.* 4. §. 7.

RATIO *poſterioris*, quia cura Religionis Chriſtianæ ad Summos Imperantes ſpectat, qua ſunt præcipua Cœtus Chriſtiani in Civitate membra; non autem quà Imperantes. Sequeretur enim aliàs (1) Ethnicos Principes non eſſe poſſe veros Imperantes. (2) Finem Imperii Civilis eſſe ſalutem animarum æternam. (3) Religionem & fidem Chriſtianorum ſubditorum dependere à fide Imperantium.

CONSENTIUNT, *quoad prius*, ſine dubio omnes, qui vim illam dogmatum publicorum, & effectus inde in Civium mores redundantium rectè intelligunt; *quoad poſterius* Pufendorf. *de Habitu Religionis Chriſtianæ ad vitam Civil. c.* VII. *&* XLIII. *ſeqq. Diſſert. Academ.* IX. de Concordia Politicæ cum Relig. Chriſtian. p.428. Thomaſ. Evang. Fürſten-Recht/ *poſ. V. p.* 33. *ſeqq.*

DISSENTIUNT hic, *quoad prius,* circa aſſertum Pufendorfii Architecti Indicis Novitatum, ac alii ſtultè arguentes, ac ſi cum Machiavello ſtatuat Autor, Religionem & cætera dogmata ſtatui, i. e. privatæ Principis utilitati accommodanda eſſe. Sed reſpondit Pufendorf. *Erid. Scandic. p.* 7. *ſeq.. p.* 84. *p.* 105. 169. *p.* 350. *Quoad poſterius*, non dubito, quin plures *Cæſa-*

reo-

reo-Papatui faventes; & indè vel Principum Juri circa ſacra, vel Religioni Chriſtianæ quicquam decedere metuentes diſſenſuri ſint.

THEMA XX.

Multitudo legum indicium eſt morbidæ Reipublicæ.

(Ad c. XII.)

RATIO, quia vel morbidus Civitatis ſtatus eſt, vel corrupti civium mores, ubi tot leges, tot fulcra ruinoſæ compagis requiruntur.

CONSENTIUNT Plato, in paucitate legum & probitate morum perfectionem Reipublicæ conſtituens, *de Republ. Dial.* IV.

CONSENTIT & Corn. Taciti de veteribus Germanis teſtimonium, apud quos plus boni mores, quam alibi bonæ leges valuerunt, *de Moribus Germ. c.* 19.

DISSENTIUNT, qui id inter præcipuas noſtras felicitates reputant, quod tam vaſta, non patriarum ſolùm, ſed & peregrinarum Legum volumina habemus hodiè Germani, ut optandum eſſet, venire novum aliquem Juſtinianum; qui per medium profundum eundo ad deſperatum opus curam ſuam extenderet.

THEMA XXI.

Jus vitæ & necis (1) ſine dubio Summis Imperantibus Jure Nat. competit: Sed quod regulariter obligati ſint ad ultima ſupplicia certis delictis irroganda, ita ut ne quidem diſpenſandi poteſtatem habeant, id eſt, quod tum de hac (2) tum (3) de omni lege divina negamus.

(Ad c. XIII.)

RATIO *prioris*, quia (1) ſine hoc jure aliquando finis Civitatum obtineri nequit; inde etiam (2) licet inviti ſubditi id in Summos Imperantes transtuliſſe intelliguntur.

RATIO *ſecundi*, quia Jus Nat. regulariter nullis delictis certas pœnas, multò minus ultima ſupplicia dictitat; accedit, quod ex dictamine Juris Nat. finis pœnarum multò melius aliâ ratione, quam per ultima ſupplicia obtineri poſſit.

RATIO *tertii*, quia, cùm neceſſitas profundendi ſanguinis homicidæ in V. T. rationem typicam habuerit, æque ac immolatio aliarum victimarum ſeu hoſtiarum (conf. *Deut. XXI*, 3.4.) ea in N. Fœdere ceſſat.

CONSENTIUNT quoad *prius* & *poſterius* ferè omnes; quoad *ultimum* Dn. Theod. Pauli, *de veris Jurisprud. Princip. qu.* XXII. *p.* 155. & *qu.* XXVI. *p.* 103.

DIS-

DISSENTIUNT imprimis quoad *ultimum* communiter Theologi & JCti, qui ſaltim verba *Geneſ. IX*, 6. collata cum *Matth.* XXVI, 52. *Apoc.* XIII, 10. pro lege poſitiva univerſali, etiam Principes in N. T. obligante habent.

THEMA XXII.

Integræ etiam Gentes, nimirum piraticam & prædatoriam vitam agentes, v. gr. Algerienſes, Tripolitani &c. exiſtimatione ſimplici deſtituuntur.

(Ad c. XIV.)

RATIO, (1) quia in ſtatu J. N. & ſocialitati communi adverſo vivunt; inde etiam eſt, quod (2) nulla fœdera cum talibus ineunt, aut alia pacis commercia cum iis habent Gentes honeſtæ.

CONSENTIUNT, nî fallor, omnes Politici, & praxis Gentium non æquè barbararum.

DISSENTIT Hobbes, ſcilicet ſuæ hypotheſi inſerviens, qui priſcis temporibus pleroſque veterum Græcorum ληςρικὴν, non adverſante lege Nat. nec ſine gloria exercuiſſe tradit, *Civ. c. V. §.* 2. conf. Pufend. *Diſſert. Acad. III. de Exiſtimatione*, qui & ipſe Barbariæ Gentes quodam modo excuſandas putat. *p.* 162.

THEMA XXIII.

Dominium eminens, quod ſummis Imperantibus in bona & vitam ſubditorum competit, ſruſtra in dubium vocatur. Deus verò ſolus habet dominium ſupereminens. (Ad. c. XV.)

RATIO, quia ex fine introductarum Civitatum & Imperii Civilis conſtat, aliquando, & quidem neceſſitate vel utilitate publicâ urgente, plus juris ſummis Imperantibus in res ſubditorum conceſſum eſſe, quàm quo ordinariè & ea neceſſitate vel utilitatis ratione deficiente ii utuntur.

CONSENTIUNT Grotius, *L.* I. *c.* I. *§.* 6. & ad eum Henninges, *pag.* 26. Bœclerus, *Diſſert. de Dominio eminente*; Oſiander, *p.* 147. Hornius, *l. c. pag.* 289. Dn. Thomaſ. *c. l. L.* I. *c.* 1. §. 122. *ſeqq.* Dn. Hertius, *l. c. P.* I. *Sect.* 6. *§.* 6. Dn. Pauli *loc. cit. p.* 130. *ſeqq.*

DISSENSERUNT JCti aliqui Wittenbergenſes, inter quos etiam B. Ziegler. *ad Grot. p.* 46. 47. & 85. ubi licentioris Politicæ commentum id arguit.

THEMA XXIV.

Principes (etiam Chriſtiani) (1) *licitè bella gerunt*, (2) *quamvis in Chriſtianiſmo, quà tali bellum ſit non ens.* (3)
(Ad c. XVI.)

RATIO

RATIO *prioris*, quia eſt medium tutandæ Reipublicæ neceſſarium, ex hypotheſi ſtatus Chriſtianorum non puri & imperfecti, quô intuitu DEUS tolerat aliàs non toleranda; *Secundi*, quia regulariter hoc jus facultatis eſt, non obligationis; *Tertii*, quia Regnum Chriſti pacis eſt, non belli; non cædium, non rapinarum, &c.

CONSENTIUNT, ſi rectè memini, omnes ferè & Theologi & Politici Chriſtiani quoad hæc omnia.

DISSENTIUNT, ſi qui omnino hoc rerum ſtatu è juribus Principum bella proſcribere conantur.

THEMA XXV.

Poſſunt Summi Imperantes fœdera inæqualia, & talia, quibus alterutri onus aliquod imponitur, vel incommodum attrahitur, (e. gr. in fœdere protectionis) ſalvo ſummo Imperio inire.

(Ad c. XVII.)

RATIO, quia (1) ex talibus fœderibus nulla oritur ſubjectio. Quin potius (2) poſito fœdere, ponitur ſummum Imperium. (3) Ut patrocinium privatum non tollit libertatem clientis, ita patrocinium publicum non tollit libertatem populi.

CONSENTIUNT, & prolixè hoc probant Grotius *L.* I. *c.* 3. §. 21. & plures copioſè allega-

allegati ap. Kulpiſ. *Colleg. Grotian. Exerc.* II. *ad* §. 12. *p.* 19.

DISSENTIUNT, Anton. Matthæ. *ad l.* 48. *ff. tit.* 2. *c.* 1. *n.* 6. *alii*, apud D. Simon, Not. *ad d. l. Grotii p.* 100.

THEMA XXVI.

Officia Civium ex fine Civitatis omnium optimè dijudicantur.

(Ad c. XIIX.)

RATIO, quia quicquid ad eum non facit, ad id etiam cives ſe non obligaſſe cenſentur.

CONSENTIUNT ſaniores JCti & Politici, juſtum cum utili conjungunt, & inde jura ſummorum Imperantium metiuntur, rectèque inter alia concludunt, *in conſcientias Principibus non competere Imperium. Tulleken. de Jur. Nat. fonte c.* III. *§.* 22. *ſeqq.*

DISSENTIUNT, qui cum Machiavello jus pro libidine imperandi & infinitum in ſubditos Principibus tribuunt.

ILLU-

ILLUSTRIS cujusdam VIRI

EPISTOLA CENSORIA,

quâ

PRINCIPIA

ILLUSTRIS PUFENDORFII

IN LIBELLO

de

OFFICIIS HOMINIS & CIVIS

adhibita,

obelo notare voluit;

cum

MONITIS APOLOGETICIS

IMMANUELIS WEBERI.

ILLUSTRIS cujuſdam VIRI

EPISTOLA

DE

PRINCIPIIS OPERIS PUFENDORFIANI, DE OFFICIO HOMINIS & CIVIS, CUM NECESSARIIS ANNOTATIONIBUS.

ROgaſti me ſententiam, VIR SUMME, in amici gratiam, an commode prælegeretur juventuti liber viri ſuo quondam merito celeberrimi, SAMUELIS PUFENDORFII, quem de officio hominis & civis inſcripſit. Inſpexi opus, quod à multo tempore non conſulueram, deprehendique principia defectibus non exiguis laborare. Quum tamen *pleræque ſententiæ in progreſſu non admodum principiis cohæreant*, (1) neque *ex iis tanquam cau-*

(1) Secus ſe habere, & non facilè ullam Concluſionem dari, quæ ex Principiis vel directò, vel per indirectum non poſſit deduci, experientur illi, qui cum debita attentione totum Libellum perlegerint.

(2) Neque

cauſis (2) deducantur, ſed potius *aliunde ex bonis auctoribus* (3) mutuo ſumantur; nil

(2) Neque eô demonſtrandi modô ubique opus eſt. Demonſtratio à poſteriori, ſcilicet ab effectu ad cauſam, eſt etiam vera, etſi aliquantò ignobilior. Et hac utitur Illuſtris Pufendorfius in deducendis Concluſionibus principalioribus, ſcil. trium Claſſium Officiis, ex Principio generali, ſeu fundamentali propoſitione: ſed eadem utuntur & ipſi ἁγιόγραφοι, quando exiſtentiam Dei demonſtrant ex effectibus. Undè non debebat confundi Principium eſſendi, cum Principio cognoſcendi, quod multi, dum contra Pufendorfium diſputant, facere ſueverunt. Hoc voluit, dum ex *Convenientia cum Socialitate* Concluſiones ſuas derivat; non illud, id quod ad nauſeam quidem inculcat, ſed à pauciſſimis capitur.

(3) Hoc illuſtrationis tantum gratiâ fecit Pufendorfius, non quod Conſenſum Gentium pro principio aliquo habuerit, quo de ſæpiſſimè proteſtatus eſt. Et quidem vel Grotium in hoc imitatus eſt, cui id nemo vertit vitio, vel potius irritatus à Bœclero fecit, qui, literis ad Bœneburgium, in Lectione Autorum Veterum non verſatum Pufendorfium, & inde ineptum ad ſyſtema Juris Naturæ conſcribendum putabat. Hunc igitur ut mendacii argueret, invitus ſanè ſcriptorum veterum tot teſtimonia cumulavit. Quum autem in Libello de Officiis nulla eorum teſtimoniorum occurrant, neſcio annon plagii alicujus hiſce verbis arguere voluerit Autorem Vir Illuſtris, dum *aliundè ex bonis Autoribus pleraſque ſententias mutuò ſumſiſſe* ſcribit; in quo ſanè maximam iterum faceret injuriam. Non enim plagium eſt, quando vel una & altera locutio, vel etiam integra ſententia ex alio Scriptore adhibetur, eodem non nominatô, præſertim ubi ab omnibus allegationibus abſtinere propoſitum eſt. Quid quod in majori Opere *de J. N. & G.* cujus nucleum Liber de Officiis refert, omnia fideliter indicavit Pufendorfius, ſi qua vel ex veteribus, vel ex recentioribus Scriptoribus depromſit; quod facilè conſtabit, ſi quis hunc Libellum cum iſto curatius conferre voluerit.

(4) Suffi-

nil prohibet, libellum multa bonæ frugis continere, & vicem compendii doctrinæ de jure naturæ iis præſtare, qui, *levi aliqua tinctura contenti, ſcientiam ſolidam non adfectant*, (4) quales ſunt nimis multi auditores. Optarem tamen exſtare aliquid firmius & efficacius, *quod lucidas fœcundasque definitiones exhibeat*, (5) quod ex rectis principiis concluſiones veluti filo deducat, *quod fundamenta actionum exceptionumque natura validarum omnium ordine conſtituat*, (6) quod denique ſcientiæ alumnis

(4) Sufficiat interea hæc tinctura, quâ hactenus contenti fuêre, etiam qui ſolida affectant, donec gravior & melior ab aliis proferatur. Neque verò in animo habuit Pufendorfius, arduum hic opus condere, ſed plano & perſpicuo Compendio præparare juventutem ad magis ardua, quod & ipſe Imperator Juſtinianus tàm levi & ſimplici via faciendum ſapientiſſimè ratus eſt.

(5) Si per definitiones intelligit Deciſiones Quæſtionum & Caſuum, ſanè eæ tàm fœcundæ & tàm luculentæ ſunt in *majori Opere de J. N. & G.* ut aliquid in iis vix deſiderari poſſit. Sed quis talia in Libello Compendiario expectaret? ſin verò per definitiones intelligit rerum moralium explicationes, tales, quæ rem ipſam ſatis exhauriunt, quod in Moralibus ſufficit, ubique ſatis extant; Cæterùm ad ſubtilitatem regularum Ariſtotelicarum ſua præcepta componere noluit noſter, in eoque laudandus magis quàm vituperandus eſt.

(6) Quæſo, annon Pufendorfius diſcrimen inter Jus perfectum & imperfectum, quorum illud, non hoc, fundamenta Actionum naturâ validarum, conſtituit, ſolidè & ſufficienter docet? Nonne etiam Regulis Exceptiones ſubjicit? Quid ergò hic exprobatur hiatus, ubi is non reperitur.

mnis certam rationem præbeat *prætermiſſa ſupplendi*, (7) *oblataſque quæſtiones per ſe decidendi*, (8) determinata quadam via. Hæc enim à ſcientia abſoluta & rite tradita exſpectari debent. Et tale aliquid potuiſſet *ab incomparabilis Grotii judicio & doctrina*, (9) aut *à profundo Hobbii ingenio* (10) præſtari: niſi illum multa diſtraxiſ-

petitur. Quod autem omnes Actiones & omnes Exceptiones ordine proponi vult Vir Illuſtris, id peculiaris Voluminis opus eſſet, ad quod perficiendum non vires, ſed otia Pufendorfio defuerunt. Neque opus eſt tali labore, quum facilè ſit, Principiis & fundamentis hujus doctrinæ probè cognitis, eadem ad caſus quoſcunque obvenientes applicare.

(7) Vanum ſine dubio hoc votum, quum nihil adeò ex omni parte perfectum ſit, ut non ſuppleri adhuc, id eſt, magis ac magis perfici poſſit; Et ſi vel maximè ex voto Illuſtris Cenſoris perfectiſſimum ſyſtema proditurum ſit, num exiſtimat nullô prorſus id opus habiturum ſupplemento?

(8) Geſtio valdè tale opus cernere, ubi artificium traditur, ut Quæſtiones *per ſe*, non per aliud quid, decidantur. Idem per idem decidi non poteſt,; Ergò ſemper aliô opus eſt, niſi Principia petere & circulum committere velimus. Quod ſi autem hoc vult Vir Illuſtris oblatas quæſtiones in ſyſtemate J. N. debere decidi ex principio domeſtico & diſciplinæ proprio hujus ſanè nemo ſtudioſior fuit Pufendorfio, & omnem εἰς ἄλλο γένος καλάβασιν evitari voluit.

(9) Omnia, quæ in Pufendorfio accuſat Vir Illuſtris, multò potiori jure in Grotio notanda veniunt: Imò in multis eum Pufendorfius emendavit, adeoque certè ſi alibi, hic Virum Illuſtrem cenſura ſua fefellit.

(10) Profunditas ingenii hic non ſufficit, ſed doctrinæ ſoliditas & rectitudo Principiorum; quæ prava & corrupta Hobbii ipſe agnoſcit Vir Illuſtris.

ſent; hic vero prava conſtituiſſet principia, iisque nimis conſtanter inſtitiſſet. Meliora etiam, quam vulgo habemus, & pleniora potuiſſet *Feldenus*, (11) ſi ingenium & doctrinam majore ſtudio in tale opus conferre voluiſſet. Plurimum etiam referret *parallela addi juris civilis* (12) inter homines recepti, præſertim Romani, ipſiusque etiam *juris ſacri*: (13) ita uſus juris naturæ apud Theologos & Jurisconſultos pronior futurus eſſet, quod nunc magis ſermonibus celebratur, quam negotiis adhibetur. Interim vero

(11) Qualem ſe exhibuerit in Annotatis ad Grotium, docuit Grasvvinkelius. Fuit egregius Ariſtotelicus & doctus Mathematicus, ſed homo ad ſcholam, & ſubtilitatem magis ſtudioſus, quàm eorum, quæ in vita Civili uſum habeant. Undè ipſi non ſemel exprobratum, quod Jurisprudentiam ex Elementis Euclideis docere voluerit. Non equidem contemno per hoc demonſtrationes Mathematicas, ſed majorem uſum habent in rebus naturalibus, quam moralibus, ubi demonſtrationes Logicæ, dummodo adcuratæ & evidentes, præſtant. Quæ etiam ſine dubio ratio eſt, quod ipſe Pufendorfius, dum *Elementa Juris Naturalis* Mathematica methodo conſcripſit, in reliquis libris ab eadem demonſtrandi ratione abſtinuerit.

(12) Abundè hoc fecit *in Opere majori de J. N. & G.* ſed idem in Libello de Officiis ſi feciſſet, exceſſiſſet utique menſuram Compendii, ubi tantum Principia & fundamenta tradere propoſitum fuerat.

(13) Neque hoc neglectum in Majori Opere; At quomodo talis prolixitas Libello elementari conveniret; inprimis cum facilè ſit, ad iſtud opus recurrere, & breviter dictorum uberrimam illuſtrationem ex eodem petere.

(14) Quid

ro quia deſideratum opus non exſtat, & præ aliis Puſendorfianum compendium apud nos vulgo innotuit; hoc ſaltem è re eſſe puto, ut quædam lectores auditoresve, in primis circa principia abuſibus magis expoſita, moneantur: quorum potiſſima in his ſummis capitibus conſiſtunt, quod nec *finem objectumque*, nec *cauſſam efficientem* juris naturæ recte conſtituiſſe auctor videatur.

De fine ita diſerte pronunciat §. 8. *præfationis ſuæ*: *finem ſcientiæ juris naturæ tantum ambitu hujus vitæ includi.* (14) Et quoniam objici poſſe prævidebat,

(14) Quid innocentius, quid verius hôc dici poteſt? Loquitur de *effectu*, quem obſervantia & cuſtodia LL. Naturalium producere apta eſt. Eum dicit eſſe beatitudinem Civilem, & hujus vitæ, non æternam, non vitæ alterius. Locus ex loco explicandus eſt. Conferatur *L. I. c.* 3. §. 13. & imprimis *C.* 4. §. 7. Ecquis verò Chriſtianus Philoſophus aliter ſentire poteſt, niſi fortè ſalutem æternam naturali probitate obtineri poſſe, cum Zvvinglio, *Opp. Tom. II. p.* 559. Petr. Chauvino, *P. II. c.* 5. *p.* 262. *ſeqq. c.* 8. & aliis ſimilibus admittere velimus? Deindè porrò probè notandum eſt, Pufendorfium non dicere, quod hominis naturâ probi finis, quem ſibi propoſitum habet in LL. Naturalium Studio, tantum ambitu hujus vitæ includi, ſive, quod homo Naturales Leges ſtudioſè obſervans nil aliud *intendere* debeat, quàm beatitudinem Civilem: nil autem ſperare de præmio & Dei gratia poſt hanc, ſi qua futura ſit, vitam. Sanè hæc Pufendorfii mens non eſt; non loquitur *de fine*, tanquam *intentione agentis*; ſed loquitur de *fine*, prout *terminus* eſt & *fructus* actionum, quæ duo ab Illuſtri Cenſore non erant confundenda. *Piſterius* enim dum rectè affirmat Pufen-

bat, immortalitatem animæ naturali ratione evinci, ac proinde, quæ hinc conſequantur, ad juris juſtitiæque obſervationem facientia, ac doctrinam juris naturali ratione cogniti pertinere; reſpondet eodem loco, *animum quidem hominis ardenti adfectu immortalitati imminere, ſuique deſtructionem vehementer averſari, atque inde apud plerasque gentes inoleviſſe perſuaſionem de animæ à corpore ſeparatæ duratione, & quod tunc bonis bene, malis male ſit futurum; ejusmodi tamen circa hæc perſuaſionem, in qua animus hominis plene ac firmiter adquieſcere poſſit, ex ſolo Dei verbo hauriri.* Hæc auctor. Verum enim vero, *licet tam verum eſſet, quam falſum eſt, immortalitatis animæ plenam demonſtrationem à naturali ratione non ſuppeditari*: (15) *ſufficeret tamen prudenti,*

Pufendorfius, & ſtatuit, ſaltim ſecundum doctrinam Chriſtianorum, etiam probiſſimos Gentilium quibuscunque virtutibus ſuis cœlum non poſſe conſequi; nullibi tamen diſertè *prius* negat, quod ſcilicet virtutum ſtudio non ulterius tendere, & ad futurum, ſi quod ſit, poſt hanc vitam tribunal ſe parare debeant homines; Enimverò quia de hoc ex ſolo rationis lumine certò non conſtat, imò conſtare ne quidem poteſt; igitur rectè etiam de eô dubitativè Pufendorfius loquitur, & ipſum ab immortalitate animæ deſumtum argumentum, quod maximi valoris videri poterat, non niſi probabilitate aliquâ niti veriſſimè dicit.

(15) Sunt quidem Digbæus, *toto Tractatu*, Mornæus, *de Veri-*

denti, (16) ſaltem magnum pondus habere argumenta, & ſpem bonis melioris vitæ eximiam dare, juſtum vero improbis metum futuræ graviſſimæ pœnæ incutere. Ingentis enim mali etiam non magna timendi ratio, ne dicam magna veriſimilitudo curam cavendi excitare debet. Neque aut *conſenſus omnium pæne gentium*, (17) aut inſitum deſiderium immortalitatis ſperni poſſunt. Sed firmum argumentum & obvium

 omni-

Veritate Relig. Chriſtianæ, c. 14. *p. m.* 231.253. *ſeq.* Grotius, *de Verit. Relig. Chriſt.* & alii, qui immortalitatem animæ ex naturalibus rationibus demonſtrare conati ſunt; ſed argumenta non niſi topica ſunt, ita tamen, ut in dubio major pro affirmativa, quàm pro negativa ſit probabilitas. Indè etiam fluctuarunt & ipſi Gentilium Sapientiſſimi, quando moriendum fuit, licet de immortalitate animæ valdè ſubtiliter fuerint philoſophati. Ἀμετάπτωτος ἐπιστήμη ſolorum Chriſtianorum eſt, quæ omne dubium tollit, omnem titubationem in fidelium pectoribus delet.

(16) Ubi verò hoc negat Pufendorfius? Non ſanè ſequitur, quia docet, de immortalitate animæ & de Judicio aliquo poſt hanc vitam futuro, ubi bonis præmia, malis pœnæ ſint expectandæ, homines naturâ non habere certitudinem apodicticam, ergò hæc omnia negat: & probos poſt hanc vitam nil ſperare, improbos à pœnis Divinis ſecuros eſſe jubet. Contrarium patebit ex §. 9. *Cap. quarti.*

(17) Indè apodictica certitudo non probatur. Probabile viſum fuit pleriſque Gentibus, animam cum corpore non interire. Imò poſſunt eam perſuaſionem habuiſſe ex traditione aut converſatione cum Judæis, quemadmodum etiam alia ad divinam revelationem primariò ſpectantia iſtis modis ad Gentilium notitiam pervenerunt.

(18 Rectè

omnibus (ut cetera nunc prætercam ſubtiliora) præbet ipſa divini Numinis agnitio quam recte admittit auctor, & inter ipſa juris naturæ fundamenta merito collocat. *Neque enim dubitari poteſt*, (18) rectorem univerſi ſapientiſſimum eundemque potentiſſimum, bonis præmia, malis pœnas deſtinaſſe, & exſequi deſtinata in futura vita, quando in hac præſente pleraque impunita impenſataque transmitti conſtat. Itaque negligere hic futuræ vitæ curam, *quæ cum providentia divina inſeparabiliter connexa* (19) *eſt, & contentum eſſe inferiore quodam*

(18) Rectè quidem hæc, & eſt utique inter reliqua argumenta validiſſimum; ſed tamen vim ſpecioſæ probabilitatis non excedit. Quî enim de Juſtitia Divinâ certi quid naturalis homo ſtatuere poteſt, quum etiam Sanctiſſimis & Divinâ luce irradiatis Viris hæ meditationes ſubindè crucem fixerint?

(19) Eſt hoc argumentum Plutarchi, in *Tract. de Sacra Numinis vindictâ*, ſed ſanè petit id, quod in Principio eſt. Conf. Mornæum *de Ver. Relig. Chriſtianæ*, *c.* 14. *p.* 231. *Negligere futuræ vitæ curam.* Non negligit Puſendorfiûs, ſed *partim* methodi ſuæ memor, Jus Naturæ ad forum humanum adaptare voluit, quod etiam humani Legiſlatores faciunt, quos tamen futuræ vitæ curam negligere nemo arguet: *partim* voluit evitare ſuſpicionem, ac ſi & ipſe cum iis ſentiat, qui virtutum ſtudiô & operibus, gratiam divinam & æternam ſalutem acquiri poſſe ſibi perſuadent; *partim*, & quæ ſine dubio præcipua fuit ratio, noluit in Demonſtrationibus ſuis quidquam adhibere, quod Chriſtianorum proprium eſt, & ratio ſibi relicta ignorat, vel non certò ſcit.

(20) Per

dam juris naturæ gradu, (20) *qui etiam apud atheum valere poſſit* (20) (de quo aliàs dixi) eſt ſcientiam pulcherrima ſui parte multare, & *mutila hujus quoque vitæ officia tollere.* (21) Cur enim aliquis pro caritatibus, pro patria, pro republica, pro recto & juſto, diſcrimen fortunarum, dignitatum,

(20) Per inferiorem *Juris Naturæ Gradum* quid intelligat Vir Illuſtris, obſcurum eſt. Quantum tamen ex connexione patet, quia de fine ſermo eſt, innuit *beatitudinem Civilem*, quæ Puſendorfio pro fine & ſcopo Juris Naturalis habetur. Dum verò noſter Cenſor vult, ut doctrina Jur. Nat. ad alteram & æternam vitam dirigatur, qui ipſi per conſequens *ſuperior Juris Nat. gradus* eſt, videat, quid faciat, & an Theologi æquâ mente hoc dogma ſint excepturi.

(20) Ita ſanè debet Nat. Jus tractari, ut Atheos quoque convincat. Et valet iſte Finis, quem Puſendorfius præfixum ſibi habet, etiam apud Atheos, non verò alter, qui à Dn. Cenſore urgetur.

(21) Fortaſsis legendum *multa* pro *mutila*, quia nullus verbis ineſt ſenſus. At, quæſo, quænam tolluntur? Exempla ab Illuſtri Viro propoſita nihil ad rem faciunt. Nam poſitô, licet non conceſsô, quod aliqui pro Patriâ, pro Republicâ, pro recto & juſto, diſcrimen fortunarum, imò vitæ adierint; idque non immortalis famæ gratiâ fecerint, ſed quod ſperarint, iis mediis ſe conſecuturos, ut in æternum bene habeant, & vivant; ecquis, ſaltim Chriſtianorum, ideò ſtatuet, Finem Jurisprudentiæ Naturalis eſſe conſecutionem æternæ ſalutis, & ad iſtum Finem tanquam ad gradum Juris Nat. ſuperiorem obtinendum diſciplinæ hujus dogmata dirigenda eſſe? Omnia iſta, quæ attigit officia, aliâ & tutiore longè planioreque via, ex Puſendorfianis Principiis deduci poſſunt, & ab ipſo paſsim deducuntur, quæ cum genuino Fine & diſciplinæ proprio exactè conveniunt.

(22) Jus

tatum, vitæque ipſius ſubeat, ſi everſis aliorum rebus ipſe conſulere ſibi, & in honore atque opulentia vitam ducere poſſit. Nam uni nominis immortalitati famæque poſthumæ, id eſt rumoribus, unde nihil ad nos perveniat, vera ac ſolida bona poſthabere, quid aliud quam ſplendida ſtultitia fuerit? *Sublimior eſt pleniorque diſciplina juris naturæ expoſita ſecundum diſciplinam Chriſtianorum* (22) (de qua Praſchius) immo verorum Philoſophorum, *quam ut omnia præſentis vitæ commodis metiatur.* (23) Quin amplius, *niſi quis ita natus inſtitutusve ſit*, ut (24) inſignem in vir-

(22) Jus Naturale, quia ex dictaminibus rectæ rationis conſtat, unum idemque eſt apud omnes peræque homines ratione ſuâ rectè utentes. Ut adeò vanum ſit, ſecundum hujus vel illius Religionis principia diſciplinam Juris Naturalis exponere; & peculiariter eam Religioni Chriſtianæ accommodare, modò caveatur, ne quid Religioni Chriſtianæ adverſum in Naturali Jure doceatur.

(23) Diverſiſsima ſunt, Jus Naturæ ad uſum ſeu forum præſentis vitæ dirigere, & Jus Naturæ ita tradere, quo id omnia præſentis vitæ commodis metiatur. Non poſterius facit Pufendorfius; ſed prius.

(24) Legat, qui velit, loca ex Pufendorfio ſupra adducta, & omnia ejus ſcripta moralia; & ſanè deprehendet, internam rectitudinem eum in actionibus ſemper requirere, etiamſi eam in Diſciplina Juridicâ ſupponat, non directò doceat. Quoties non urget conſcientiam & metum Dei, etiam ubi à metu pœnarum humanarum homo poſsit eſſe ſecurus? Ergò malè hic iterum accuſatur, ac ſi externâ probitate contentus ſit, ſpem fallendi admittat, & homines per principia Pufendorfiana à magno ſcelere non deterreantur.

(25) Idem

virtute voluptatem, in vitiis moleſtiàm inveniat, (quod non eſt cujusvis) nulla ratione à magno ſcelere deterrebitur, quo ingentia bona impune ſibi parare poſſit,

Sit ſpes fallendi, miſcebit ſacra profanis.

At *divinam vindictam in futuram usque vitam productam nemo fallet*; (25) *eaque firma ratio eſt, qua homines omnem juris obligationem in factum traduci debere intelligant, ſi ſibi ipſis conſulere velint*. (26)

Itaque neque illud admittendum eſt, quod inſinuat auctor, *quæ intra pectus latitant, nec foris prorumpunt, ad jus naturæ non pertinere*; (27) qua ratione *ex mutilato fine*

(25) Idèm dicit Puſendorſius, *Offic. L. I. c.* 11. §. 2. *de Offic. Jurant.* Quamvis in Theſi doctrinam de immortalitate animæ non tractet; & æternæ vitæ ſtatum pro Fine Jurisprudentiæ Naturalis non agnoſcat.

(26) Etiam absque meditatione futuræ vitæ, quamvis ea magnam vim habeat, firmæ rationes ſunt, ob quas LL. Naturalibus obſequendum eſſe homo intelligit; quamvis religionem fortisſimum eſſe vinculum ipſe etiam Puſendorſius doceat.

(27) Hactenus de *Fine* Illuſtris Cenſor; Jam ad *Objectum* Juris Nat. pergit, & accuſat Puſendorſium, quod malè fecerit, dum Actiones exteriores Juris Nat. Objectum conſtituit. Antiqua hæc querela eſt, prolata dudum à Geſenio, Zentgravio, & Alberto, quibus tamen ſufficienter reſpondit ipſe Puſendorſius, *Erid. Scandicæ, p.* 326. 355. 371. 378. ſcil. (1) Jus Nat. prout illud ad Socialitatem format homines, & in vita præſenti uſum ſuum exſerit, *maximam partem* circa Actiones tantum exteriores

fine juris naturæ, etiam objectum ejus ni-mis contrahi manifeſtum eſt. Quum enim ſub exitum §. 8. dixiſſet, *juris naturalis ſcita ad forum duntaxat humanum adapta-ri,*

riores verſari dicit. Quare *non negat ſimpliciter*, quod Adverſarii ejus ipſi imputarunt, doctrinam Juris Naturalis interiores Actiones curare debere; & ſanè patet contrarium vel ex *L. l. c.* 1. §. 14. *C. V.* §. 6. *de Officiis*, & alibi, ubi de motibus internis & de affectibus tùm cognoſcendis & diſcernendis, tùm compeſcendis agit. (2) Noluit Puſendorfius confundere diſciplinas. Jus Naturale ad Jurisprudentiam pertinet, quæ exteriora tantum curat; Interiora verò hominis utique vel ad Theologiam, vel ad Philoſophiam moralem ſtrictè ſic dictam, ſive Ethicam pertinent. Ubi deſinit Ethicus, ibi incipere JCtum tralatitium eſt. Jam verò ſupponentium non eſt negatio; neque argui poteſt Puſendorfius, *Objectum diſciplinæ mutilaſſe*, quod ad diſciplinam eam nullô modô pertinet. *Quaſi verò Philoſopho Morali aut Juris Naturalis Doctori ſufficiat, exteriores hominis mores utcunque ad decus compoſuiſſe.* Ubi verò ita concludit Puſendorfius? Dicit: Theologiæ Morali non ſufficere, exteriores mores hominis utcunque ad decus compoſuiſſe: Ergone inde ſtatuit, Naturalis Juris Doctori id ſufficere debere? Sanè æque internam ac externam rectitudinem optat Juris Naturalis Doctor; ſed quia ad interna penetrare non poteſt, ideò contentum eſſe oportet, ſi exteriora utcunque ad decus compoſita fuerint. Deinde hic notandum eſt, Puſendorfium, ceu ex toto contextu patet, non tàm de Doctore Juris Nat. loqui, quàm de Judice, & quatenus actiones fiunt Objectum fori, ubi ſanè nihil eô verius eſt, quàm ſufficere Judici humano, ſi exteriores hominum actiones utcunque ad honeſtatem & decus compoſitæ fuerint, dum hic non omnia ad vivum reſecantur, neque interna ad humanum, ſed ad divinum tribunal pertinent.

(28) Jam

ri, quod ultra hanc vitam ſe non extendat, mox ſubjicit §. 9. *forum humanum circa externas tantum hominis actiones occupari: ad ea autem, quæ intra pectus latitant, nec aliquem effectum aut ſignum foras producunt, non penetrare, neque adeo circa ea ſollicitum eſſe.* Ulteriora diſertè *theologiæ morali* tranſcribit, *cujus principium revelationem eſſe* docet §. 4. & *quæ hominem Chriſtianum informat* §. 2. ubi etiam addit, *jus naturæ multis in partibus prave ad forum divinum applicari, quod theologo maxime curæ eſt.* Itaque (inquit §. 9.) *Theologiæ morali non ſufficit exteriores hominis mores utcunque ad decus compoſuiſſe* (quaſi vero philoſopho morali, aut juris naturalis doctori ſufficiat) *ſed in eo maxime laborat, ut animorum motus interni ad placitum Numinis fingantur, & illas ipſas actiones improbat, quæ extrinſecus quidem recte ſe videntur habere, ab animo tamen impuro promanant.* Hæc auctor ſcilicet theologis vindicat, quæ tamen omnia non *Chriſtianos tantum philoſophos,* (28) ſed & *vete-*

res

(28) Jam dixi, curam internæ rectitudinis præcipuè ſpectare ad Ethicos. Videatur tamen judicium Phil. Melanchthonis, *Epit. Philoſ. Moral. p.* 3. ap. Pufendorf. in *Erid. Scand. p.* 378.

(29) Multa

res Ethnicos (29) curaſſe conſtat, quorum adeo ſobria magis & ſevera & ſublimis philoſophia fuit. Ut mirer viro inſigni in hac eruditionis luce talia excidere potuiſſe, non minus paraloga quam paradoxa. Platonicorum Stoicorumque, immo & poëtarum doctrina fuit, Deos eſſe imitandos, Diis offerendum,

Compoſitum jus fasque animi, ſanctosque receſſus
Mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto.

Neque philoſopho, ſed jurisconſulto civili tribuit Cicero, externis contentum eſſe: (30) leges enim docet curare, quæ manu teneri poſſunt, philoſophos quæ ratione & intelligentia. Adeone *degenerabit apud Chriſtianos philoſophia*, (31) quam ethnici

(29) Multa de virtutibus tradunt Ethnici veteres, imò de eo in virtutum ſtudio excellendi gradu loquuntur, quô Diis adſimulemur; ſed ea omnia, quorum fortè potiora Platonici ex Chriſtianorum doctrina habuere, vel ad Theologiam, vel ad Philoſophiam morum referenda veniunt.

(30) Rectè; Idem ſentit Pufendorf. qui Jus Nat. non ad Philoſophiam refert, ſed, uti decet, ad Jurisprudentiam; quamvis ſuô modô, quoad Principia quædam generalia, ad Philoſophiam reduci poſſit.

(31) Imò verò non degenerabit, modò limites inter diſciplinas benè regantur. Agat, quod ſuum eſt Philoſophus; & relinquat JCto, quod ad eum pertinet. Curet ille in Actionibus honeſtum, & dimittat, quod juſtum eſt, ad JCtum. Sunt enim duo attributa hæc Actionum formaliter

ci tam ſanctam & generoſam habuere? *De laxitate Ariſtotelis multi veterum queſti ſunt*; (32) ille ipſe tamen longe altius ſurrexit, eumque ſcholæ recte hic ſunt ſecutæ. *Præclare enim Ariſtotelica philoſophia ad juſtitiam univerſalem omnes refert virtutes*, (33) debemusque non nobis tan-

b. tum,

liter diſtincta: & eô ipſô, dum juſtitia eſt virtus adverſus alios, ſat luculenter apparet, eam in exterioribus occupari, & hac ratione Actiones exteriores fieri objectum Jurisprudentiæ Naturalis.

(32) Ita quidem eſt. Ipſi ſanè Patres, Juſtinus Martyr, Lactantius, Epiphanius, Baſilius, Origenes, Clemens Alexandrinus & alii peſtilentiſſima, quæ in moralibus & rebus Divinis foveat Principia, dudum demonſtrarunt. Audiemus ex Philoſophis Franciſcum Patricium, qui, poſtquam oſtendit Ariſtotelem, quæ bona reperiuntur in ſuis libris myſticis, hauſiſſe ex Platone, in Exotericis autem ex invidia erga Præceptorem, prioribus planè contraria, eaq; peſſima trad. ''ſe. Nectit eorum ſyllabum, in iisque ſequentia: *DEUM eſſe ζῶον, ignorare particularia, & inde non eſſe invocandum; nihil poſſe præter Cœlum movere, nihil feciſſe, nihil facere, ſed ſedere ſolum in cœli culmine, non ſervare mundum, ſed cœli motum, eſſe primo orbi alligatum: Non DEUM, ſed Caſum, naturam & fortunam regere mundum, animam hominis tanquam corporis formam, eſſe mortalem eam à corpore non ſeparari, hominem non ex aſſimilatione cum DEO, ſed ex bonis fortunæ fieri beatum, poſt mortem nullam eſſe felicitatem, ſed animas cum corpore perire, & poſt mortem nihil pati, nullum eſſe locum beatitudinis. In Ariſtotele Exoterico*, ad calcem *Novæ de univerſis Philoſophiæ p.* 49. En ſpeciem ſobriæ iſtius Philoſophiæ, qua altius Ariſtotelem Pufendorfiô adſurrexiſſe, ecquis amabo crediderit?

(33) Juſtitia univerſalis nihil aliud eſt, quàm complexus omnium officiorum erga DEUM, nosmet ipſos, & ſocios.

Atqui

tum, ſed & *ſocietati*, eique maximè, *quam cum Deo naturali lege cordibus inſcripta colimus*, (34) ut animum habeamus veris imbutum ſententiis, voluntatemque ad recta conſtanter tendentem. *Neque adparet, quis ſit in jure naturæ locus jurijurando* (cujus tamen auctor ipſe vim in eo magnam eſſe fatetur) *ſi internorum ibi cura nulla eſt.* (35) *Itaque qui educationis aut inſtitutionis aliorum regendæ poteſtatem habet*, jure naturæ *obligabitur ad mentes etiam præclaris monitis informandas, curandumque ut virtutis adſuetudine tanquam altera natura voluntates ad honeſta ferantur.* (36) Ea tutiſſima præcipiendi

Atqui hæc ipſa tradit Pufendorfius in noſtro Libello multò diſtinctius & ſolidius quàm Ariſtoteles in ſuis Nicomachicis.

(34) Per Naturalem Legem cum Deo nos ſociari admodum obſcurè & impropriè dicitur, cum maxima naturarum diſparitas omnem conſociationem propriè dictam excludat.

(35) Ubi verò docet Autor noſter, internorum prorſus nullam eſſe debere curam? Sanè diſertis verbis ex Theologia morali & Ethica internam rectitudinem, quò hæc doctrina directò pertinet, ſupponit; ſupponentium verò non eſt negatio. Vid. *Autoris Præfationem* §. *IIX. & IX.* & ibi noſtras Annotationes. Et, annon etiam in foro Civili jurijurando locus eſt, cum tamen leges Romanæ aliæque de internis nihil diſponant.

(36) Hoc facilè largior: ſed indè non ſequitur, quod diſciplinæ debeant confundi, &, quod ad Ethicam vel Theologiam moralem quæ ſpectant, in ea Doctor Juris Naturalis debeat involare. (37) Æque

di ratio, nam ut pulchre monitum Ariſtoteli, plus poſſunt mores qaam leges. Et *quanquam fieri poſſit, ut aliquis ſpe metuque pravas cogitationes comprimat, ne noceant (quod tamen ægre fit) tamen non efficiet, ut proſint.* (37) Itaque qui non recte animatus erit, ſæpe peccabit ſaltem officii omiſſione. Ut adeo etiam *parum tuta aut facilis ſit hypotheſis, quam auctor noſter conſtituit, animi intus pravi, foris innoxii.* (38) Equidem laudandi ſunt viri quidam eruditi, Puſendorfianæ alioqui doctrinæ fautores, quod ſententiam duriorem & reprehenſionibus obnoxiam emendarunt, & quod juri naturæ negant, ſaltem Philoſopho morali aut Theologo naturali tribuunt, curam ſcilicet internorum. Sed *quum in internis quoque jus & obligationem, peccataque in Deum, & rectas actiones naturâ conſtitui, nemo negare poſſit*; (39) *ubi*

b 2 *quæſo*

(37) Æque id optat Jurisprudentia Naturalis ac Civilis, ut oderint peccare homines virtutis potius amore, quàm pœnæ formidine; illius tamen officii non eſt, quæ Ethici vel Theologiæ moralis Doctoris ſunt, partes in ſe ſuſcipere.

(38) Oſtendendum eſſet, ubi hanc peſſimam hypotheſin Puſendorfius foveat, & ſua dogmata eidem ſuperſtruat.

(39) De hoc nunquam dubitavit Autor noſter, nunquam dubitarunt JCti, Civilium legum myſtæ, nunquam Judices; & tamen propterea iſti omnes ſibi non arrogant id, quod ad alias diſciplinas referendum eſt.

(40) Re-

quæſo tractabuntur hæc naturalis utique juris juſtitiæque capita, (40) niſi in ſcientia juris naturalis? *niſi quis aliam quandam univerſalem juris prudentiam confingat, quæ jus naturale reſpectu non hominis tantum, ſed & Dei comprehendat, quod inane fore & ſuperfluum nemo non videt.* (41) Quin potius in ſcientia juris à divina juſtitia tanquam fonte humanam, ut plena ſit, derivari convenit. Notio certe juſti non minus, quam veri ac boni etiam ad Deum pertinet, immo ad Deum magis, tanquam menſuram ceterorum, communesque regulæ utique in ſcientiam cadunt, & in jurisprudentia univerſali tradi debent, cujus

(40) Reſpondeo, in Ethicis & Theologia naturali. Juris autem Naturalis eſſe capita dum ita crudè dicuntur, petitur id, quod eſt in Principio. Ut mens noſtra magis pateat, monemus breviter & vel tribus; in Actionibus, quibus recta ratio modum dat, reſpici *pietatem*, *honeſtatem* & *juſtitiam*, quæ tria attributa formalem differentiam faciunt, & diſciplinas ab invicem diſcernunt. Quà *pietatem* ad Theologiam naturalem, quà *honeſtatem* ad Ethicam, quò *juſtitiam* ad Jus Naturæ pertinent Actiones. Licet igitur omnium harum diſciplinarum ſit unum idemque *Objectum*, ut Scholæ loquuntur, *Materiale*, quoad *Formale* tamen differunt, quamvis ex communi Principio, rectæ ſcilicet rationis dictamine, & pietatis & honeſtatis & juſtitiæ commendatio procedat. Conf. *in Libello, L. I. c 2. ad §. XII. Not. 3. & ad §. XIII. Not. 2.*

(41) Hoc eſt, quod Pufendorfius evitare voluit; & tamen Illuſtris Epiſtolæ Autor, eo ipſo, dum Pufendorfium carpit, ſi ex ſua mente ſyſtema Juris Naturæ ſcribendum, non poſſet non admittere.

(42) Benè;

jus præceptis etiam Theologia naturalis utetur. Itaque jus naturale præter rem coarctantibus adſentiri non poſſumus, *quanquam is lapſus periculum non habeat, modo internam pravitatem ſaltem alteri Philoſophiæ parti ſerves*, (42) *nec plane revelatis præceptis tranſcribas.* (43)

Hactenus de fine & objecto; nunc ſupereſt, ut *de cauſſa efficiente* juris naturæ non bene ab auctore conſtituta dicam; hanc enim ille *non in rerum natura, rectæque ſecundum hanc rationis præceptis, à divina mente emanantibus*, (44) ſed (quod mirum & contradictioni obnoxium videbitur) in ſuperioris decreto quærit. Nempe lib. 1. cap.

(42) Benè; Et ita tandem conſentientem habemus Virum Illuſtrem, quamvis apſum Puſendorfii nondum videamus.

(43) Ubi verò id Autor noſter? qui in *Præfationis* §. *IX.* quidem inculcat, Theologiam Chriſtianorum moralem, *maximè* ad interiora reſpicere; neque tamen negat, interius benè diſpoſitum hominem & ipſum Naturæ Jus requirere.

(44) Si per naturam rerum intelligit *naturam*, ut vocant, *naturantem*, id eſt, Deum, res benè habet. Sed quia hæc Viri Illuſtris mens non eſt, fateor, me non capere, quomodo *natura naturata* legem dare poſſit, licet eam naturæ hominis convenientem omninò ſtatuamus, & ipſe Puſendorfius eam ex naturali hominis indole ſolidè eruat, *L. I. c.* 3. §. 2. *ſeq.* Rectæ rationis præcepta cum ſint ipſa lex Naturæ, non poſſunt eſſe cauſa Efficiens ſui ipſius. Quin eô ipſo, *dum è divina mente emanare ea præcepta* dicit, Deum Efficientem eorum cauſam nolens volens profitetur.

1. §. 1. *officium* definitur *actio hominis, pro ratione obligationis ad præſcriptum* legum *rite attemperata.* Et mox cap. 2. §. 2. *Lex* definitur *decretum, quo* ſuperior *ſibi ſubjectum obligat, ut ad iſtius præſcriptum actiones ſuas componat. Quæ ſi admittimus, nemo ſponte officium faciet;* (45) *immo nullum erit officium, ubi nullus eſt ſuperior, qui neceſſitatem imponat; neque erunt officia inter eos, qui ſuperiorem non habent.* (46) Et quum auctori officium & actus à juſtitia præſcriptus æque late pateant, quia tota ejus juriſprudentia naturalis in officii doctrina continetur; conſequens erit, omne jus à ſuperiore decerni. *Quæ paradoxa ab Hobbio potiſſimum prodita,* (47) qui in ſtatu quem vocat

(45) Hic deſidero Conſequentiam, & do inſtantiam. Quæro enim, an hoc ſequatur: Quia Leges Civiles ſunt Superiorum Decreta, E. nemo ſubditorum ſpontè officium facit.

(46) Concedo lubentiſſimè. Negatô enim ſuperiore, negatur obligatio, & per conſequens officium; modò per Superiorem vel Deum vel hominem intelligamus. Et hæc certè ſunt evidentiſſima & veriſſima, cum cæteris, quæ hic ſequuntur. Undè enim vis obligativa, niſi à Superiore, qui non quidem ſolô ordine, ſed Jurisdictione talis eſt?

(47) Quî potuit Autor noſter in hiſce Hobbium ſequi, cùm contra hunc Hobbii Statum Naturalem ſubindè diſputet, & Juſtitiam obligantem eidem omninò áttribuat. Quin ipſe potius Vir Illuſtris, dum in ſtatu Naturali ſuperiorem non agnoſcit, Paradoxi Hobbiani reus fit.

(48) Se-

vocat naturali, id eſt, ſuperioris exſorte, omnem juſtitiam obligantem tollere viſus eſt (etſi ipſe variet) miror à quoquam adoptari potuiſſe. *Ergone contra juſtitiam non faciet ſumma pòteſtate prædītus, qui tyrannicè in ſuos graſſabitur, qui ſubditos pro libidine ſpoliabit, affliget, per tormenta necabit; qui bellum alteri ſine cauſſa inferet?* (48) Hinc etiam *nullum jus gentium voluntarium* (49) quidam viri docti ab auctore noſtro perſuaſi admittunt, ob eam inter alias rationem, *quod pactis mutuis jus efficere gentes non poſſint,* (50) quia ſcilicet à nullo ſuperiore valida

 red-

(48) Sequerentur hæc, ſi Puſendorſius in Statu Naturali non admitteret Superiorem, Deum, & ejus præcepta obligantia; ſed hoc ei nunquam venit in mentem.

(49) Certè hoc Grotii commentum nullâ ſolidâ ratione nititur, &, cum alibi, tùm maximè in Diſſertatione *de Vindiciis adverſus Legatum delinquentem, & de Judice ejus competente* confutavimus.

(50) Gentes *materiam* Juris voluntarii per pacta ſua producere & anſam juri dare poſſunt; *vim obligativam*, in quâ *forma* & *anima* juris conſiſtit, non poſſunt, ſed omnis ea eſt à præcepto Juris Naturalis: *fides pactis*, cæteroquin licitis & honeſtis, *data ſervanda*. Quid ergò opus eſt novi Juris voluntarii fictione, cum Jus Naturæ negotia Gentium dirigat & moderetur. Res æque quoad hoc ſe habet, ac cum Pactis privatorum. Poſſunt & illi pacta condere, & per ea obligari; ſed vis obligativa non à facto paciſcentium, cum pares ſint, ſed à voluntate Legiſlatoris dependet, quatenus ille pactis iſtis robur largitur. Ita etiam in Statu Naturali Gentes pares ſunt, & ipſæ ſe invicem obligare aliter non poſſunt, quàm per præ-

cepta

reddatur obligatio. *Quo argumento nimium efficient, ut ſcilicet nec conſenſu & pactis homines ſuperiorem ſibi conſtituere poſſint,* (51) cujus contrarium tamen ipſe Hobbius agnovit. Equidem medela aliqua videtur adferri poſſe huic doctrinæ, conſiderando Deum velut omnium ſuperiorem, quod etiam ſubinde fit ab auctore. Nempe dicet aliquis, dogma offendere tantum ſpecie pravitatis, ſi vero profundius introſpicias, nihil mali deprehendi; quum ſemet corrigat, & remedium ſecum ferat; quoniam ſtatus ſine ſuperiore fingi quidem poſſit docendi gratia, exiſtere autem non poſſit, quod omnes per naturam Deo ſubdantur. Ita jam & pacta hominum ſuperiorem, & conſenſus gentium jus facient, Deo pactis validitatem præbente. Atque hoc quidem de Deo

cepta Juris Naturalis. Et adeò Jus Gentium voluntarium ſuô modô, id eſt *materialiter tale*, concedimus, & ſummoperè laudamus laborem Illuſtris Viri, quem in *Codice Juris Gentium* præſtitit, aliorumque, qui Pactorum, Pacificationum & Confœderationum formulas collegerunt: ſed quod inde Jus Gentium voluntarium *formaliter tale*, tanquam nova, Juri Naturali contradiſtincta ſpecies naſcatur, ſupra noſtrum captum eſſe lubentiſſimè fatemur.

(51) Imò verò poſſunt, & fortè debent; ſed factum hoc eorum ſola negotii materia eſt; firmitas & robur à Jure Naturali accedit, quod eam poteſtatem atque facultatem largitur & fidem datam ſervare jubet. Videatur Autor noſter, *Offic. L. II. c.* 6. imprimis §. *ult.*

(51) Præ-

Deo natura omnium ſuperiore veriſſimum eſt, *ſed tamen ipſa per ſe doctrina offenſione atque errore non caret*, (52) quæ habet, jus decreto ſuperioris naſci, utcunque excuſes. Nam ut taceam, *quod Grotius bene notavit, fore aliquam naturalem obligationem, & ſi daretur, quod dari non poteſt, Deum nullum eſſe, aut licet divina exiſtentia ſeponatur tantiſper*; (53) quoniam certe multa ab hominibus erga alios exigit *propriæ conſervationis commoditatisque cura*, (54) quæ Hobbius etiam pro

b 5

(52) Præcedentia omnia recte ſe habent; videbimus, an & ſequentia, & annon apertam contradictionem involvat, ſi docuerimus, *jus ſine voluntate ſuperioris naſci.*

(53) Ut taceam, voculam *tantiſper* apud Grotium non reperiri, ſanè Vir Optimus inductus fuit ad hoc ſcribendum, per Scholaſticorum hypotheſin, qui Actiones honeſtas & turpes, juſtas & injuſtas moralitatem ſuam *ex ſe & ſuâ naturâ, etiam antecedenter ad voluntatem DEI habere* docuerunt. Aſt, quam perverſa & periculoſa ſit hæc ſententia monſtrarunt alii, monſtravi & ego *in Nota* (1) ad Officiorum *Libr. I. Cap.* 3. §. 10. & alibi.

(54) Idem ſentit Puſendorf. *Offic. L. I. c.* 3. §. 10. ſed recte ibi monet, fundamentum obligationis non eſſe utilitatem, ſed potius Imperium divinum. Sic etiam Leges Civiles utilitate ſuâ gaudent; ſed quis ideò principale obligationis fundamentum non in Imperio Legislatoris conſtituat? Utilitas, ſi quod eſt, ſanè non niſi ſecundarium fundamentum præbet, fallax ſæpè & mutabile, quod *exemplô latronum* patet, qui utilitatis intuitu aliquandiu contineri poſſunt; ſed quàm facilè & crebrò accidit, ut, dum circa partes prædæ diſſentiunt, in propria viſcera ſæviant.

(55) Eccur

pro parte annotavit: & hoc obligationis vinculum latronum ſocietates exemplo ſuo confirmant, dum aliis hoſtes, inter ſe quædam officia colere coguntur; *quanquam*, ut jam notavi, *imperfectum ſit valde jus naturæ, quod ex hoc ſolo fluat:* (55) hæc, inquam, ut taceam, ſciendum eſt, DEUM ipſum laudari, quod juſtus eſt, adeoque *eſſe quandam, immo potius eſſe ſummam ipſius DEI juſtitiam; etſi ſuperiore careat,* (56) & *ſponte naturæ excellentis omnia bene agat,* (57) ut nemo de eo cum ratione queri poſſit. *Neque ipſa norma actionum aut natura juſti, à libero ejus decreto, ſed ab æternis veritatibus divino intellectui obiectis pendet; quæ ipſa, ut ſic dicam, divina eſſentia conſtituuntur: meritoque à Theologis auctor reprehenſus eſt, quando contrarium defendit; credo, quod pravas conſequentias non perſpexiſſet. Neque enim iuſtitia eſſentiale DEI attributum erit,*

(55) Eccur ergò alteri illi præfertur, quod perfectius eſt, & quod ex Imperio Divino deducitur?

(56) Pufendorfio ſermo eſt de Juſtitia, quatenus in homines cadit, & ſine *Superiore* in iis nullum jus, nulla obligatio reperitur. Ergo exemplum de DEO, quod is etiam ſine Superiore juſtus ſit, hùc planè non quadrat.

(57) Hæc ipſa ratio eſt, quod hominibus, quia ſpontè, & ob defectum tàm excellentis naturæ, omnia non benè agunt, à Superiore præcepta faciendorum & omittendorum erant præſcribenda.

(58) Va-

erit, ſi ipſe ius & iuſtitiam arbitrio ſuo condidit. Et vero iuſtitia ſervat quasdam æqualitatis proportionalitatisque leges, non minus in natura rerum immutabili divinisque fundatas ideis, quam ſunt principia Arithmeticæ & Geometriæ. Neque adeo iuſtitiam aut bonitatem quisquam divini arbitrii eſſe defendet, niſi qui & veritatem: quod paradoxon inauditum Carteſio excidit, inſigni documento, magnos poſſe viros magnopere labi; quaſi ſcilicet triangulum ſit trilaterum, aut duo contradictoria incompatibilia ſint, aut denique ipſe exiſtat Deus, quia ita Deus iuſſit. Sequeretur etiam, quod quidam imprudenter dixere, Deum iure poſſe damnare innocentem, quando hoc ipſum ius facere poterat. (58) Nimirum *qui talia exci-*

(58) Varia, quæ diſtinguenda erant, hic confunduntur, & attribuuntur Pufendorfio, de quibus is certè nunquam cogitavit. Quamvis enim nos miſeri mortalium noſtræ rationis modulo diſtinctè comprehendere nequeamus, quomodo in Deo juſtitia ſe habeat, & ocioſæ Scholaſticorum curioſitates ſint, diſquirentium, an Deus Jus aliud Naturæ, iſti, quod hodiè nobis ineſt, contrarium efficere potuerit; nunquam tamen Pufendorfius negavit, Juſtitiam Deo tanquam attributum eſſentiale competere, & veritates in ſe perpetuas eſſe & immutabiles. Neque hoc ex Principiis ejus effici poteſt, quod Theologi quidam atque Philoſophi eum non capientes malè imputarunt, ac ſi ſtatueret, Deum pro arbitrio ſuo jus à ſe ipſo & divina ſua natura diverſum condere vel voluiſſe, vel potuiſſe; Actio-

excidere ſibi paſſi ſunt, non diſtinxere iuſtitiam ab ἀνιπευθυνίᾳ. Deus ob ſummam in

Actiones hominum (cum his enim negotium eſt) in tempore cœperunt; ipſas ſe, quoad moralitatem determinare non potuerunt; ergò autore quodam opus fuit, niſi dicere velis, eſſe aliquid à ſe ipſo. Ecquis autem iſte Autor determinans qualitates morales juſti & injuſti alius, quàm Deus omnipotens, qui, licet ab æterno ita determinaverit, pro cauſa tamen determinationis iſtius utique habendus erit, niſi cauſam DEO priorem ſtatuere velimus. Alia quæſtio eſt, an iſta determinatio inverſo modo poterit fieri à DEO, juſtum pro injuſto haberi, & vice verſa; quam nullibi vel directo, vel per indirectum Pufendorfius affirmavit, licet petulantiam eſſe dicat, de Potentia DEI in hac cauſa ocioſè velle diſquirere. Quod *jus & juſtitiam DEUS ex arbitrio condiderit*, nullibi dixit Pufendorfius, maximè in pravo iſto ſenſu, prout ipſi perperàm attribuitur; quamvis negari non poſſit, DEUM, ut omnia liberè & nemine cogente, produxit, ita quoque ex libero arbitrio iſtam determinationem actionum, quæ futurorùm hominum eſſe debeant, ſuſcepiſſe. Sed quæ, quæſo, iſta conſequentia: origo moralitatis ex determinatione Dei eſt, qui æquè liberè, ut homines produxit, ita quoque futuras eorum actiones ex ſuo arbitrio determinavit, & quæ juſtæ, quæ injuſtæ eſſe debeant, ſecum conſtituit. E. DEO liberum fuit, ex juſto injuſtum, & ex injuſto juſtùm efficere. Aut ergò DEO iſthæ determinationes relinquendæ ſunt, aut aliud determinationis iſtius Principium concedendum eſt. Ut res evadat manifeſtior, do inſtantiam. DEUS, dum ſolare, id eſt, lucidum & calidum corpus ex arbitrio libero producere voluit, ſine dubio ipſi haſce qualitates Phyſicas aſſignavit, & determinatione ſua attribuit, antequam reapſè exiſterent. Jam quæro, an indè ſequatur, DEUM, poſitâ iſtâ liberâ determinatione lucis & caloris, potuiſſe corpus ſolare quoddam opacum & frigidum creare? Id, uti nemo largietur, ita ſanè injuriam faciunt Pufendorfio, qui talibus conſequentiis doctrinas ejus ſuſpectas reddere conantur.

(59) Imo

in omnia poteſtatem eſt ἀνυπεύθυνος; *quum nec cogi, nec puniri poſſit, neque rationibus cuiquam reddendis obnoxius ſit, ſed ob iuſtitiam ita agit, ut omni ſatisfaciat ſapienti, & quod ſummum eſt, ſibi.* (59) *Atque hoc etiam non parum ad praxin veræ pietatis facit: neque enim ſufficit, ita nos Deo ſubmiſſos eſſe, uti etiam tyranno obediremus; nec tantum timendus eſt ille ob magnitudinem, ſed etiam amandus ob bonitatem: quæ non magis à Scriptura Sacra, quam à recta ratione præcipiuntur. Atque huc ducunt meliora univerſalis iuris prudentiæ principia, quæ etiam cum ſana Theologia conſpirant, & ad veram virtutem excitant. Tantumque abeſt, ut, qui non ſpe aut metu à ſuperiore, ſed propenſione animi recte agit, iuſte non agat, ut ipſe potiſſimum iuſte agat, quadam divinæ iuſtitiæ humana imitatione. Nam qui amore DEI aut proximi benefacit, in ipſo recte facto invenit voluptatem, (ea enim amoris natura eſt) neque alio ſtimulo indiget, aut*

iuſſu

(59) Imò verò ſatis benè diſtinguunt ἀνυπευθυνίαν, ſecundum quam nemini hominum jus in DEUM competit; & imperium in homines divinum, ex quô Superiorem & Legislatorem ſupremum eum agnoſcunt, neque perſuaderi ſibi patiuntur, à Legibus Naturæ inditis eum univerſæ Naturæ Autorem excludi poſſe.

(60) Mul-

iuſſu ſuperioris opus habet: ac de tali dictum eſt, legem iuſto poſitam non eſſe. Usque adeo abhorret à ratione, ſolam legem aut coactionem iuſtum facere: tametſi fatendum ſit, eos quorum animus eo perfectionis non devenit, non niſi ſpe metuque obligari; & in divinæ maxime vindictæ exſpectatione, quam nec morte effugere detur, neceſſitatem plenam & in omnes valituram ſervandi iuris & æqui poſſe inveniri. (60)

Ex

(60) Multa hic dicuntur, ſed Pufendorfii doctrinis vel non convenientia vel non adverſantia. *Vera pietas* æque metum ac amorem DEI requirit, wir ſollen GOtt fürchten und lieben; metum propter potentiam, amorem propter bonitatem. Ubi verò hoc negat Pufendorfius? Videatur *Officiorum L. I. c. 4. §. 6.* *Metus tyrannum* non efficit, ſed injuſtus metus, & iniquæ Oppreſſiones; aliàs omnes Principes, Civitatum Rectores, tyranni forent. Ubi Pufendorfii Principia ſanæ Theologiæ repugnent, ubi convenientia aliqua poſſibilis eſt, quæſo oſtendatur? Legatur *Officiorum Præfatio* §. 4. *ſeqq.* & 12. Juſte quem agere poſſe ex *propenſione animi*, vel virtutis amore, nemo negaverit; ſed juſta tamen iſta actio eſſe nequit, niſi cum Lege Superioris, tanquam cum norma, conveniat. *Humana imitatio divinæ juſtitiæ* obſcurè dicitur. Quomodo is, *qui amore DEI benè facit, juſſu Superioris non opus habeat*, non capio. Opus habet ſanè ſaltim quoad cognitionem, licet non quoad coactionem, dum juſſui Superioris ſpontè ſatisfacit. Et, quî poteſt aliquis rectè vel juſtè facere, ſi, quid rectum vel juſtum ſit, ex Lege non cognoſcat? An expoſitio dicti: *Lex juſto non eſt poſita*, in medium adducta, recte ſe habeat, Theologi videant. Cæterùm, *ſola Lex juſtum facit*, id

ſcilicet

Ex his intelligi datur, quantum iuventutis, immo rei publicæ interſit, meliora ſcientiæ iuris principia conſtitui. (62) *Neque recte d. c. 2. § 4. dicitur,* (63) *ſuperiorem non agnoſcenti neminem neceſſitatem injicere poſſe*: quaſi non quædam ipſa exigat natura rerum, curaque propriæ felicitatis & ſalutis; & multa nobis imperat

ſcilicet, determinando; *non ſolus, qui coactè agit, juſtum operatur,* ſed & is, qui ſpontè facit, & præſtantior multò hujus operatio eſt, quàm illius.

(62) Minimè omnium ex his datur intelligi, ea pericula juventuti & Reipublicæ ex Pufendorfii Principiis imminere, quæ Vir Illuſtris absque cauſa metuit; videamus, an, quæ ſequuntur, plus ponderis in ſe habeant.

(63) Rectiſſimè utique hæc à Pufendorfio dicuntur, cùm, cui deficit Superior, illi etiam nemo obligationem imponere poſſit. Tolle divinum & humanum Imperium, quis, quæſo, hominem obligabit, vel quis obligatum ſe reputabit? *Quaſi non quædam*, inquit Vir Illuſtris, *ipſa exigat natura rerum, curaque propriæ felicitatis & ſalutis.* Reſpondeo: natura exigit, ut edam, bibam, &c. ſed me non obligat; Pufendorfius autem *de Obligatione*, non de quavis *neceſſitate exigente* loquitur. Inſtinctus ille naturalis, qui beſtiis quoque communis eſt, cum obligatione, quæ ab altiore Principio, ſcilicet à Superiore vel Legislatore procedit, non debet confundi. *Curam propriæ ſalutis & felicitatis* ipſum Naturæ Jus injungit, & per hanc Superior,, Deus, quod & ipſemet Vir Illuſtris fatetur in verbis ſtatim ſequentibus: *multa nobis imperat ratio*; id eſt: Deus, per rectæ rationis dictamina. Et cur non omnia in moralibus potius ad ipſum DEUM, Naturæ Superiorem, quàm ad idolum Naturam referentur.

(64) Quip-

perat ipſa ratio, ut naturæ melioris ductum ſequamur, ne nobis vel malum adcerſamus, vel bonum intercipiamus. Hoc rationis præceptum omne, quum ſimul alios ſpectat, quorum id refert, ad juſtitiam pertinet. Et vero licet quidam officium latius accipiant, de omni ſcilicet virtutis actu, etiam quum aliorum nihil intereſt, aut an eorum interſit, non conſideratur; quo ſenſu dici poteſt ad noſtrum quoque officium pertinere fortitudinem & temperantiam; verbi gratia, ut valetudinem curemus, quum culpentur merito, qui non faciunt: non aſpernor tamen uſum auctoris noſtri, qui *officium* ad ea reſtringit, quæ à jure deſiderantur. *Sed ejus rei rationem habeo parum auctori agnitam*: (64) quoniam nempe in gene-

(64) Quippe ni? Admittit ſanè, omnem virtutem juſtitiæ univerſalis obligationibus contineri, quamvis illa juſtitiæ univerſalis objecta magis ad forum divinum quàm ad humanum pertineant. *Offic. L. I. c.* 2. §. 14. Quoad *affectus* & *internos animi motûs* jus fori divini ſubindè profitetur, & quomodo coërceri debeant, ex Ethicis ſupponit, *l. c. c. I.* §. 14. *c. V.* §. 6. In foro tamen humano Objectum juſtitiæ fieri non poſſunt, niſi quatenus in actus exteriores pravos erumpunt. Eò etiam aſſurgit pietas Pufendorfii, *ut divinæ amicitiæ rationem haberi velit*; ſed propterea diſciplinarum confuſio non eſt admittenda, cum utique & JCtum & quemcunque alium *Deum amicum* habere conveniat, nec tamen deceat, quod in unâ diſciplinâ profeſsò ſtudiò docetur, ut quævis altera in iſtud involet, quod utique eventurum

generali ſocietate ſub rectore Deo, omnis virtus, ut jam plus ſemel diximus, juſtitiæ univerſalis obligationibus continetur, neque actus tantum externi, ſed etiam omnes adfectus noſtri certiſſima juris regula diriguntur; & digne de jure philoſophanti non tantum humanæ tranquillitatis, ſed etiam divinæ amicitiæ ratio habetur, cujus poſſeſſio nobis duraturam felicitatem ſpondet. Non nobis tantum nati ſumus, ſed partem noſtri ſibi alii vindicant, Deus totum. Nec video, *quomodo auctor*, quamvis acutus, *à contradictione facile excuſari poſſit*, (65) quum omnem juris obligationem à ſuperioris decreto derivat, (quemadmodum locis ejus citatis oſtendimus, & tamen mox lib. 1. c. 2. §. 5. ad *ſuperiorem* conſtituendum requiri ait, non tantum, ut vires cogendi habeat, ſed etiam ut *juſtas* habeat cauſas vindicandi ſibi in me poteſtatem. Ergo juſtitia cauſæ ipſo ſuperiore anterior

 eſt,

turum eſt, ſi ſub prætextu tradendæ Juſtitiæ univerſalis ejusmodi chaos diſciplinarum admitteretur.

(65) Quæſo, quæ in his eſt contradictio? Propoſitio (I.) *Non niſi ſuperior is eſſe poteſt, qui per Decreta ſua ſibi ſubjectum obligare vult.* Propoſitio (II.) *Superior debet juſtas habere cauſas vindicatæ ſibi in ſubjectum poteſtatis.* Datur enim etiam ſuperior ordine, quæ tamen ſuperioritas Jurisdictionem non infert. Judicent, qui poſſunt. Utraque propoſitio veriſſima eſt, veritatum autem nulla contradictio.

(66) Ad-

eſt, contra quam adſeverabatur. Nempe *ſi ad juris originem opus eſt ſuperiore, & rurſus ad ſuperiorem conſtituendum cauſis opus eſt jure ſubnixis: circulus orietur*, (66) quo nullus unquam manifeſtior fuit. *Unde enim conſtabit, juſtas eſſe cauſas, ſi nullus adhuc ſuperior exſtat?* (67) à quo ſolo (ſcilicet) jus proficiſci poteſt. Mirum eſſet, virum acutum ſecum adeo pugna-

(66) Addenda his vel tria verba: *Ad Juris originem opus eſt Superiore*, ſcil. reſpectu ſubjecti, ut huic de jurisdictione illius conſtet. Et huc redit mens Puſendorfii: non poteſt jus dicere, ac per conſequens obligare aliquem, niſi qui eſt ejus Superior jurisdictione. Rurſus, *ad Superiorem conſtituendum cauſis opus eſt, jure ſubnixis*, nimirum *quoad* eum, ut ipſe Vir Illuſtris dicit, *conſtituendum*, quorum verborum hic ſenſus eſt: Superiorem iſtum debere habere juſtas poteſtatis ſuæ cauſas, non ſolas vires ad cogendum. Poteſtas ergò judicandi, Judicem legitimè conſtitutum præſupponit; Unde nullus hic apparet Circulus, quem nequidem ſubtiliſſimus invenerit Philoſophus.

(67) Conſtat quoad *Summas poteſtates* ex Principiis rectæ rationis univerſalibus, quæ Autorem habent DEUM, omnium Superiorum ſupremum; quoad *poteſtates* autem *ſubalternas* conſtat ex voluntate ſummarum haſce conſtituentium. Et ita nullus dari poteſt caſus, ubi non adſit ſuperior, ex cujus voluntate de juſtitia Poteſtatum ſubalternarum, in reſpectu ad Deum ſive immediatè ſive mediatè talium judicari poſſit. Quoquò igitur ſe verterit Illuſtris Vir, nunquam tamen jus aliquod vel ſuperiore prius, vel eò deſtitutum inveniet, & firmo ſtat talo doctrina Puſendorfii, non ſanè paradoxa, non contradictoria, non Sophiſticis Circulis implexa.

(68) Mirum

pugnare potuiſſe, niſi ſciremus facile evenire paradoxa tuentibus, ut prævalente ſenſu communi ſui dogmatis obliviſcantur. Ipſa auctoris verba exhiberi intereſt, ne quid imponi videatur: *introducitur obligatio in animum hominis* proprie *à ſuperiore, id eſt, tali, cui non ſolum vires ſunt malum aliquod repræſentandi contra nitentibus, ſed etiam* juſtæ *ſunt* cauſæ, *quare poſtulare queat, ex ſuo arbitrio voluntatis noſtræ libertatem circumſcribi. Talia enim ubi in aliquo fuerint, poſtquam quid velit, ſignificavit, neceſſe eſt in animo hominis oriri metum reverentia temperatum.* - - - Qui vero *nullam rationem allegare novit, quare mihi invito obligationem velit impingere præter ſolas vires, is terrere quidem me poteſt, ut evitando majori malo ipſi tantiſper parere ſatius ducam, ſed eo metu remoto, nihil amplius obſtat, quo minus meo potius, quam illius arbitrio agam. Contra qui rationes quidem habet, quare ego ipſi parere debeam, à viribus tamen malum aliquod mihi imponendi deſtituitur, ejus juſſa impune à me poſſunt negligi, ni potentior aliquis hujus auctoritatem proculcatam adſertum eat.* Rationes autem quare quis poſtulare

 queat,

queat, ut ab altero ſibi obtemperetur, ſunt: *ſi ab iſto in hunc inſignia quædam bona ſint profecta, ſi conſtiterit, tum & bene huic velle, & rectius quam ipſe valet, eidem proſpicere poſſe; ſimulque ſi actu iſte hujus directionem ſibi vindicet, & denique, ſi quis ultro alteri ſe ſubjecerit, & in ipſius directionem conſenſerit.* Hactenus auctor. Sed qui bene hæc examinaverit, ſatis animadvertet, nec ſibi conſtare auctorem, nec difficultati ſatisfacere. Sane *ſi neque coactio ſine rationibus, neque rationes citra vim ſufficiunt*,(68) *cur quæſo ceſſante vi*,(69) *ſuperſtitibusque ſolis rationibus, non redibo ad*

(68) Mirum certè, qui verba hæc innocentiſſima & veriſſima quemquam offendere potuerint. Debebant utique ſolæ ſufficere rationes, ut homines Officiis ſibi incumbentibus ſatisfaciant; ſed, qui plerorumque ingenia novit, eum fateri oportebit, & in Naturali & in Civitatum ſtatu Pufendorfii hoc adſertum veritate ſole clariore conſtare. Ecquid enim Gens à Gente impetrabit, etiam in cauſa juſtiſſima, niſi viribus polleat, ut exigere poſsit per remedia coactiva? Et Civitatum Rectores precariò imperaturi eſſent, niſi in juſtiſsima cauſa vim cogendi refractarios haberent. Quid igitur cauſæ erat, hanc ſententiam tot machinis adoriri, cum in Pufendorfio potius laudandum ſit, quod ab Hobbio, qui ad ſuperioritatem *ſolas vires* ſufficere ſtatuit, de *Cive*, *C. XV. §. 6. Leviathan. C. XXXI. p. m.* 167. diſcedens, vel maximè *juſtas cauſas*, ſeu rationes in eo, qui alterum ſibi obligatum habere vult, requirit.

(69) Adde: Juſtâ legitimi aliàs imperantis.

(70) Re-

ad libertatem, (70) *quam dicor habuiſſe, quum nondum admota vi ſolæ rationes adeſſent.* (71) Quod enim auctor ait, *metu remoto nihil amplius obſtare, quo minus meo potius, quam alterius arbitrio agam; valebit, etiamſi rationes adſint.* (72) *Quod ſi vero rationes jam ſolæ obſtant, cur non ſolæ obſtitere etiam ante metum?* (74) *& quam quæſo vim rationibus*

 ultra

(70) Redibunt ſanè improbi, quos ſolà juſtitia legitimi Imperantis & juſtæ Imperii cauſæ, ad obſequia præſtanda non movent; non autem redibunt probiores ſubditorum, qui ſolis rationibus earumque intuitu in officio continentur.

(71) Ubi verò id dicitur? Non certè in verbis è Puſendorfio adductis, quando ait: *Qui rationes quidem habet, quare ipſi parere debeam, à viribus tamen malum aliquod mihi imponendi deſtituitur*, ejus juſſa impunè à me poſſunt negligi, *ni potentior*, &c. Loquitur Puſendorſius de eo, quod *fieri poſſit*, non quod debeat, & quidem *impunè* fieri dicit, non quod ſine peccato ſit talium Civium facinus, ſed quod puniendi viribus imbellis Superior deſtituatur.

(72) Apparet utriusque diverſiſſima ratio. Qui enim nil, niſi *ſolam vim*, pro cauſa Imperii in me affectati allegare poteſt, ei ſanè, vi remotâ, me juſtè ſubtrahere poſſum; ſed quis idem licere dixerit, ubi Imperans *juſtas Imperii ſui cauſas* habet, ut, quando vires cogendi non ſufficiunt, propterea æquè juſte ejus Imperium ſubterfugere queam? Licet, ſi malitioſè facerem, id fortean impunè eſſem habiturus.

(74) Obſtant, ut modò dictum, vel *ſolæ rationes juſti Imperii*, ne ſubditi, ob virium in Superiore debilitatem, jugum excutiant; ſed quid velit Vir Illuſtris, quando ait, *easdem etiam ſolas ante metum obſtare debuiſſe*, non capio.

ultra ſeipſum metus dabit, quam ſine rationibus non præſtat ſibi? (75) *An adfectus iſte parum durabilis characterem quendam indelebilem invitæ imprimet menti?* (76) *Finge hominem, qui alteri ex ſolis rationibus obedientiam debet, ejusdem mox viribus adigi; & tamen in eo animo perſeverare, ut non ultra obedire velit, quam cogatur; non adparet, cur ideo quia ſemel coactus eſt, perpetuo ſubjiciatur.* (77) Velut ſi æger Chriſtianus à medi-

capio. Qui enim *ſola vi ſoloque metu* incuſſô ſibi Imperium ſumit, *nullis* omnino juris *rationibus* munitus eſt, adeoque etiam eædem ſolæ ſubditis ante metum injuſte incuſſum obſtare non poſſunt, quia non entis nullæ ſunt affectiones, nullæ operationes.

(75) Metus, ſi cum rationibus conjunctus, juſtus eſt; injuſtus autem, ubi iis deſtituitur. Ecquis verò negaverit, non eſſe ingens inter utrumque metum diſcrimen; & quod ſibi illicitè præſtat poſterior, id licitè præſtare juſtitiæ priorem, quô ſine, ſaltim apud improbos, juſtitia eſt campana ſine piſtillo.

(76) Oderunt peccare mali formidine pœnæ. Eſt enim ſermo de *metu* ratione inferentis *juſto*, qui ſi non indelebilem characterem, tamen formidinem invitis etiam ſubditorum mentibus imprimit.

(77) Imò, non fingas hominem, ſed ponas Civem, qui Superiori *ex juſtis rationibus* obedientiam debet, ejusdem mox viribus adigi, ubi in eo animo perſeveret, ut non ultrò parere velit, quàm cogatur. Talis refractarii contumacia quamdiu durat, tamdiu pœnis coërcenda; ubi ad meliorem frugem ſe receperit, ceſſat quidem actualis pœnarum irrogatio, perdurat tamen in Imperio juſto vis & poteſtas, eum iterum ſubjiciendi, ubi ad ingenium redierit. Cæterum ſimile de Medico Turca

medico turca capiatur, adeone jam præceptis ſalutaribus, diu ante cognitis, ſed nunc neceſſitate armatis, obſtringetur, ut etiam data aufugiendi occaſione magis exinde ad tem-

Turca parum quadrare videtur, dum Puſendorfio *l. c.* ſermo eſt de requiſitis illi neceſſariis, qui ex cauſa ſuperioritatis alterum ſibi legitimè & validè obligatum reddere cupit. Quando denique ſubjicitur: *Alterutrum ergò dicendum eſt, vel rationes ante vim obligare, vel nec obligare vi ceſſante*, reſpondemus ex mente Puſendorfii, ſi modò rectè intelligatur: non *alterutrum*, quod falſâ illatio vult, ſed *utrumque* dicendum eſſe; ſcilicet *rationes*, id eſt, juſtas Imperii, & poteſtatis cauſas, obligare ſubjectos, antequam *vis coactiva* adhibetur: Obligare etiam, ubi *vis cogendi* propter Superioris impotentiam ceſſat; ſed vis ea obligandi tantùm *intrinſeca* eſt, quæ cum ſola non ſufficiat, ergò *extrinſeca* etiam, quæ in cogendo & exſequendo conſiſtit, ad manus ſumenda, quæ Puſendorfii ſententia eſt, & rationibus & communi ferè omnium hominum conſenſu ſubnixa, atque Praxi cum Civitatum, tùm omnium Gentium ſtabilita. Multa adhuc usque vidimus Illuſtri Puſendorfio circa Principia, quæ in Libello de Officiis ſequitur, imputata; ſed & vidimus non deeſſe, quæ pro innocentia Viri de Orbe literato meritiſſimo proferri potuerint, imò debuerint, quare aculeum, quem Epiſtola hæc velut in cauda relinquit, cum cæteris tranſire patiemur. Conſtabit dubio procul ſua laus ſuusque valor Principiis Puſendorfianis & in poſterum, cùm ex aliis, tùm hiſce ex cauſis, quod in iis, quæ DEO tribuenda, nihil ad cœcam naturam retulit, dum non Scholaſticorum dogmata ſectatus eſt, dum inter diſciplinas morales limites regere primus docuit, & ubique non tàm Scholæ, quàm vitæ & uſui ſcripſit. Cætera tangere non eſt noſtri propoſiti, qui ſolius Puſendorfii cauſam agere, non verò de aliis, quas Illuſtris Cenſor, quoad ſyſtema J. N. aliquod conficiendum fovet, ſententiis judicium ferre volumus.

temperantiam obligetur, quam ante captivitatem? alterutrum ergo dicendum eſt, vel rationes ante vim obligare, vel nec obligare vi ceſſante. Hæc ſatis oſtendunt, deeſſe auctori principia certa, quibus veras juris rationes conſtituat, quoniam principia pro arbitrio ipſe effinxit, quæ ſibi ſufficere non poſſunt. Cæterum fundamenta & communia omni juri (etiam quod ex æquo & bono tantum deſcendit) & propria ſtricto (quod etiam ſuperiorem conſtituit) alias indicata ſunt. Et ut dicta paucis recolligamus, in univerſum dicendum eſt: *finem* juris naturalis eſſe bonum ſervantium; *objectum*, quidquid aliorum intereſt, & in noſtra eſt poteſtate; *cauſam* denique *efficientem* in nobis eſſe rationis æternæ lumen divinitus in mentibus accenſum. Hæc tam plana & ſimplicia, credo viris quibusdam acutis nimis obvia viſa eſſe, atque inde paradoxotera quædam excogitata, quæ novitatis ſpecie blandirentur, quod neque priorum fœcunditas neque horum imperfectio ſatis perſpiceretur. Hæc ad TE, VIR SUMME, perſcribenda putavi, ut adpareat, opus Pufendorfianum, etſi minime adſpernandum, in ipſis tamen principiis multiplici emendatione indigere. Ceterum ad particularia nunc deſcendere non vacat. Vale.

(o)

ANT 1317672

[illegible] Google

XVII
C 20